Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

# COMMENTARII
# DE REBVS
# IN
# SCIENTIA NATVRALI
# ET
# MEDICINA
# GESTIS.




## VOLVMINIS XXII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Lugduni Batauor. apud Fratres Luchtmann. Londini apud Fr. Elmsly
Venetiis apud I. B. Paſcali, Romae apud St. Richard, Aug.
Taurinor. apud Giraud et Grauier.

QH 7 .S66 v.22

# I.

## Hiſtoria et commentationes academiae electoralis ſcientiarum et elegantiorum literarum Theodoro-Palatinae. Volumen III. Phyſicum. Manhemii, Typis Academicis. MDCCLXXV.

Quum plurimi commentationes academicas mallent diuerſis prodire libris: ſocietas eorum voluntati ſatisfecit, ita, vt hiſtoricae et philoſophicae, quae prius vna cum phyſicis *) vulgabantur, nunc ſeparatim ederentur.

Ex hiſtoria academiae notamus, quaedam ex p. 3.
vita FRANC. IOH. OBERKAMPII M. Doct. Natus is eſt die ſolſtitiali aeſtiuo, ann. 1710. Amorbaci, patre BARTHOLOMAEO phyſico. Medicinae doctor ann. 1736. Bambergae creatus eſt. Plurimas adiit litterarum vniuerſitates Germaniae, maxime vero Lugduni Batauorum BOERHAAVIVM, ALBINVM et GAVBIVM doctores coluit. Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, poſtea Bruchſaliam archiater Eminent. Schoenbornii Cardinalis vocatus eſt, ibique perſtitit, vſque ad ann 1742: vnde Herbipolim Medicinae profeſſor venit. Sexennio poſt, accepta comitiuae ſacri imperialis palatii dignitate, accerſi-



*) Indicabimus tractationes phyſicas, in primis duobus voluminibus contentas in ſupplementis tertiae decadis proxime.

accerſitus eſt in Palatinatum, vt et ſtudia iuuenum Heidelbergae, et Principis Celſiſſimae AUGVSTAE valetudinem regeret. Quinquennio poſt conſiliarius Electoralis intimus factus eſt. Ann. 1767. viribus debilitatis aquas marchicas petiit; Media vero valetudinis curatione, cum Sereniſſimus Princeps FRIDERICVS graui morbo affligeretur, vita ſua poſthabita, ad hunc curandum accurrit, ſuccurritque tam efficaciter, vt morbus deuictus omnino crederetur: quum domum ipſe regreſſus, et arrepto calamo formulam remedii ſibi ſcripturus, d. VII. Iulii 1768, ſubita morte profligaretur. Diſſertationes viginti ſex, Wurzeburgii et Heidelbergae edidit, ſcripſitque libellum de acidulis Kiſſingenſibus.

Ann. 1768. NATALIS IOSEPHVS DE NECKER ſocius ordinarius Academiae electus eſt.

Commentationes ipſae ſunt.

p. 21. 1. IOH. GOTTLIEB KOELREVTER hiſtoria tentaminum, quae inde ab anno 1691, vſque ad annum 1752, *de ſexu plantarum* inſtituta ſunt. Hic inprimis oſtendit RVDOLPHVM IACOBVM CAMERARIVM primum fuiſſe, qui ſexum plantarum propriis tentaminibus demonſtrauerit. Simul corrigit errores, qui epiſtolae CAMERARII in *Miſc. Nat. cur. Dec.* 3. *An.* 3. *pag.* 33. irrepſere. Reliqui Auctores, quos Noſter commemorat, ſunt SAMVEL MORLAND, GEOFFROY, VAILLANT, BRADLY, MÜLLER, LOGANVS, et GLEDITSCHIVS.

2. EIVSDEM *deſcriptio partium genitalium et verae impraegnandi rationis in Aſclepiade et huic affinibus plantis.* Oſtendit hic veras antheras latere ſub operculo intra ſquamas, et eſſe ſub ſingulo operculo binas compreſſas, oblongas, luteas, filamentis innixas;

Hae

DSI

Hae antherae continent oleum pellucidum, non vero pollinem: corpus cylindricum medium truncatum tegit piſtillum; quod ſi ad longitudinem diſſecatur, offert in media parte ſtylos parallelos ſibi appoſitos, quorum apices ſeu ſtigmata, ſubſtantiae ſpongioſae corporis truncati cylindrici innaſcuntur. LINNAEVM *opercula* antherarum pro antheris habuiſſe exiſtimat; ſi enim veras antheras vidiſſet, Aſclepiadi non quinque, ſed decem ſtamina tribuiſſet: Pertinet igitur Aſclepias ad Decandriam. IACQVINVS *) vera ſtamina in *Cynancho* deſcripſit: ſed antheras fertiles putat, atque totum corpus truncatum ſtigma dicit.

Cl. Auctor itaque putat capitula lutea filamentis innixa eſſe idem, quod in aliis plantis pollen, atque oleum in iis contentum verum ſemen virile, quod ab interna ſuperficie ſaccorum, in quibus ſtamina ſunt, et qui ſtigmatis vice funguntur, ſugitur, et per corporis truncati ſubſtantiam piſtillo, eidem innato, traditur, ſicque ſemen impraegnatur. Similem rationem partium genitalium fere in orchideis plantis eſſe, quam alio loco et tempore deſcripturus eſt.

3. EIVSDEM *deſcriptio Lernaeae* Gadi Callariae LINN. *branchiis firmiter inhaerentis.* Singularis eſt ſtructurae: corpus eius ventriculi humani formam aemulatur. Caput tentaculis tribus vel quatuor inſtruitur, iiſque firmiſſime branchiis inhaeſit; altera parte liberum eſt animal atque in feminis affixa ſunt ouaria, inſtar tenuiſſimorum inteſtinulorum conuolutorum inferiori corporis parti adhaerentia. Iam Cl. Auctor coniicit, hanc a ſe deſcriptam Ler- p. 57.

 naeam

*) vid. EIVSD. ſelect. ſtirp. Americ. hiſt. Vindob 1763. pag. 82. comm. noſtr. Vol. XII. p. 235.

naeam cum *L. branchiali* LINN. eiuſdem eſſe ſpeciei; quod confirmatur ex comparatione, quam nos cum icone a STROEMIO in *Sondmor* t. I. f. 18. data, inſtituimus: differt tamen, quod Lernaea branchialis maior ſit, neque Cl. Auctor os circulare animaduertit, quod STROEMIVS indicat. Elegantibus figuris Cl. Auctor varia animalcula depingi curauit.

p. 62. 4. EIVSD. *relatio de cimice nigro bruno, in Strobilis Abietis hybernante et* LOXIAE Curuiroſtrae *pabulo inſeruiente.* Eſt *Cimex abietis* LINN. thorace ſupra ſcutelloque nigro: femoribus anterioribus craſſioribus, dentatis. Hoc cibo valde calido, inſtar aphrodiſiaci, *Loxias* veſci Cl. Auctor exiſtimat, quo ad coitum et generationem nouae prolis in tam frigida tempeſtate opus habent. Icon hic data eſt bona.

p. 69. 5. COLINI *deſcriptio quorundam Encrinitarum, in muſeo Sereniſſimi Electoris Palatinatus reperiundorum.* Primo negat Cl. Auctor *Vorticellam Encrinum* LINN. eſſe protypum huius petrificati: verum Palmam marinam a GVETTARDO *) et ELLISIO **) deſcriptam, illius Encrinitae, qui caule ſit angulato, habendum eſſe protypum; alterius vero caule cylindrico, etiamnum ignorari. Deinde ipſos *Encrinitas* deſcribit, et iconibus illuſtrat. Prima eſt noua ſpecies *caule ramoſo*, articulis quinquangulis, Altdorfi in Calcareo inuenta: eam Cl. Auctor elegantibus iconibus illuſtrat eiuſque ſtructuram in minoribus partibus deſcribit, quam tamen hic, cum iconum explicatione egeant, perſequi non poſſumus. Alterum exemplar, quod hic natu-

*) Mém de l' Ac. Roy. de Par. 1755.

**) Phil. Tranſ. Vol. 52. P. I. 1761.

naturali magnitudine depictum eſt eiuſdem ſpeciei, quam LINNAEVS *Helmintholithum portentoſum* *) nominat; ſed notabile propter inſignem magnitudinem, quam habet ſex pedum et ſeptem pollicum, caulis verſus caput ſ. faſciculum confertum, craſſior fit; rami in faſciculo ſunt expanſi. Deinde de Protypo Encrinitae diſſeritur, atque exiſtimat illum fuiſſe Polypum marinum, qui eandem facultatem ſe multiplicandi habuerit, quam polypi aquarum dulcium ſ. *Hydrae* LINN. poſſident. Quod praeſertim ex eo, quem HIEMER deſcripſit, Encrinita demonſtrare ſuſcipit Cl. Auctor. In Encrinita, qui in Muſeo Electorali reſeruatur, in corona etiam parua veſtigia conſpiciuntur, quae de ramificationibus animalis teſtantur; ſed in caule Cl. Auctor nullum communicationis cum alio ſignum inuenire potuit.

In encrinitae corona, cuius rami conferti erant, obſeruauit, articulos ramorum iuxta baſin integros eſſe; poſtea vero in media parte ad longitudinem diuidi ita, vt altera pars alteram inuicem ſuſcipiat, vti in Mytilo Criſta galli: eandem ſtructuram nos in omnibus encrinitis, corona clauſa inſtructis reperimus.

Denique foſſile petrificatum depictum et deſcriptum ſiſtitur, quod multiradiatum, ex articulis multis teretibus compoſitum eſt: Verſus baſin radii ſunt conuoluti, ita, vt ne eorum coniunctio quidem conſpici queat. Ex quolibet articulo vtrinque alternatim radius minor, ſetae articulatae ſimilis exoritur. Pappenheimii in calcario ſciſſili repertum eſt hoc exemplar. In opere Knorriano **) ſimilia



*) vid. EIVSD. Syſt. nat. III. pag. 169. Deſcriptum eſt ab HIEMER in diſſ. Caput Meduſae, nouum diluuii vniuerſalis monumentum. Stutgard. 1724.

**) *Sammlung von Merkwürdigkeiten der Natur* 1755. Part. I. tab. 34. a. n. 1. et Part. II. Sect. 2. 1769. Tab. L. 1.

ſimilia deſcripta ſunt. Exiſtimat Cl. Auctor protypum huius petrificati eſſe aſteriam ſeu alium polypum marinum, etiamnum incognitum. Nobis ſtructura videtur affinis eſſe *Sertulariis* vel *Corallinis* LINN.

p. 106. 6. IOANNIS DANIELIS FLAD *hiſtoria naturalis vermis ceraſorum, et inde natae muſcae.* Primo oſtendit, muſcam hanc quidem, a REDI, REAVMVR et LINNAEO eſſe indicatam: ſed imperfecte tantum deſcriptam. LINNAEVM perperam *Muſcae Ceraſi* tribuere habitaculum in Ceraſi nucleis, cum pulpa tantum veſcatur, et, vti etiam iam LINNAEVS habet, ex verme *Curculionem druparum* naſci. Obſeruauit Cl. Auctor locum, vbi vermis ex ouulo natus in ceraſum ingrediatur, eſſe prope a pedunculo, vti etiam vulnuſculum conſpiciatur, et interdum duos vermes in vno ceraſi fructu vidit. Non vero omnia ceraſa, ſed dulcia et ea ex acidis, quae pulpa rubra inſtruuntur, hac larua infeſtari vidit. Cutis exterior ſegmentis duodecim diſtincta eſt; pedibus caret, interim non in dorſi latere ſerpere poteſt. Larua ſatis adulta, ex ceraſo per idem, quo in illud intrauit foramen, egreditur, et ſub terra in pupam ouatam luteam mutatur, ibique per decem menſes latet, atque tum muſca prouenit, alis faſciis quatuor inaequalibus fuſcis inſtructa, vti LINNAEVS eam deſcribit. Poſt ſex dies femina, quae aculeo inſtruitur, ouis ponendis apto, in ceraſo oua intrudebat. Iconibus bonis, *Larua, Pupa* et *declaratum inſectum* naturali et aucta magnitudine delineatur; id vitii tamen ſubrepiſſe videtur, vt antennae, quae ſetariae eſſe deberent, hic ramoſae pictae ſint.

p. 116. 7. *De propenſione plantarum ad copulam*, Auctore FRIDERICO CASIMIRO MEDICO. Propen-

ſione

ſione hac ad copulam plus, quam irritabilitatem, potius ſenſus cuiuſdam ſpeciem indicari putat Cl. Auctor. Prima parte obſeruationes ſuas tradit, quibus acceſſionem ſtaminum ad piſtillum, huiusque iterum ad illa, irritabilitatem vtrorumque, et affinitatem harum proprietatum demonſtrat. Deinde has proprietates non incongrue inſtinctum artificialem plantarum nominari poſſe aſſerit, regulaſque tradit, quae in obſeruandis his phaenomenis attendendae ſint.

Magnus numerus plantarum eſt, in quibus ſupra dictas proprietates tum poſt alios Auctores, tum ſolus et primus obſeruauit, e quibus quaſdam tantum nominare licet. In *Hyoſcyamo aureo*, et reliquis huius generis ſpeciebus, ſtamina primum pendula, polline maturo, erigi, et ſucceſſiue antheris ad piſtillum moueri. Succeſſiuum motum etiam in *Fritillaria perſica* (nos in pluribus Fritillariae ſpeciebus) *Polygono orientali*, et *Tamarice gallica* vidit. p. 117.

In *Tilia Americana* inter nectaria et petala poſita ſtamina, a piſtillo nectariis ſeparantur, ſed maturo polline, antherae ſubito ad ſtigma accedunt. In *Ruta graueolente* et *chalepenſi*, quatuor ſtamina exteriora ſimul ad ſtigma mouentur, atque haec ſuccedunt quatuor minora interiora. p. 119.

*Zygophylli Fabaginis* ſtamina, aperiente ſe flore aequalia ſunt longitudine; poſtea ea, quae germini ſunt maxime propinqua, celerius creſcunt, filamentis in arcum flexis; quibus adultis, ſingula ſucceſſiue extenduntur, et antherae piſtillo apponuntur.

In *Agrimonia Eupatoria et repente*, corolla euoluta, ſtamina ſimul reclinantur; antheris autem rubentibus redditis, eleuantur ſtamina ſimul et piſtillo propiora fiunt; et tum inferiora ſex ſtamina perſiſtunt, ſuperiora vero magis in fornicem p. 122.

flectuntur ſuper piſtillum. Atque hic motus celeriter a horis matutinis ad tertiam pomeridianam abſoluitur. Similem motum in *Riuina humili* et *laevi* vidit.

p. 123. In *Nigella ſatiua* piſtilla ſtigmatibus recuruantur et ad ſtamina mouentur, copula perfecta, iterum ſtigmata recedunt. Cum vehementia quadam piſtilla in *Sida Indica* petala reflectunt, eriguntur et ſtaminibus ſe vniunt. *Turnerae vlmifoliae* piſtilla tria conferta et erecta ſtigmata primum ſunt, deinde vero, polline perfecto, expanduntur, et pollen quaſi inſpirant. Hunc Piſtilli motum ad ſtamina in Paſſifloris, Oenotheris et Hibiſco obſeruauit.

p. 126. In *Boerhauia diandra*, quae vero ſaepe triandra eſt, motum ſtaminum et piſtilli ad ſe inuicem vidit. Mane et veſperi vtraque ad latera floris poſita ſunt; circa horam decimam ſtigma in medium florem mouetur, illic ſtaminibus huc flexis obuiam venit, et tam firmiter adhaeret, vt adnata videantur. Atque hunc motum in Maluaceis floribus omnibus conſpici aſſerit.

p. 128. Irritabilia ſtamina vidit in *Berberide vulgari* et *orientali*, in quibus, attacta filamenti baſi illud ſubito antrorſum ad piſtillum flectitur: quin imo ſi efflореſcentis floris petalum decerpitur, totus flos contrahitur et ſtamina ſtigma amplectuntur. *Kalmiae latifoliae* et *anguſtifoliae*, parum eleuatis filamentis, antherae explodunt pollen ſeque ad piſtillum flectunt.

In *Cacti* ſpeciebus quoque ſtaminum irritabili-
p. 130. tatem obſeruauit. *Ciſti Helianthemi* filamenta iuxta baſin irritata, lente verſus petala expanduntur, poſtea vero vehementius ad piſtillum contrahuntur. Matutino tempore, etiam in abrupto a ſtirpe flore et tempeſtate frigidiuſcula haec irritabilitas

maxime

maxime eſt conſpicua. In *Ciſti apennini* filamentis hic motus celerior et vehementior eſt, vti quoque in *Ciſto ledifolio*, vbi vehementer expanſa filamenta, celerrime etiam ad piſtillum recedunt. In plurimis ad *Syngeneſiam* LINN. pertinentibus plantis, irritabilitas ſtaminum obſeruatur.

In *Martinia* et *annua perenni* et *Bignonia Catalpa* ſtigmata irritabilia ſunt. *Lobeliae ſyphiliticae, erini*, et *erinoidis* ſtigma, non eſt truncatum, vti LINNAEVS dicit, ſed bifidum, lobis ſemirotundis piloſis: hi lobi expanſi, attacti protinus contrahuntur. p. 268. p. 133.

Has proprietates, irritabilitatem et motum, ſibi affines eſſe, demonſtrat ex plantis, in quibus filamentum mobile, anthera irritabilis eſt, vti in *Vrticis Spinacia, Parietaria* et *Atriplice patula*: et ex iis, in quibus ſtamina et irritabilia, et per ſe mobilia ſunt: huc pertinent *Forſkohlea tenaciſſima*, cuius floris partes tomento tantum ſecum connexa ſunt, ſtamina autem, quae tantum ſemper octo adſunt, prius arcuata lente mouentur, donec lanam anthera egreſſa ſit, quo tempore, ſubito exſilit, pollenque cum ſonitu explodit. *Ciſtus incanus* et *albidus* ſtamina mobilia offert, quae, ſi irritantur, ſenſibilitatem monſtrare videntur, et ſtigmati firmius opponuntur. Idem de *Agrimoniae, Parietariae* et *Sidae*, quae ſupra nominatae ſunt, ſtaminibus valet. p. 135. p. 267.

In altera huius tractationis parte primo enumerat Auctores, qui quaedam horum obſeruatorum iam inſtituerint, a IO. BAVHINO*), (a. 1600.) ad LESKIVM**) vſque (a. 1773.). In *Caſſia*, cui LINNAEVS motum piſtilli tribuit, contrarium vidit, cum Caſſiae piſtillum ſemper in eodem ſit ſitu. p. 146. p. 150.

ADAN-

*) Hiſtor. plantar. vniu. Tom. II. p. 976.

**) Diſſ. de generar. vegetab. vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 558.

p. 155. ADANSONVS, praeter alia, etiam *Seſamo* omnibusque ſtigmate bilobo inſtructis, irritabilitatem ſtigmatis adſcribit: ſed in *Seſamo Indico* inſenſibile ſtigma, vti in aliis multis ſtigmate bilobo Cl. Auctor vidit.

p. 164. Altera ſectione Cl. Auctor iudicat, a veteribus non cognitum fuiſſe ſexum plantarum, atque optime demonſtrat IOACHIMVM IVNGIVM, Germanum, cuius merita male plerumque aeſtimari ſolent, primum veram de partibus floris ſexualibus ideam habuiſſe: GREWIVM quidem antheras recte partes maſculinas habuiſſe; ſed in Syngeneſiae floribus minus recte piſtillum dicere maſculam partem. CAMERARIVM deinde, vti iam KOELREVTERVS probauit ſupra, ſuis experimentis, itemque IOANNEM FRIDERICVM BVRKHARDVM, Iungianum inuentum confirmaſſe.

Tertia ſectione, ex motu radicis verſus pinguem terram, adſcenſu caulis, motu multiplici foliorum, florumque adſcenſu probare annititur, eſſe motum arbitrarium atque ſenſum in plantis, quum adſint obſeruata, (quae vero Cl. Auctor non commemorat,) motum non oriri, neque impediri a cauſſis internis. (Interim negari non poteſt frigore et calore, humida aut ſicca tempeſtate magnopere vel mutari, vel tolli motus diuerſos, in plantis.) Perperam ideo plantis denegari ſenſum, inquit, quoniam neruis careant, vel vitam, cum circulo humorum priuentur; ad haec medullam plantarum cum ramis, neruis eſſe analogam, neque vitam
p. 190. cogitari poſſe ſine ſenſu. Cauſſam denique irritabilitatis, motus voluntarii, et ſenſus, eſſe ſubſtantiam, a materia diuerſam, atque iuxta omnia analogiae praecepta eſſe animam vegetabilem. Mechaniſmum plantarum, neque ad praecepta dynamica

dynamica neque phyſica, ſed ex organiſatione, vi actiua in motum poſita, explicari debere.

Nos noſtrum conſulto ſuſpendimus iudicium de hac denuo, multoties tamen ab aliis philoſophis iam dicta, de plantis opinione: phaenomena autem congrue ad LINNAEI, Phil. Bot. §. 133. p. 88. HALLERI et LVDWIGII praecepta explicari poſſe exiſtimamus.

8. *Obſeruationes Botanicae*, Auctore EODEM. Primo nouas ſpecies deſcribit, vt *Verbenam obletiam*, tetrandram, ſtigmate bifido, caliceque quinquies ariſtato. Indicata iam haec planta ſupra *) a nobis eſt, cum a ROZIERO collectas tractationes recenſebamus: *Oenotheram repandam*, foliis inferius profunde ſinuato dentatis ſuperius plerumque integris ouatis tomentoſis. Similis haec eſt *Oenotherae ſinuatae* LINN. Mantiſſ. II. p. 228. Syſt. Nat. XIII. p. 296. ſed differt foliis omnibus ſumme repandis, ſeſſilibus et amplexicaulibus, atque eo, quod diu dormiat, noctu autem vigilet, quod contrarium in *O. ſinuata* reperitur iis denique characteribus, qui in definitione indicati ſunt: p. 193. p. 194. p. 198.

*Cotyledonem integram*; octandram, foliis omnibus integris magnis craſſis, cochleatis margine aut integro, aut parum crenato floribus quadrifidis. In eo praeſertim a *Cotyledone laciniata* LINN. differt, quod *integra* multos ramos floriferos protrudat, *laciniata* autem vnicum tantum caulem floriferum. In Catalogo horti Pariſienſis manuſcripto ſpecies haec iam indicatur, *Cotyledon aegyptiaca fruteſcens foliis ſubrotundis, flore coccineo vmbellato.* Ill. ADANSONVS *Kalanchoe* nominat, et a Cotyledone hanc et laciniatam ſeparari vult: *Arenariam muſcoſam, caule repente, flore longe pedunculato, vnico nudo,* p. 200. p. 202.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 276.

*nudo erecto*: foliis oppoſitis ouatis, petiolatis, vltimis ſeſſilibus, inferius glaucis, ſuperius villoſis. Forte ab Ill. HALLERO *) indicata eſt. Martio floret. *Nepetam mollem*, verticillis pedunculatis, trunco adpreſſis, craſſiſſimis, tomentoſis, foliolis oblongo lanceolatis anguſtis: differt a *N. violacea*, quod procumbens, et tomentoſa ſit, bracteaeque anguſtiſſimae, lanceolatae.

p. 235. *Alceam procumbentem, caulibus procumbentibus, foliis petiolatis, aut erectis, aut patentiſſimis.* Propinqua eſt *Maluae roſeae, folio ſubrotundo* etc. MORISONI Hiſt. Plant. P. II. p. 524. differt tamen in eo, quod haec fere nullos, *Alcea procumbens* vero multos habeat caules: interim tamen Cl. Auctori hae duae plantae vnam eandemque ſpeciem conſtituere videntur.

p. 244. *Ambroſiam fruticoſam*; cui maſculi flores compoſiti ſunt, et ſtamina tota in tubum cylindricum connata, vt inde, *monadelpho — ſyngeneſia* oriatur: feminei, infra maſculos in vna ſpica. Propenſus eſt Cl. Auctor, vt nouum genus ex hac ſpecie conſtitueretur, cum vero reliquas *Ambroſias* diſquirere Ei non licuerit, differentias indicat. *Ambroſiae fruticoſae* receptaculum eſt paleaceum, femineis floribus nullus calix, germina autem duo, ſtili duo et ſtigmata quatuor, nux bilocularis, et ſemen oblongum. Quae omnia in *Ambroſiis* alia ſunt, vt ex LINNAEI Generibus cuique cognoſcere licet. Specificum characterem hunc tradit Cl. Auctor

p. 247. *Ambroſia fruticoſa* trunco lignoſo, ramis herbaceis, ſpicis ſolitariis multis; quibus differentia fructificationis, iam indicata addatur.

Nouum

*) Hiſt. Stirp. indig. Helu. p. 386. ſub no. 877. Alſine, caule erecto, proſtrato, foliis ouatis, a qua tamen differt, cum, HALLERO ipſo auctore, ſit tenerior, et pedunculis longioribus, foliis lanceolatis inſtructa.

Nouum genus praeter *Spielmanniam*, fecit *Pyrethrum*, quod inter *Spilanthum* et *Bidentem* medium eſſe vult; charactere hoc: *Receptaculum conicum, paleaceum, paleis perſiſtentibus, corollis quadrifidis ſaepius quinquefidis mixtis.* A *Cotula*, *Eclipta* et *Verbeſina* praecipue differt, defectu florum femineorum. Huic generi ſpecies has ſubiicit: 1) *Pyrethrum bidens, corollulis omnibus quadrifidis, foliis ouatis, parum repandis hinc inde crenatis.* Haec noua ſpecies eſt, a *Cotula pyrethraria* LINN. Mant. I, (quam in Syſt. veget. XIII. omiſſam, vel conſulto neglectam deprehendimus) differt foliis carnoſis flore luteo. 2) *Pyrethrum ſpilanthum*, quod eſt *Spilanthus oleracea* LINN. quae etiam a Cl. IACQVINO in *horto Vindobonenſi Vol. II. p. 63. tab.* 135. *) deſcripta et depicta eſt. *Pyrethrum acmellam*, quod eſt *Verbeſina acmella* et *pſeudo acmella* LINN. p. 237. p. 241. p. 273.

Praeterea characterem genericum *Lantanae* mutauit et correxit ita: Flores multi, longi, in capitulum oblongum pedunculatum collecti. Calix, antherae et ſtigmata minima. Drupa tribus loculamentis compoſita, quorum duo ſuperiora ſemen continent. Species huius generis aſſumit ſequentes, quorum ſynonyma, deſcriptiones et icones dat, et ab aliis data emendat. *Lantanam trifoliam* LINN. *Lantanam involucratam*, caule inermi lignoſo, foliis oppoſitis, orbiculatis, leuiter crenatis, ſpicis folioſis, floribus carneis mutabilibus. PLVKEN. *Almag. Tab.* 114. *f.* 5. *Lantanam flauam*, foliis cordato acuminatis, rugoſis, piloſis, profunde crenatis, crenis repandis: corolla flaua non mutabili. DILL. *hort. Elth.* tab. 57. f. 66. *Lantanam ſplendentem* foliis ouato oblongis, ſplendentibus, floribus flauis, in croceum colorem mutabilibus. DILL. H. E. t. 57. p. 220. p. 225. p. 226.

*) Indicabimus pretioſiſſimum hunc librum, vti et *Floram Auſtriacam* EIVSD. proxime.

t. 57. f. 67. *Lantanam miſtam*, foliis ouato acuminatis rugoſis aſperis colore florum a croceo in purpureum ſeſe mutante DILL. H. E. tab. 56. f. 64. *Lantana camera* foliis ellipticis, non multum rugoſis parumque aſperis, ramis iunioribus aculeatis, colore floris e citrino in roſaceum mutabili DILL. H. E. p. 65. tab. 56. fig. 65. *Lantanam ſanguineam* caule aculeato, aculeos tractu temporis deponente, colore ſanguineo, limbo florum ſolo ex colore croceo in ſanguineum ſe mutante. *Lantanam aculeatam* LINN. Pluribus oſtendit Cl. Auctor in Lantanae ſpeciebus colorem florum certum praebere ſignum ſpecificum.

p. 204. Praeterea etiam *Teucrii* tredecim ſpecies ad exempla ex horto Palatino deſcribit, *Teucrium Aſiaticum*, *maſilienſe*, *ſcorodoniam*, *marum*, *multiflorum*, *flauum*, *purpuraſcens*, *ſeu flauum var.* β. LINN. *lucidum*, *virginicum*, *chamedrys*, *luſitanicum* et *polycephalon*, quod BARRELIERVS *) habet; eſt hoc capitulis multis, per totum ramum pedunculatis, imbricatis oblongis: calice dentibus rigidis, erectis, inaequalibus et ſumme villoſis; ſtaminibus diſtantibus, flore incarnato rubro. Ex his deſcriptis plantis, delineatae ſunt nouae ſpecies, quas diximus, deinde *Teucria*, *aſiaticum*, *Maſilienſe*, *purpuraſcens*, *lucidum*, *virginicum*, *polycephalon*; *Pyrethrum ſpilanthus*, *P. Bidens*, et *P. Acmella*.

p. 267. Vtrique huic commentario Cl. Auctor adnotationes quaſdam addit, in quibus vel recentiſſima botanicorum obſeruata cum ſuis comparat, vel quaedam certius definit, quorum notatu digniora nos ſuis locis inſeruimus.

9. *De*

*) Plant. p. Galliam et Ital. obſeru. pag. 35. n. 338. Ic. 1083.

9. *De generatione Filicum obſeruationes, Auctore* p. 275.
Cl. DE NECKER. Cl. Auctor, cuius merita in botanicam ex aliis ſcriptis, deliciis nempe Gallicis, et Phyſiologia muſcorum, quae etiam a nobis indicabuntur, ſatis cognita et perſpecta ſunt, in hoc commentario notiones illic demonſtratas vlterius confirmare ſtudet, atque negat, omnibus plantis eſſe datas partes ſexuales, neque vlla in iis reperiri ſigna foecundationis.

Prius ſuas tradit obſeruationes, poſtea rationes et definitiones fructificationis in filicibus ab aliis datas recenſet: quae, cum mirum in modum a ſe inuicem diſcrepent, incertam omnem de ſexu filicum eſſe doctrinam, demonſtrent. Cl. Auctor mauult, p. 286.
*Cryptogamiam* LINN. dici Agamiam ſ. Pſeudogamiam, cum in iis plantis ſint limites vegetationis, vt in vermibus, ab Ill. MÜLLERO deſcriptis, animalitatis: iisque animale et vegetabile regnum attributis phyſicis iisdem vniri: Se nouiſſime obſervaſſe corpora organiſata, in quibus ſigna ſint mineralis et vegetabilis; alia, quae vegetabilia et animalia ſimul ſint, ideo, quod vegetent, et creſcant ſucco nutritio, qui iuxtapoſitione iis adhaereat, et origo eorum tam vegetabilis, quam animalis ſit: Quaenam autem haec ſint corpora Cl. Auctor nondum indicat.

Omnia corpora organiſata oriri, vel concurſu p. 287.
duplicis ſexus, vt animalia maiora; vel ſine foecundatione, ſola euolutione, vti vermes, polypi vulgo dicti, et cognita vegetabilia: non itaque opus eſſe copula in plantis. Plantas in duo ordines diſtribuit, quorum prior viuiparas comprehendit, alter ouiparas. Ouiparae 1) vel ſe continuant attributis viſibilibus, i. e. ſi ſemen quadam parte adhaeret plantae, a qua oritur, vel inuiſibilibus, ſi principia plantae latent ſub terra, donec quodammodo

aucta ſint: 2) vel floriferae ſunt, ſed ſemina non proferunt; 3) vel ne veſtigium quidem fructificationis oſtendunt. Viuiparae 1) quaedam attributa oſtendunt, quae pro mare et femina habentur, etſi minime experientia id probatum ſit. 2) vel in extremitate aut folii ſuperficie partes habent, quas ſyſtematici fructificationis eſſe dicunt. 3) vel parte fructificationis, et ſemine carent.

p. 290. Etſi Cl. Auctor MORISONI, TOVRNEFORTII et DILLENII experimenta, quibus ex puluere filicum nouas ſtirpes eiusdem generis naſci viderint, non negat: dubitat tamen ſemper hanc rationem locum habere: nam ipſe cum puluere *Oſmundae regalis*, *O. lunaris*, *Ophioglosſi vulgati* et *Pteridis aquilinae* idem experimentum inſtituit, quod tamen ſucceſſu caruit *). Contra vidit in duabus diuerſis plantis, quas vero, quod dolendum, non nominat, verſus extremitatem partis carnoſae protuberantiam cinctam extremitate inferiore cauliculorum plantae ſolitarium. Perforabat haec protuberantia quaſi cuticulam, ita, vt aucta fieret planta, ſimilis ei, a qua producta erat. *Pteridis aquilinae* ſubſtantia carnoſa nuda eſt, atque fibris interſtincta, et producit aliam, quae verticaliter ad ſex pollicum longitudinem ſub terra aſcendit, propriiſque radicibus inſtruitur: ex qua duo, nudi, plumis ſimiles, albeſcentes ramuli oriebantur, qui euoluti plantam integram offerebant, eademque pars verticalis poſtero anno nouas plantulas producebat: atque ita propagatio continuatur, donec ſubſtantia corticalis plane ſit exhauſta. Quodſi filicis huius pars

*) At vero non licet propter experimentum, quod effectus nullus ſequutus eſt, dubium reddere euentum alius experimenti: quoniam multae cauſſae adeſſe poſſunt, quae ſucceſſum impedierint, quibus ſublatis euentus rei felicior futurus eſſet.

pars carnoſa in locis cultis aratro aut alio modo tranſuerſim in plura fruſta diſſecetur, multiplicatio augetur. In quolibet fruſto enim collectio nouarum plantarum latet, quae non niſi nutritione egent, vt euoluantur: numerus indiuiduorum, quae ex ſingulo fruſto oriuntur, a ſubſtantia corticali pendet, et a multitudine vaſorum, ſuccum nutritium ſugentium. Quae cum fiunt, ſubſtantia corticalis denuo formatur, et augetur, ita, vt hoc modo generatio continuet, abſque pollinis foecundatione.

*Oſmundae regalis* puluis ſatus, vti diximus, non germinauit, ſed ex plantis in ceſpitibus iuniores plantulae productae erant. Non enim poſſe, ait Auctor, plantam ex ſemine natam, primo anno iam in ceſpite collectam reperiri. Reliquae plantae huius claſſis *Polypodium mas*, *femina*, *fragile*, *dryopteris*, et ſimiles *Oſmundae regali* nectuntur in generationis ratione. Squamas in *Polypodio mare et femina* defendere putat ſubſtantiam corticalem a terrae iniuriis. Pars carnoſa P. *dryopteris* eſt inaequalis, atque rugas fertiles emittit, ex quibus nouae plantae fiunt. *Polypodium vulgare* ſimiliter in parte carnoſa, ſubterranea ſquamis, cingitur, quae poſtea nuda fit, et tuberculata, tuberculis primo truncatis, poſt conuexis: tubercula haec ſunt principia nouorum indiuiduorum.

His praemiſſis *Marſilaeae* characterem dat, qui Linnaeano eſt plane contrarius: *Marſilaeae*, *pro mare* pili tres, aut quatuor articulati ab initio verſus apicem incuruiuſculi, dein rectiuſculi, ex papillis ſingulis ſupremae foliorum paginae egredientes. *Pro femina* globi in medio radicum infimae paginae, ſolitarii vel plures, in quorum cauitate corpuſcula plura. *Gemmatio* ex apice plantae ba- p. 296.

 ſique

ſique laterali oppoſitorum foliorum, ſolitaria, ouata, ac pediculata. Speciem, quam vnam tantum aſſumit, dicit M. *Saluinioïdem*, *foliis oppoſitis*, vtrinque piloſis, longe radicatis globiferis: tab. XIX. picta eſt. Omnino itaque LINNAEO repugnat, atque negat antheras et ſtigmata, eosque glomerulos, vel ſtylos, quos LINNAEVS in Mantiſſa p. 506. deſcribit, nihil eſſe, niſi eminentias foliorum pilis inſtructas. Comparat iam GVETTARDI obſeruationes cum ſuis iiſque adſentitur, praeter quod neget in globulis maioribus et ſuperius ſitis contineri antheras, et in minoribus et inferioribus piſtilla, vti GVETTARDVS contendit: nam fecundationem ſic non fieri poſſe, cum inſuper globuli hi nunquam dehiſcant, piſtillaque careant ſtylo et ſtigmatibus. Praeterea ſeparandam exiſtimat Auctor *Marſilaeam* a filicibus, quoniam et eae partes, quas loco antherarum et piſtilli habet, alia ratione ſtructae ſunt, et, quod praecipuum eſt, quoniam principia nouae plantae non circinata ſ. conuoluta ſunt, vti in filicibus, ſed eo modo ſe euoluunt, quo plures leguminoſae plantae.

p. 303. *Zaluzianſkiae* *), nomine intelligit *Marſilaeam quadrifoliam* LINN. cum characteres omnino a priori genere differant. Eſt enim huic corpuſculum commune ouale, coriaceum, biloculare, planiuſculum filamenti terminale ad latus plantae, duo corpuſcula, quae ſexus vterque putantur. *Gemmatio*. Initialia plantae coarctata, circinata, ſemper praeſentia. Speciem dicit *Z. marſiloidem*, foliis terminalibus quaternis vtrinque glabris, capitulo petiolari ſolitario.

Iam

*) Dictum hoc genus eſt, in honorem ZALVZIANSKY, Botanici Poloni: qui *methodum* herbariam, 1592. Pragae edidit.

Iam de *Equiſetis* agit Cl. Auctor, quae duplices ſurculos, alios ſubterraneos, quos alii perperam radices nominent, alios extra terram emittere dicuntur. In quolibet articulo, ſi is transſecatur, medio foramen, cinctum paruis punctis ſub forma radiorum, conſpicitur. In peltis caulis floriferi *Equiſeti* continetur puluis, qui, ipſo Auctore fatente, microſcopio diſquiſitus, elaſtica vi pilorum, quibus affixus eſt, exſiliat. Saepe ex ſurculo ſubterraneo nihil niſi caules ſteriles, ſine capitulo florifero germinant: ſyſtematicos itaque inductos eſſe in errorem, opinantes, caules floriferos et ſteriles ex diverſis naſci radicibus. p. 304.

Recenſitis et impugnatis HALLERI, OEDERI, ADANSONI et LINNAEI definitionibus de partibus fructificationis in equiſeto: putat ex ſurculo ſubterraneo, tanquam parte eſſentiali, reparari perpetuo plantam, vnde gemmae protrudantur, et cuius fertilitas non ſolum a quantitate vaſorum nutrientium in articulis poſitorum, verum etiam a congruo ſitu ipſius ſurculi pendeat. Si enim nimis profunde ſub terra latet, principales partes euolui nequeunt. Hos ſurculos ſubterraneos in *Equiſeto*, vti quoque in *Tritico repente*, eſſe *Hydras* regni vegetabilis. Denique Equiſeta a filicibus ſeparari vult, propter fructificationis diuerſam rationem, ſeminaque iis denegat. Ex his ſequi putat Cl. Auctor Filices, Marſilaeam, Zaluzianskiam et Equiſeta ex ſyſtemate ſexuali eſſe excludendas, atque Filices polyparos eſſe, pulueremque in foliis reperiundum, non ſemen ſed ſemini quidquam analogum eſſe. Depicta hic ſunt Marſilaea, Equiſetum aruenſe et hyemale. p. 309.

10) *Obſeruationes Gnomonicae*, Auctore Cl. WALLOT. p. 319.

## II.

L' art du deſtillateur des eaux fortes. Par Mr. DE MACHY à Paris MDCCLXXIII. fol. c. fig. aen. 12. pagg. 198.

i. e.

Ars deſtillandi ſpiritus acidos. Auctore Cl. DE MACHY.

Continetur hoc opere non ſolum, vt inſcriptio docet, ars deſtillandi ſpiritus acidos vitrioli, nitri, ſalis et aceti, ſed exhibentur inſuper praecepta in copioſiori praeparatione ſpirituum inflammabilium, aromaticorum, acidorumque dulcificatorum; nec non oleorum aethereorum et camphorae, aquarum porro abſtractitiarum obſeruanda; et quae ad ſicca quoque et ſolida producta chemica in copia elaboranda pertinent. Adiunxit praeterea Auctor tum officinarum, in quibus parantur, tum inſtrumentorum et enchireſium egregiam deſcriptionem, iconibus nitidis magis illuſtratam. In his vero recenſendis non meri forſitan hiſtorici munere fungitur, qui, quae vel vidit, vel inaudiuit, enarrat; ſed indicem agit atque magiſtrum, qui ipſe experimenta cepit et cur ſic potius, quam aliter procedendum ſit, ſedulo indagauit. Et quamuis Cl. Auctor modeſte fateatur, quum, quae proponit, inuenta ſint iam antea, ipſi nullam deberi gloriam, quam forte hanc, quod bene obſeruarit, clare deſcripſerit, et ad noua detegenda quaedam viam ſtrauerit, eſt tamen et huius rei laus certe non vltima.

p. 20. Seligimus vero ex toto opere quaedam, quae in communes vſus cedere poſſe putamus. Ad aquam fortem parandam laudat potiſſimum argillam

lam gryſeam ſtriis rubris intercurrentibus quaſi marmoream redditam. Pluribus tamen experimentis edocet, non acido vitriolico, vt quidam putant, argillae tribuendam eſſe vim in expellendo acido nitroſo vel muriatico. Quibus artificibus puriore, quibus impuriore aqua forti opus ſit, enarrat. Aceto deſtillato cuprum ineſſe ſpiritus ſalis ammoniaci detegit, ſtannum color opalinus. Enarrat modum e ſulphure parandi acidum vitrioli. p. 36. p. 36.

Bene obſeruat liquorem vinoſum, e quo velis parare ſpiritum vini, ebullire debere, alias merum obtineri phlegma, quale ſemper praecedit ſpiritum vini; inde vero, paullo, vt videtur praecipitantius, infert Spiritum vini vino ipſi nondum ineſſe, ſed produci demum inter deſtillandum actione caloris in quaſdam partes vini iam fermentati. p. 65.

Purificationem camphorae enarrat multis. Alia Summatrana eſt, alia Borneenſis. Vltima vnguinoſior, minus ſicca, ex fruſtulis paruis ſolitariis, ſemipellucidis fragilibusque conſtans, calore penetrantem odorem diffundens, tardius, ſed cum diuturnitate ardens et extinctionis difficulter capax. Officina pro camphora depuranda Amſtelodamenſis aream ſiſtit quadratam, decem feneſtris, ſuis valvis claudendis, nimirum a quolibet latere tribus et in aditu et regione aditui obuia duabus, colluſtratam; in iſtius areae interioribus viginti exſtructi ſunt fornaces, octo nimirum, in vnoquoque latere et quatuor in regione foribus contraria. Bini quilibet furni communi vtuntur foco, quem et commune tectum aperit. Cinerarium valde humile. Foci ianua latior, quam altior. Ad ſingulum furnum parietibus adfixum haeret thermometrum. A latere vtroque forium duo mortaria ferrea conſti- p. 76.

tuta ſunt, in quibus vtraque camphorae ſpecies commiſcetur. In medio menſa repoſita eſt et promtuarium vaſorum. Vaſa, in quibus camphora depuratur, ſunt cucurbitae maiores e vitro tenui albo capacitatis decem vel octo ſaltim librarum, ad collum inque baſi planae, colloque inſtructae, quod tres quatuorue pollices patulum eſt.

p. 80. Eſſentiale purificationis camphorae requiſitum verſari monet Auctor in inueniendo temporis momento, quo ſubſtantia volatilis liquefacta in vapores abire incipit. Nunc vero eſſe ait apertis valuis feneſtrarum refrigerium admittendum ad partem ſuperiorem phialae, quo condenſati vapores praebeant firmam baſin, cui et ſubſequuti vapores ſeſe adiungant, qui alias in fundum vaſis refluerent.

p. 89. Spiritum vini ab odore, quem ex commixtione olei aetherei contraxit, quae non raro fieri ſolet, liberare docet adiectis libris duabus cinerum ſarmentitiorum ad duodecim pintas ſpiritus ſic aromatiſati; quae inuicem deſtillata fundunt quidem vnam pintam odorati ſpiritus, cui vero vltra nouem puriſſimi ſpiritus vini ſuccedunt.

p. 92. Aquae ſtillatitiae ſeruandae ſunt in lagenis non nimis occluſis, non ſubere, ſed charta leuiter obturatis, quae alias facile corrumpuntur. Aſſeruatione quoque perit odor empyreumaticus, quam alias fugat quoque lenior calefactio et ſubſequens magnum refrigerium. Fallax examen ſpiritus vini fieri poſſe probat per alcali fixum, ſi multus tartarus vitriolatus inſit; et per puluerem pyrium, ſi in cochleari ad nimiam altitudinem aceruus eius exſtruatur.

p. 102. Caementum aquae fortis eſt argilla in deſtillatione ſpiritus nitri indurata in formam lateris rubri, bene

bene cocti, ſalia tamen ſua adhuc continens. Vtuntur eo ad ſternenda atria pauimentarii et ad colorum in plantis varietatem producendam olitores.

Terram ad polienda ſpecula et alia corpora, quae ſplendere debent, vtilem eſſe caput mortuum a deſtillatione ſpiritus nitri cum vitriolo reſiduum, rubrum, elutriandum elixiuiandumque, licet nondum elixiuiatum melius ſit, ſignificat. p. 103.

Salis mirabilis GLAVBERI libras triginta quinque obtineri poſſe ex libris viginti in aqua ſoluti capitis mortui, quod relinquunt viginti quinque librae ſalis culinaris cum duodecim libris olei vitrioli deſtillatae, confirmat. Et Cl. MONTET experimenta laudat, qui ex cineribus tamariſci magna in copia ſal iſtud Glauberianum eduxit. In ſale SEIGNETTE quaerit, cur nulla cryſtallorum figura aequiuoca fiat, ſi quidem, vt ſtatuunt recentiores chemici, in cremore tartari verum alcali ſit vegetabile? Cur iſtud non mutet figuram? aut quid demum ipſi hic eueniat? p. 112.

Sal ammoniacum, Aegyptiaco ſimile, parari docet ex muria ſalis et ſpiritu vrinoſo, obtento ex deſtillatione ſubſtantiarum animalium, ſcilicet laciniarum panni, ſerici, lanae vetuſtae, oſſium, ſimiliumque. Et quamuis albidius ſit Aegyptiaco, cum fuligine careat, atque hinc a ſtannariis aliiſque artificibus repudietur; monet tamen et horum vſibus adaptari poſſe quarta fuliginis parte addita. p. 120.

Francogallorum *Eau de Luce* parari Auctor docet ex ſpiritus ſalis ammoniaci cauſtici ſingulari lege parati libra vna et tincturae ſequentis vncia dimidia inuicem commixtis. Pro tinctura nimi-

rum conficienda recipiuntur Olei ſuccini rectificati drachmae duae, Balſami de Mecca drachma vna, Alcali fixi per horae quadrantem in mortario triti vncia dimidia, quae mixta digeruntur cum ſpiritus vini vnciis octo. Spiritum volatilem autem ſic iubet elaborari: vt calcis viuae libris duabus vna aquae infundatur; mixta ſtent per noctem, mane ponderanda, quo quicquid libris tribus deſit, aqua adfuſa reſtauretur. His dein admiſcetur ſalis ammoniaci probe triti libra; deſtillatio fiat ex retorta ampli colli, quod charta intus obtucta defenderat ab inquinatione, dum maſſa deſtillanda immitteretur. Abſtrahatur autem libra vna, calore ſenſim augendo.

In parando ſale ammoniaco volatili cretae et
p. 128. alcali vegetabili praefert ſodam. Poſtquam vero Sacchari lactis Heluetici et Lotharingici, ſalis Acetoſellae, Succinique olei ambrae et bituminis Iudaici ex Succini oleo praeparationem expoſuit, in Belgio conſuetam, agit de purificatione Boracis. Tranſit deinde ad praeparata antimonialia et Mercuria-
p. 150. lia. Cinnabarin minio adulteratam cognoſci poſſe monet ex flauore, quem concipiat vſtione relictus puluis. Mercurium ſublimatum corroſiuum parari Amſtelodami et in Anglia methodo Cl. BOVLDVC. Criminationem de arſenico ipſi addito, quippe quod nullius eſſet vtilitatis, falſam eſſe iure aſſerit.

Oſtendit compendia, quibus Belgae vtuntur
p. 157. in conficiendo mercurio dulci. Vtrum mercurius praecipitatus ruber minio adulteratus ſit, ignis tortura ſola non detegit, flaueſcit enim etiam puriſſimus, detegit vero eius cera impaſtati fuſio ante flammam lampadis flatu directam in carbonem excauatam, cui fundenda maſſa inhaeret. Sic enim mercurius auolat, minium vero in globulum plumbeum reſtituitur. Praecipitati albi mangonium per

amylum

amylum vſtio detegit, quae carbonem relinquit; ceruſſam vero admixtam flauedo prodit, quam calx in vſtione reſidua, auolante mercurio, concipit. Reliqua pertinent ad praeparata plumbi, minium ſcilicet vtrumque, lithargyrium, ceruſſam, ſaccharum Saturni, porro ad viride aeris, alumen vſtum, atramentumque fumoſum.

## III.

RVDOLPH AVGVSTIN VOGELS, *weiland Doctor der Philoſophie und Arzneywiſſenſch.* etc. *Lehrſätze der Chemie ins Deutſche überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von* IOHANN CHRISTIAN WIEGLEB *Apothecker in Langenſalze. Weimar bey Carl Ludolf Hoffmann* 1775. 8. *Seit.* 648.

h. e.

Inſtitutiones Chemiae, Auctore Cl. VOGELIO; in vernaculam verſae et animaduerſionibus ditatae a IO. CHRISTIANO WIEGLEB, Pharmacopoeo Longoſaliſſano.

Quum vtique multa contineat, ſuccincta ceteroquin breuitate rerumque copia placens b. VOGELII inſtitutionum chemicarum opus, quae ab experimentorum fide deflectant penitus, vel cum aliqua demum reſtrictione admitti poſſint, neque in lingua vernacula adeſſet aeque rerum locuples compendium chemicum, gratus ſine dubio pleriſque erit, Cl. WIEGLEBII, de chemica arte, multis iam modis, maxime vero ingenuitate ſua, meritiſſimi labor, quem in vertendo et emendando VOGELII libro poſuit. Pertinent autem emendationes iſtae inprimis ad receptas hactenus opi-

niones

niones de eductis atque productis chemicis, ad quae internoſcenda in praefatione vt ſignum certiſſimum, eductorum difficillima vel adeo impoſſibilis, productorum perquam facilis reſolutio in partes conſtitutiuas adfertur.

De b. VOGELII laboribus, vtpote alibi *) laudatis non opus eſt, multa referri. Verſabitur igitur potiſſimum induſtria noſtra in recenſendis iis, quae Cl. WIEGLEBIVS adiecerit correxeritque.

p. 11. Igitur *Gummi Copal* praeeunte LEHMANNO ad bitumina refert et plumbo, ſtanno, ferro, cupro nomen metallorum perfectorum, quamuis ignobilium, recte vindicat. *Platinam* forte iam HENCKELIO notam fuiſſe coniicit. Mercurii fluiditatem ab intime immixta portione aquae repetit; id quod eo magis, miramur, quum in admittendis partibus conſtitutiuis, quas non fidiſſima obſeruatio confirmat, ſed ingenioſa excogitatio inuenit, ſeuerus alias iudex ſit. Omnem plantarum efficaciam ab aethereis ipſarum oleis pendere recte reiicit. Saponaceum quorundam vegetabilium principium, rarius ex oleo cum acido ſale iuncto, frequentius vero ex alcalino ſale ipſi nupto naſci iudicat.

p. 16.

p. 45. Pro elementis corporum chemicis vulgaria habet quatuor; pro terris ſimpliciſſimis, calcaream, magneſiam, aluminoſam et ſilicinam, quarum dotes deſcribit. Primariam terram cinerum plantarum calcaream eſſe credit et argillaceam, quum ſelenitem atque aluminis cryſtallos praebeat; negat igitur eius indolem ſilicinam; vtque putamus, recte. Vitreſcibilis terrae vocabulum ipſi diſplicet, ſi proprium eſſe debeat ſilicinae, quae omnium minime eo nomine digna eſt. Principium ſalinum

*) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 120 ſq.

ſalinum vniuerſale, ex quo reliqua ſalia omnia progignantur, haud admittit, ſed in ignis, terrae et aquae connubio ſalium natales quaerit, aut adeo in ſola luminis materia, quae cum ignea conueniat, ponit. Acidum peculiare aereum negatur, multoque magis natura eius vitriolica.

Phlogiſti accuratior exhibetur deſcriptio. Arſenicale principium terraque mercurialis BECCHERI exauctorantur. Praeter alcalina ſalia, vt ex aliis Noſtri ſcriptis conſtat, etiam ſpiritus vini inter educta refertur argumento odoris aetherei in ſecali et fructibus horaeis obuii, vt fermentatio tantum euoluat, non vero generet. p. 72.

Salia quoque corporum media in eductorum claſſe ponit. De igne vberrima legitur animadverſio, cui etiam ineſt hiſtoria magnae iſtius controuerſiae Blackianorum atque Meyerianorum *) circa cauſticam vim calcis viuae; cuius quidem controuerſiae vltima diiudicatio haec eſt, vt cum leui immutatione vtraque inuicem conciliatur, calxque viua dicatur corpus aere vacuum, ſed materia ignea larga repletum. p. 98. p. 112.

Bolo et Argillae eatenus ineſſe dicit vim acidum nitri et ſalis exturbandi, quatenus vitriolicum contineant acidum. Recentia odorifera vegetabilia aut parum concidenda aut plane non ſunt, inprimis, ſi ex conciſione odoris gratiam perdant. Optimus index apti gradus caloris deſtillatorii, eſt, ſi recipiens vas non calefactum eſt. WEIGELII mercurius e ſpiritu vini gallici obtentus et amalgamationi auri impenſus in dubitationem adducitur. Laudatur quoque ratio parandi aquas ſtillatitias in veſica ad tertiam vnam partem aqua impleta ex vegetabili ſacco incluſo, quem aqua tamen haud attingat. Cohobatio reprobatur. Vt de iuſta olei aethe- p. 181.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 481. 484. 489. 492. 494.

aetherei copia iudicari poſſit altera deſtillatione opus eſt, reaffuſa aqua in priori obtenta ad novam vegetabilis portionem. Exſiccatae herbae plus olei aetherei praebent, quam recentes eiusdem ponderis, quia in recenti ſtatu et nondum ſiccatae maius pondus habebant.

p. 204. Olea aetherea ſuper calce viua vel ſale alcalino abſtracta neutiquam miteſcunt, immo acriora euadunt et quodammodo deſtruuntur. Olea expreſſa aetherea citri, aurantiorum et bergamottae ab iisdem deſtillatis differunt admiſtione ſubſtantiae reſinoſo mucilagineae, quae ipſa paullo et mitiora et gratiora et minus in vini ſpiritu ſolubilia reddit. Viridem colorem, quem oleum balſami de Copaiua vel iuniperinum aliquando contrahunt non tam ex veſica cuprea repetit, quam potius ex viridi aeris, quod forte enatum eſt in canali cupreo per vas refrigeratorium eunte, alias enim ſemper naſceretur neceſſe eſſet in omni deſtillatione ex veſica.

p. 219. Cryſtallinam ſubſtantiam, quam olea aetherea deponunt, modo oleum cryſtallino modo coagulatum; modo ſal verum, modo camphoram eſſe comprobat, ſimulque mentionem iniicit ſalis eſſentialis olei macis. Ad olea ab aquis ſeparanda ſal culinare his ſolutum facere; ex oleis per aetatem inſpiſſatis et cum recenti vegetabili deſtillatis nondum corruptam partem tantum euolui, neutiquam vero acceſſu noui ſpirituoſi principii ditari omne, multo minus reſtitui. Nullum verum diſcrimen eſſe inter Alcohol ex ſpiritu frumenti vinique. Oleoſas ſpiritui vini partes ineſſe admittit, ita et aquoſas; acidas vero, vtpote nullius idonei argumenti fulcro innitentes, reiicit, omnemque vini ſpiritum putat eſſe oleum in aqua, modo haud imitabili, tenuiſſime ſolutum.

Emenda-

Emendationem ſpiritus vini per abſtractionem p. 272.
ſuper offam nigram a deſtillatione liquoris anodini relictam amicus Noſtro dubiam reddidit, vbi plus amicitiae, ſi crederet Ipſe, quam veritati tributurus foret. Acidum ſalis eſſentialis vrinae et rubefacit ſyrupum violarum et cum creta feruet.

Quum ad expellendum acidum ex nitro ſemper p. 295.
velit facere ea tantum, quae acidum vitriolicum continent corpora, neceſſario quoque recipiendum erat etiam arenae, marmori, aliiſque iſtud inhaerere. Sed cur acidum ſalis nitroſum eiicit? Scilicet exſuperante in copia, ſi addatur, reſpondet Noſter. Cur vero etiam arſenicum? Vtrum et hoc acido vitriolico ſcatet? Videtur certe hac in re paullo citius decretum fuiſſe. Origo vitriolica acidi ſalis et nitri recte reiicitur et iure ſtatuitur, acidum quoduis ſui generis eſſe, nec ab alio quodam deriuandum. Acetum aeque pertinet inter educta, p. 332.
atque Alcohol; hoc tamen aceto, vt pars neceſſaria, non ineſt. Origines acidorum vegetabilium ex mineralibus, multoque magis ſimilitudines meris figmentis innituntur. Hombergiana tentamina circa inueniendam acidi principii in ſpiritibus acidis copiam non accurata ſunt, niſi aeris inter efferueſcendum diffugientis iactura vna rationibus infertur. Ipſam naphtham non habet pro producto, fatetur tamen arctius cuilibet inhaerere acidi quicquam quocum parabatur. Loco octo partium Alcoholis ad ſpi- p. 364.
ritum nitri concentratiorem dulcificandum duodecim recipiendae ſunt; et, vt ex reſiduo ſpiritus ſalis ammoniaci ſaturatum ſal digeſtiuum SYLVII obtineamus, tres potius ſalis alcalini fixi, quam duo.

Offa HELMONTII nil videtur niſi Spiritu vini p. 381.
ſeparatum alcali volatile. Pro parando ſale vrinae fuſibili laudat methodum Cl. BVCHOLZII, qui illud confecit ex reſiduo vrinae, ad ſpiritus alcalini ex-

pulſio-

pulſionem vſque deſtillatae calcinato, ſpirituque alcalino ſaturato et elixiuiato, ſuccedente lixiuio
p. 432. cryſtalliſatione. Saturata calcis viuae in acido ſalis ſolutio non mutat ſyrupi violarum colorem. Iactura, quam ſalia alcalina in igne patiuntur, partim referenda eſt ad aquam, partim ad eam portionem, quae in crucibula penetrat, vt iam alibi Cl. WIEGLEBIVS docuit*). Recte monet alcaliſationem nitri per ſulphur putatitiam eſſe. Alcalium origines primordiales denuo inculcat.

p. 439. Cur ſalis alcalini volatilis ratione ponderis plus abigi videatur ex ſale ammoniaco ope ſalis alcalini fixi, quam reuera ineſt, tribuit iure aëri, quem alcalinum ſal fixum adhuc in ſe continet. In duabus ſalis ammoniaci vnciis drachmas nouem cum ſemiſſe ſalis vrinoſi veri contineri oſtendit, drachmas quinque vero et dimidiam, quas vltra largitur analyſis, ex aëris acceſſu eſſe. Volatiliſatio ſalis fixi per oleoſa addita ſublimationis ope peracta negatur, et alcali tunc obtentum volatile eductis annumeratur.

p. 473. Recenſetur quoque praeparatio *ſalis acidi* HOMBERGII, HENCKELII, LEHMANNI, denique illius, quod Cl. WESTENDORFIVS**) ex duabus drachmis mercurii praecipitati rubri in vncia vna aceti concentrati ſolutis, ad ſiccitatem abſtractis et forti igne ſublimatis, floribus benzoes ſimile obtinuit. Salis ſedatiui natura ammoniacalis merito negatur. Sal ammoniacum ſecretum GLAVBERI vere eſt ſublimabile, non item vero terra foliata tartari, cuius eleuatio potius eſt vegetationis quaedam ſpecies. Salis mirabilis ac nitri cubici et vulgaris fuſio requirunt ignem, quo vaſa candent; nitrum flammans vero fuſionis verae non capax eſt; tartarus denique vitriolatus forti igne certe funditur, vti iam MARGGRAAFIVS docuit. Principium arſenicale

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 223. **) v. ib. p. 218.

cale antimonii fictitium eſt. Incrementum ponderis calcium metallicarum ex igneis particulis ſeſe adiungentibus repetitur. Parum antimonium diaphoreticum cum ſapone nigro detonare rectiſſime negatur. Pyrophorum, praeter ſulphur, terram calcaream continere, feſtinantius ſcriptum eſt: et apparet ex ſequentibus legendum eſſe: terram alcalinam, ſcilicet aluminoſam. p. 547.

Omnium ſolutionum cauſam ponit eſſe materiam igneam. Vim fulminatricem auri ſic dicti fulminantis negat ex nitro flammante auro adhaerente explicari poſſe, quum etiam aurum ex aqua regia, ſpiritu ſalis et nitri confecta per aquam calcis praecipitatum hac virtute polleat. Menſtruorum vis ſolutrix in quaedam corpora ex partium ſimilitudine declaranda Noſtro videtur. p. 562. p. 573. p. 593.

Sulphur antimonii auratum, HIRSCHINGIO praeeunte, quamuis paullo mutata proportione praeparat ex vncia vna antimonii crudi, ſulphuris dimidia et ſalis alcalini fixi vnciis tribus inuicem fuſis, dein contuſis, aqua bulliente ſolutis et acido vitrioli diluto praecipitatis. Sic vna eademque praecipitatione optimum ſtatim et tutum obtinetur. *Garayana* extracta eſſentialia parandi ratio, reſpectu ſalium eſſentialium plantarum, non penitus contemnenda videtur. Omnem praecipitationem nouam quandam eſſe ſolutionem, reſpectu certe praecipitati non in vniuerſum cum Noſtro recipere poſſumus, quamuis in omni fere praecipitatione nouam ſolutionem fieri largiamur. Scilicet non ſemper cum praecipitato, ſed cum menſtruo priſtino quoque fit coniunctio praecipitantis. p. 600. p. 610.

Amalgama ferri parare Noſter docet ex mercurii ſublimati corroſiui partibus duabus in ſpiritu ſalis ſolutis, quibus per vices ſenſim ingeritur pars vna limaturae martis puriſſimae. Mixtura p. 642.

calefit cum multo vapore et excuſſo croco martis rubro quodam atque decantato fluido verum amalgama remanet. Atque haec ſufficiant ſpeciminis loco excerpta ex iis, quae WIEGLEBII induſtria Vogelianis addidit.

## IV.

IOSEPHI IACOBI PLENCK Chirurgiae Doctoris, nec non Chirurgiae, Anatomes atque Artis obſtetriciae Profeſſoris Caeſareo - regii, publici ac ordinarii in Caeſareo - regia Vniuerſitate Tyrnauienſi. Primae Lineae Anatomes. in vſum praelectionum. Viennae apud Rudolphum Graeffer 1775. 8. pag. 309.

Propoſuit Cl. Auctor, cui et alia bene elaborata et docta ſcripta, a nobis quoque indicata, debemus, anatomen et quidem praecipua eiuſdem dogmata tabularum forma et interdum quaedam phyſiologiae et pathologiae monita adiecit, vt inde ſtatim vſus anatomes appareret. Poſtquam quaedam in genere de anatomia Cl. Auctor diſſeruit, ſingulas eiuſdem diſciplinas pertractat ita, vt cuique elenchum doctrinae praemittat, deinde generalia eiuſdem conſideret, denique ipſas corporis humani partes, ad diſciplinam ſingulam pertinentes, deſcribat et in bonum ordinem diſponat.

Nunc ad ſingula, quae inprimis notatu digna
p. 7. iudicamus. Ex fibra ſimplici oritur filamentum, ex filamento, textus filamentoſus, ex hoc, laminae, ex laminis, tela celluloſa et ex hac formantur
p. 19. omnes humani corporis partes. *Syndeſmoſis* eſt ſymphyſis membranacea e. g. in fetu coniunguntur
p. 20. tur oſſa parietalia cum frontali ſyndeſmoſi. *Synoſtoſis*

*ſtoſis* eſt ſymphyſis oſſea. Hac ratione concreſcit acetabulum ex oſſibus innominatis. Color oſſium p. 21. varius eſt, mox albido - rubens in oſſibus compactis, mox albido coeruleſcens in cranio, mox fuſco - rubens in ſpongioſis, mox albiſſimus ſplendens in dentibus. Cuiuſcunque oſſis conſiderat ſitum, figuram, diuiſionem, apophyſes, cauitates, nexum, vſum et reliqua. Cum de perioſteo exter- p. 94. no loquitur, etiam periorbitam et perideſmium nominat. Cartilagines diuiſit in *obducentes*, quae p. 95. caua et capita inueſtiunt, in *interarticulares* et *vnientes*, quae in immobili nexu manent, vt in nexu oſſium pubis. Nomina ligamentorum partim ex WEITBRECHTII libris, partim ex aliis deriuauit.

In enumeratione muſculorum adhibuit et nomina Albiniana et alia, nec non ad actionem muſculorum optime ſemper reſpexit. Mitra aponeurotica p. 133. cranii muſculos temporales et occipitales tegit, frontales vero illam tegunt eique incumbunt. Muſculum lingualem proprium, cauatorem linguae p. 140. quoad actionem nominat. Cuticulam diuidit in ex- p. 173. timam ſiccam et intimam mucoſam, quae etiam mucus Malpighianus appellatur. Oritur epidermis ex muco Malpighiano exſiccato; admodum poroſa et inſenſilis eſt.

Vngues oriuntur etiam ex muco MALPIGHII p. 175. exſiccato, neruis et vaſis deſtituuntur. In enarrandis viſceribus etiam ſemper ſitum, figuram, diviſionem et cetera annotauit et muſculos, vaſa, nervoſque harum partium indicauit. Splanchnologiae adiunxit conſiderationem et hiſtoriam vteri grauidi et fetus.

Sermoni de vaſis adnexit circulationem ſan- p. 278. guinis in fetu et apte inſeruit quaedam de vaſis lymphaticis. Contendit arterias lymphati- p. 279.

cas non dari, ſed omnia lymphatica vaſa venoſa eſſe. Finiuntur vel in ductum thoracicum vel in
p. 280. venas maiores. Glandulae lymphaticae ſiue conglobatae ſunt glomeres vaſorum lymphaticorum tela celluloſa coniunctorum, in quibus haec arterioſa fiunt et iterum venoſa facta exeunt. Dolendum eſt Cl. Auctorem in denominandis arteriis HALLERUM non ſecutum eſſe. De neruis breuiter expoſuit.

p. 300. Glandulas diſtribuit Auctor in *folliculoſas*, *globatas*, *glomeratas* et *conglomeratas*. Glomeratae ex glomere vaſorum ſanguiferorum conſtant, praeditae ſunt ductu excretorio, ſed nullo cauo v. c. lacrymales et mammariae. De globatis ſiue lymphaticis iam dictum eſt. Habent neque cauitatem, neque ductum excretorium.

## V.

Diſſertatio nonnulla de liene ſiſtens, quam Praeſide IOHANNE FRIDERICO LOBSTEIN defendit *Ioh. Iacobus Buſch*, Argentorati. 1774. 8. pag. 32.

Cl. LOBSTEIN, cuius eximiam cognitionem anatomicam iam diu admirati ſumus, et hic de re aliqua ſatis obſcura, ſcilicet de phyſiologia et anatomia lienis, egregia monita, quae nullo modo praeterire poſſumus, exhibuit. Conſiderat primum inuolucra lienis, deinde internum viſceris habitum, poſtea phyſiologiam et denique ex his quaedam corollaria pathologica ducit.

p. 4. Primum inuolucrum, quod ex peritonaeo formatur et ex diuerſis ligamentis colligitur, duplex, tenerum et extus laeue eſt. Lamina anterior omenti

omenti gaſtrocolici anteriorem partem lienis obducit; ligamentum verticale ſuperiorem, ſuſtentatorium inferiorem, et tranſuerſale, quod a diaphragmate originem accipit et etiam phrenicum appellatur, poſteriorem. Quae peritonaei portiones ſeſe vnientes lienem inuoluunt. Duplicem hanc membranam eſſe multi negarunt. MALPIGHIVS duplicaturam hanc primus in vitulino liene ſpectauerat, in quo Cl. Auctor etiam ſaepenumero vidit. Maceratione etiam in aliis lienibus duplicem tunicam detexit et vaſa inter laminas decurrere animaduertit. Alterum inuolucrum idque lieni proprium, mittit ad interiora viſceris filamenta et laminulas, quae vaſa ſplenica comitantur illisque robur conciliant. p. 5. p. 6.

Enarratis iis opinionibus, quas de fabrica lienaris viſceris anatomici tradiderunt, ea refutat, quae iam RVYSCHIVS ſuo tempore docte reprehenderat. RVYSCHIVS enim veriora propoſuit ita, vt eum HALLERVS et ALBINVS ſequerentur. Aſſumſit enim lienis fabricam talem, vt eam praeter neruos ex arteriis, venis et vaſis lymphaticis compactam eſſe profiteretur et vltimas vaſorum propagines ſuccoſas rotundas faſciculatim diſpoſitas eſſe diceret.

Multos humanos lienes et quoque vitulinos Cl. Auctor tam feliciter glutine animalium, cera, ſebo mixta et reſinis in ſpiritu vini ſolutis repleuit, vt materiam ex arteria per venas redientem et vaſa lymphatica intueretur. Vitulinos aqua macerauit, humanos vero, detractis et remotis inuolucris, aqua, cui pauculum olei vitriolici addebatur. p. 12.

Arteria ſplenica, datis ramificationibus ad pancreas, ventriculum et omentum in ipſam ſubſtantiam penetrat, alii rami ad profundam ſubſtantiae p. 13.

partem progrediuntur, alii vero in inuolucris flexuoſe migrant. Vltima vaſa partim in penicillos, partim in ramos et arcus curuatos finiuntur. Ex horum arcuum tum parte concaua, tum conuexa progerminant rurſus ramuli et penicilli ita, vt rete vaſculoſum oriatur. Rami, qui ſubſtantiam perrepunt illique immerguntur, non in multos ramos diuiduntur, ſed iuxta longitudinem totam viſceris minores minimoſque edunt ramulos. Talis truncus, ſi ad extremum lienis peruenerit, protinus in innumeros ramos diuiditur et in penicillos abit.

p. 15. Penicilli, qui ex trunco abeunt numero octenario interdum conſpiciuntur et quilibet penicillus in duos et plures ramulos diuiditur, quorum quisque iterum bifidus aut trifidus eſt. Penicilli, qui interna ornant, inordinatim poſita ſunt, illi vero, qui in ſuperficie ſedem habent, erecti ſunt et cum papillis linguae conueniunt. Penicilli ſemper a ſe diſtant atque omnes arteriae in venas finiuntur, iis exceptis, quae vel in vaſa lymphatica mutantur, vel ad nutritionem celluloſae et inuolucrorum impenduntur.

p. 16. Venae recedunt ab arteriis easque deſerunt et immittunt inter quemuis penicillum eiusque ramos ramulum venoſum. Qui cum ſodalibus plexus formant, in quibus penicilli includuntur et ex his plexibus oriuntur venae, quae cum arteriis penicillorum communicant. Ex hac et maiori formatione plexuum oritur elegantiſſimum rete, ita, vt quaeuis areola quoſdam penicillos includat.

p. 17. Ex hoc rete aliae venae arterias legunt, aliae, cum maior numerus venarum ſit, vel maiori ramo inſeruntur vel in truncum confluunt. Nonnullae arteriae etiam in venas mutantur et omnes venae ope tranſuerſalium ramorum anaſtomoſes alunt et

nouum

nouum rete pro penicillis componunt. Venulae ex retibus collectae maiores truncos arteriarum ſocios efficiunt, egrediuntur e liene et reliqui rami venae ſplenicae vſque ad hepar iam innoteſcunt. Fabrica lienis humani non multum a vitulino diſcrepat. Plexus neruorum ſplenicus a ganglio ſe- p. 18.
milunari ſiniſtro prouenit, cui aſſociantur ramuli ſtomachici poſterioris plexus et coeliaci. Vaſa lymphatica in ſatis magna copia obſeruantur et in interna lienis ſuperficie et inter duo eius inuolucra. Vaſa illa collecta verſus vaſa ſanguifera ingredientia progrediuntur et propinquas glandulas adeunt. Ortus vaſorum lymphaticorum adhuc p. 19.
multa obſcuritate obtegitur. Pauciſſima originem ducunt ex celluloſa tela, ex arteriis ſine dubio plures, quam ex venis.

Nunc ad phyſiologica animum vertit atque, vt p. 20.
alii, ex ſanguine venoſo colligit, ſanguinem in liene attenuari. Sanguis enim per longum tempus in liene detinetur perque retia reptat ibique conquaſſando attenuatur; ſi vero in venas patentiores venerit, ne plane ſubſiſtat, a ſanguine a tergo veniente propellitur; vibratio arteriarum vicinarum, motus diaphragmatis et aliarum partium etiam ſanguinem promouent. Quaerit Cl. Auctor: anne ſanguis lie- p. 21.
nalis ob moram et calorem et ob particulas putridas, quas a colo accipit, reſolui, ſemiputridus fieri neque amplius coagulari poſſit? Reſpondet vero his ita, vt dicat, primum humores noſtros, ſi modo leuiſſimam actionem experirentur, non reſolui neque lienem ab actione vaſorum liberum eſſe; deinde particulas coli putridas etiam non magnam noxam afferre poſſe, colon ſolummodo apice inferiori lieni adhaerere, lienemque a pinguedinoſo vapore omenti ita oblinìri, vt reſorptio particula-

rum putridarum arceatur; in obeſis denique lienem ita pinguedine eſſe cinctum, vt colon nullo modo tangat. Etiam finem Cl. Auctor non percepit, cur lien particulas putridas a colo reciperet.

p. 22. Experimentis explorauit, ſanguinem venae cauae mox coagulari et poſt horae ſpatium etiam lienalem ſanguinem coagulabilem eſſe atque ſerum a cruore ſeparari obſeruauit et quidem adhibito ſanguine hominis laqueo ſuſpenſi beneque valentis. Autumat igitur illos, qui ſanguinem lienalem in homine non coagulabilem aſſumſerunt, cadauera morboſa et iam putrida diſſecuiſſe. Deſtillationem ſanguinis lienaris incertam et dubiam cenſet. Attenuare ſanguinem, non vnum lienis eſt munus, ſed, vti HALLERVS bene monuit, lien ſanguinem per arteriam allatum venoſumque redditum ad hepar mittit.

p. 23.

p. 24. Sanguis non ſolum in liene diu retinetur, ſed etiam alio tempore longe celerius expellitur. Tortuoſa trunci arterioſi directio, vaſculorum minimorum numerus et hinc inſigniter parietum aucta ratio de celeritate multum detrahunt. Tenerrima tela celluloſa, quae arterias inueſtit atque minorem reſiſtentiam in extendendis vaſis ſiſtit, retardat ſanguinem celeremque motum imminuit.

p. 25. Poſtea ſanguis in laxiores venas irruit atque lentiſſimum circulum abſoluit, celerrimeque moueretur, niſi per retia deuia ambulando quodammodo detineretur. Sanguine itaque retento et ventriculo vacuo lien turget et licet WINTRINGHAM venas lienales non magno robore praeditas eſſe dixerit, tamen hoc non de interioribus valet, cum membrana lienis propria robur vaſis internis conciliet. Quoque ad vaſa coercenda atque firmanda multum confert duplex inuolucrum. His omnibus abſolutis, ſanguis tandem lento motu per trun-

p. 26.

truncum lienalem cum meſeraico, vt vis hepar pe-
netrandi augeatur, ad venam portarum aſcendit.
Ventriculo turgido magnitudo lienis minuitur,
ille ſitum mutat lienemque verſus anteriora du-
cit eumque ab actione diaphragmatis liberat; tamen
cum omnibus viſceribus abdominalibus premitur.

Vi aliqua per totum corpus diffuſa eaque agen- p. 27.
te ſanguis tunc ex liene ad hepar promouetur,
quod materia indiget ad bilem praeparandam. Sed
contractio lienis ingreſſui ſanguinis arterioſi liena-
lis reſiſtere videretur, niſi iter nonnullarum arteria-
rum in venas breue et facile, venae ampliores, lien
cordi vicinior eſſet et contractio ipſa arterioſum
ſanguinem melius promoueret. Ergo ſanguis lie- p. 28.
nalis ad hepar vehitur ad conficiendam bilem et
dum cibi coquuntur, eo maior quantitas hepar in-
greditur, quo maior ſanguinis copia ad bilem per-
ficiendam requiritur. Vaſa lymphatica ſuperfluam
lympham ſanguini reddunt, crudo craſſoque chylo
in glandulis conglobatis lympham immiſcent, vt
ille ibi diluatur; denique lymphae pars, poſtquam
glandulas tranſierit, ad venam portarum tranſgre-
ditur, quia eſt communicatio horum vaſorum cum
lymphaticis.

Nonnulli lienem exſcindi poſſe ſine detrimen- p. 29.
to ſanitatis et interdum non adfuiſſe quoque aſſe-
ruerunt, at hoc nihil nobilitati lienis demit. Tunc
enim ſanguis alias vias legit et tamen ſaepe etiam
multa mala ex hac lienis iactura oriuntur, digeſtio
corrumpitur, bilis ſtagnat. Obſtructiones et ſcirrhi p. 30.
ſaepe in liene nidulantur, quia, ventriculo vacuo,
ſanguis lentiſſime mouetur. Hinc creator anaſtomo-
ſin arteriarum inter ſe inuicem creauiſſe videtur.

---

## VI.

Experiments upon the human bile: and reflections on the biliary ſecretion with an introductory eſſay. By IAMES MACLVRG, M. Doct. London: printed for T. Catell. MDCCLXXII. 8. maj. pagg. 217. Introductio pagg. 64.

i. e.

Experimenta ſuper bile humana, et cogitata ſuper eiuſdem ſecretione. Accedit introductionis loco tentamen Auctore IACOBO MACLVRG M. D.

Introductio elegantiſſime pariter ac ſolidiſſime conſcripta de diſſenſu dogmaticorum et empiricorum, vere incrementum doctrinae medicae iuuante potius, quam turbante, de vitiis, quibus ſyſtemata animiſtarum, chemicorum ac mechanicorum laborant, ac de officio, obſeruationibus experimentisque factis, doctrinam ad altiorem perfefectionis gradum deducendi, exponit: vti ſimul merita virorum celeberrimorum NEWTONI, quod primus naturalem aeque ſcientiam ac medicinam a ſpiſſis hypotheſium chemicarum tenebris liberaverit, HALLERI, quod primus experimentis docuerit, quantum momentum poſitum ſit in actione neruorum ad oeconomiam animalem declarandam, et CVLLENI, quod his fundamentis ſyſtema ſuperſtruxerit rationi quam maxime conſentaneum, iuſtis laudibus extolluntur.

In libro ipſo primo quaedam: de ſententiis auctorum ſuperioris aetatis ratione indolis ſaponaceae
p. 4. bilis proponit Auctor: quas quidem non bene fundatas

datas

datas eſſe ex eo colligit, quod mucilagines vegetabilium et gelatinae animalium aeque bene commiſtionem olei cum aqua efficiant. Inde perperam auctoritatem BOERHAAVII induxiſſe HALLERVM, GAVBIVM, CADETVM; cuiusque inprimis experimenta ideo minus ſufficientia iudicari deberes, quia tunc pari modo lac ſapo dicendum foret, ſimiliter oleum et alcali fixum ope ignis largiens. Cl. RAMSAY labores ad finem perducti non fuerunt, idque vitii habent, quod nonniſi bilem animalium ſolis vegetabilibus nutritorum concernant. Reliquorum experimenta Noſtro nonniſi ex phyſiologia HALLERI innotuerunt, neque tamen plane perfeciſſe negotium ipſi videntur.

Inde cum ſuperiori, antequam hunc librum p. 7.
ederet, hyeme Pariſiis in diſſectione cadauerum eſſet occupatus, conſilium çepit non quidem ope ignis analyſin bilis inſtituendi, ſed potius, minus quidem artificioſa, at vtiliore methodo, in relationem eius cum aliis corporibus inquirendi: et in eo quidem BAGLIVII veſtigia preſſit, cuius experimentis primas omnino partes tribuit. Primo igi p. 8.
tur de attributis bilis humanae agit. Odor recentis ingratus, poſtquam per tempus aliquod ſeruata fuit, mutatur in acutiorem, ſacharinum, non ingratum, qualis eſſe ſolet cereuiſiae fermentantis, ſimilem ei, quem praebet lac in certo gradu fermentationis conſtitutum, vel ſerum eius cum ſucco pomorum, quae *renettes* dicunt, paratum. Poſtea, tempore non exacte definiendo (interdum poſt 12 dies), putredo odore ouorum putridorum ſe prodit. Cum aqua frigida pariter atque calida, aeque ac cum lacte, perfecte miſcetur, non autem cum oleo. Acidum vitriolicum meracius ſi ſuperfunditur, ex inſtanti coagulum producit coloris pallidi, ſed protinus in viridem tranſeuntis, aeque

ac

ac liquor clarus, cui innatat; agitato vaſe diſparet coagulum, ſolutioque viridis turbatur. Adfuſa aqua liquor egregie viridis ſupernatat, copioſo ſedimento viridi ad fundum miſſo. Aliquando vidit Noſter bilem colore et odore theriacae communi ſimilem, quae vitrioli et ſalis acido ſoluti colorem fuſcum et turbidum acquirebat, coagula vero obſcure fuſca erant, in nigrum vergentia, et tinctura cum ſpiritu vini parata rubrofuſca, ſed pellucida. Spiritus ſalis bilem non coagulabat, ſed tantum ſolutionem turbidam, ſimilis viridis coloris, efficiebat. Spiritus nitri placentam tenuem offerebat in fluido ſuſpenſam, quae in ſuperficie circulo viridi cum bullulis aereis tecta erat, agitatione augendis, ſed breui circulus diſparebat, ſolutione fuſca turbida relicta, quae quiete, ſpuma obtegebatur: gradatim color turbidus ſeri ſimilis euadebat, cum ſedimento albicante. Phiala obturata et in loco calido digeſta, ſubito vapor ignei coloris, elaſticus, naſcebatur, epiſtomium deiiciens, ſimulque ſpuma diſparebat; vaſe rurſus clauſo et refrigerato, fumi condenſati fundum petebant, et liquor ſucceſſiue ſaturate viridis reddebatur. In aperto vero vaſe quamquam fumus et bullulae vt ante prodibant, tamen mixtum, non viridem, ſed flauum colorem et pelluciditatem, nec ſpumam nec ſedimentum monſtrabat; quod eueniebat, quum poſt digeſtionem calidam vas apertum in frigore ſeruaretur.

Solutio turbida viridis cum acido vitriolico et ſalis facta, adfuſo ſpiritu nitri protinus colorem fuſcum acquirebat, eaſdemque mutationes ſubibat, quas acidum nitroſum ſolum produxerat. Clarus vero liquor ab his ſolutionibus obtinendus, ad dimidium euaporatus, turbidas ſolutiones aequabat,

ad

ad ſiccitatem inſpiſſatus, paſtam nigram acidae indolis largiebatur, impreſſiones ſeruantem; adfuſa aqua, acidum diſparebat, et materia tenax, inſipida, nec ſpiritu vini, nec aqua ſoluenda, remanebat. Eadem materia maiori in quantitate ex ſolutionibus turbidis obtinebatur. Reſiduum ex ſolutione nitroſa coloris vel pallide flaueſcentis, et pelliculae ſimile, quam albumen oui calori expoſitum contrahit.

Ex his experimentis copioſe ſatis Auctor Noſter de actione acidorum mineralium in bilem diſputat, monſtratque, principium inflammabile in illa aeque ac in aliis corporibus duplicis eſſe indolis, aliud facile ſeparandum, aliud pertinaciter inhaerens; acidum nitri cum eodem affinitatem quandam alere, in eodem vim tingendi ſitam eſſe cet. p. 18.

De vi aceti et ſucci citri in bilem: his protinus coagulabatur et colorem flauum acquirebat, liquor vel ſupernatans maius occupabat volumen, quam acidum adfuſum, ergo partim ex bile ipſa ſeceſſerat; eius ſapor erat manifeſte acidus, coaguli autem intenſe amarus; poſt 24 horas addito ſale tartari efferueſcebat, coagulum diſſoluebatur, et color fuſcus redibat: tunc ſapor acidus prorſus aberat, et cum ingenti amaritie potius alcalina acrimonia ſe prodebat. Solutiones hae cum acidis vegetabilibus poſt tres dies ſedimentum ſolidum nigrum deponebant, ſupernatante liquore fuſco, ſaporis primo acidi, ſed relicta amaritie nauſeoſa: lac et bilem recens adfuſum coagulabant. Hoc coagulum SCHAPERVS et HOMBERGIVS perperam pro pinguedine habuerunt. p. 29.

Acida mineralia diluta, quamprimum infuſa fuerint et vas conquaſſatum, ſubitiſſime coagulum producunt (contra aſſertum HALLERI, quo meracius p. 33.

cius acidum minerale fuerit, eo promtius exiſtere coagulum) coloris flauiſſimi. Spiritus vini ſubito coagulat, colorem flauum et ſaporem ex dulci amarum aſſumit, et ſedimentum fuſcum ſuperficiei inaequalis, quaſi corrugatum, deponit.

Bilis euaporata floccos duros, fragiles, aloe ſimiles, relinquit, qui neque in aqua, neque in ſpiritu vini exacte ſoluuntur, ſed in alcali cauſtico.

p. 37. Inde principium coagulabile in bile diſquirit Noſter, idque idem eſſe docet, quod in ſanguine, lacte, albumine oui, nimirum veram lympham, ſed aeque ac in ſanguine cum principio inflammabili coniunctam, arctius tamen, quam in ſanguine, quia ex bile non vt ex ſanguine ſponte ſecedit. Ad ſeparandam hanc partem coagulabilem ſpiritu nitri dulci vſus eſt, quo productum coagulum albiſſimum, aqua ablutum, perfectiſſime concretiones polypoſas ſanguinis referebat. Hoc coagulum a ſpiritu vini paullo magis indureſcebat, ſed ab alcali cauſtico penitus ſoluebatur, ac tum addito acido praecipitatum floccoſum praebebat: idem coagulum a ſpiritu ſalis aegrius ſoluebatur.

p. 44. Deinde inquirit in combinationem principii tingentis cum lympha, quae bile per acida vegetabilia coagulata contingit: acida mineralia concentrata affuſa eundem colorem producebant, ac ſi bili ſoli addita fuiſſent. Spiritus nitri dulcificatus colorem perfecte, ſpiritus vini imperfecte extrahebat, aeque ac aqua ſola. Idem etiam de ſapore va-
p. 49. let. Alcali bili cyſticae colorem et amarorem intenſiorem reſtituens euincere videtur, has proprietates in corpore noſtro omnino ab eius ſtagnatione repeti oportere: qua occaſione contradictiones a BAGLIVIO et HALLERO admiſſae arguuntur,

hic

hic tamen ideo excuſatur, quod propriis experimentis deſtitutus aliorum auctoritati ſoli ſiſus fuerit. Syrupus violarum adfuſus neque purae neque cum alcali commiſtae bili colorem viridem conciliauit. De aere fixo in bile, qui prodit, ſi eidem alcali additur, poſteaque adfuſo acido eſſerueſcentia excitatur. Ferri veſtigium nullum detegere potuit, ideoque aſſertum Cl. DVRATE *), ab eodem colorem bilis proficiſci, in dubium vocat.

Iam de relatione bilis ad putrefactionem diſputat. Contra Cl. GABER adfirmat, ſe bilem poſt quatuor a morte dies eiuſdem ac recentem qualitatis inueniſſe, et vna vtrumque ratione adfuſis acidis coagulaſſe; poſſe tamen fieri, vt ex diſpoſitione corporis ipſius vel morbo praegreſſo mutatio quaedam inducta ſit: bilem, prius quam putreſcat, fermentationem quandam ſubire, quae odore ſaccharino ſe detegat, cet. Tum phaenomena recenſet, quae in commiſtione bilis putridae cum acidis mineralibus concentratis et dilutis, vegetabilibus, ſpiritu vini, et aqua cum pane remiſta, idem in eiuſdem euaporatione nouaque ſolutione in aqua ſe obtulerunt; in neutro horum experimentorum odorem moſchi ſimilem detegere potuit. Ex omnibus inter ſe collatis declarat coagulabilitatem bilis putredine imminui, ipſamque quodammodo cum ſpiritu vini miſcibilem reddi; ſaporem ſubdulcem fermentatione praegreſſa deſtrui, amaritiem contra augeri, et in hac qualitatem antiſepticam, vt in aliis amaris, latere, quamuis putredinem prorſus praeuertere nequeat, cum iuncta ſit lymphae adeo in

p. 61. p. 68.

*) Traité phyſiologique & chymique ſur la nutrition, ouvrage, qui a remporté le prix de phyſique de l' Academie royale de ſciences & belles lettres de Berlin 1766. A Paris 1767. 12.

in eam pronae; bilem acidis vegetabilibus coagu-
latam et cum aqua frigida infuſam, ſubſtantiam ex-
hibere potius antiſepticam, quam bilem natura-
lem, quia tunc aqua minorem portionem lymphae,
ſed principium amarum perfecte ſuſcipit. Expe-
rimentis etiam in carne bubula et veruecina inſti-
tutis vidit, hanc infuſionem diutius putredinem
coercuiſſe, quam vel aquam ſolam, vel bilem in ſub-
ſtantia cum aqua remiſtam, vel ſuccum citri aqua
dilutum. Caro veruecina vero in aqua ſola mace-
rata primo fortem odorem acidum ſparſit, ſimilem
ſudoris hominum quorundam, poſteaque citius in
putredinem abiit, quam reliquae eiuſdem carnis
p. 75. particulae: ex quo phaenomeno concludit Noſter,
inde patere, cur recens caro nauigantibus ſcorbu-
to affectis adeo proficua ſit.

p. 78. Ab his experimentis ad varia conſectaria tranſit.
Ex omnibus fluidis animalibus bilis et lac ma-
ximam ſimilitudinem habent cum inter ſe, tum
cum vniuerſa maſſa ſanguinis, quum vnam ean-
demque baſin habeant, lympham coagulabilem.
Vt autem eadem lympha extra corpus varias ſuc-
ceſſiue mutationes ſubit, pro varietate circumſtan-
tiarum: ſic idem in corpore euenit, curſuſque cir-
culationis partem oleoſam lactis in principium tin-
gens ſanguinis, et hoc in idem principium bilis
p. 84. vertit, qua occaſione experimenta varia ad decla-
randum ortum coloris rubri in ſanguine adducun-
tur. De geneſi ſanguinis ex vitello oui. Inde noua
p. 85. ſcala fluidorum animalium, ſimilarium quidem, ſed
inter ſe diuerſorum, eo ordine, quo ad indolem
animalem magis magiſque accedunt; lac, vitella,
ſanguis, bilis. Comparatio partis butyraceae lactis
et phlogiſti bilis cum oleis expreſſis ac deſtillatis
vegetabilium. In ſpecie de bile, ceu fluido ſummum
gradum

gradum indolis animalis adepto: quod euincitur ex ipſa eius ſecretione, eademque aucta in temporibus anni calidioribus et morbis putridis, ex eius augmento in animalibus fame pereuntibus, et ex aduerſa parte ex eiuſdem indole blanda in fetu, eius aquoſitate in cachecticis, vel in magna ſanguinis penuria: inde conuenientia principii tingentis in ſanguine et bile, quae conſiſtit in euolutione partis oleoſae. Contra Cl. HEWSON, pinguedinem in circulum ſanguinis reductam, nutritionem non praeſtare. Comparatio partis coagulabilis in ſanguine (quae a viribus circulationis ſoluta ſerum praebet) cum eadem in bile: in hac arctius cum parte aquoſa et oleoſa coniuncta deprehenditur, quam in ſanguine, quare concretiones polypoſae, in ſanguine generari ſolitae, in bile non conſpiciuntur. Rurſus prolixa tractatio de morbis ab aucta et acriori reddita bile ortis, inprimis ex LINDIO. p. 95. p. 104.

De duplici genere aeris ex corporibus euoluti, inflammabilis, qui putrefactione, et mephitici (alias fixi,) qui fermentatione producitur, et inprimis de teterrimis effectibus prioris, qui concentratiſſimus neruorum vires celerrime ſufflaminando videtur Noſtro hominem interficere poſſe abſque febre, qualis ſit effectus venti illius notiſſimi Samiel. p. 120.

Licet ergo bilis dici debeat productum gradus cuiuſdam putredinis animalis, tamen eodem modo putredini reſiſtere poteſt, quo acetum, ſpiritus vini et alcali volatile variis gradibus fermentationis, quibus ipſis ortum debent, reſiſtere animaduertuntur. De vſu bilis in digeſtione alimentorum: Cl. RVSH *) euincit, in ventriculo verum acidum p. 128. p. 131.

*) de digeſtione. Edinb. 1769. 4.

dum ope fermentationis gigni; ſi ergo liquidum hoc in duodeno cum bile concurrit, haec coagulatur; liquor autem inteſtinalis, aquoſo haud abſimilis, ex coagulo hoc partem actiuam extrahit, adeoque liquidum conſtituit efficacius bile ipſa, (iuxta experimentum prius enarratum), quod etiam, ſaltem interdum, per vaſa lactea ad ſanguinem defertur: coagulum vero ipſum cum foecibus excernitur. Largior itaque ſecretio bilis in tempeſtate calida id quoque commodi habere videtur, quod hac ratione ex ſanguine particulae in corruptionem pronae eliminentur, et acidis ingeſtis miſtio ſanguinis reſtauretur et conſeruetur. Hac occaſione dubia quaedam de noua theoria aeris fixi in vegetabilibus, eiuſque efficacitate in corpore
p. 140. animali, mouentur. De influxu vehementiorum animi affectuum in bilem: ſicut in vniuerſum actiones omnes corporis iis intenduntur, ita etiam aucto motu humorum ſecretio bilis augetur; quum vero aliae ſecretiones, v. c. lactis, inde potius reprimantur, aliam ſubeſſe cauſſam oportet, quam Noſter in neruis ponendam eſſe ſuſpicatur, quaerens, numne forſan hi affectus eodem modo in ſecretionem bilis agant, quo electricitas in fermenta-
p. 145. tionem? Poſtmodum copioſe ſatis de temperamento bilioſo eiuſque cauſſis exponit, praecipue ad Anglos habito reſpectu.

p. 154. De calculis biliariis. Quam difficilis negotii ſit, morbum hunc cognoſcere, vel ſi cognitus fuerit, iſtos ſoluere velle. Efficacitas graminis aduerſus eos valde dubia eſt, quum conſtet, lac omnium animalium phytophagorum ad coagulum procliuius eſſe, quam carniuororum: et ſi quid inde vtilitatis perſpectum vnquam fuerit, id potius excitatae, vt ab omnibus vegetabilibus recentibus,

diar-

diarrhoeae, quae excretionem bilis per inteſtina liberiorem reddiderit, tribuendum videri. Veroſimile eſſe, omnes partes corporis animalis pro baſi habere terram calcaream cum acido phoſphori coniunctam. De figura, colore, ſtructura cet. iſtarum concretionum. Quod ad originem illarum ſpectat, Noſter neque bilem cum maiori ad con- p. 169. creſcendum diſpoſitione ſecerni, neque ſtagnatione ſola coagulari putat, neque ipſe bilem ad putredinem vſque ſeruatam vllo modo concreſcere vmquam vidit: ex analogia vero cum experimentis ſub initium libri enarratis concludit, acidum quoddam ad geneſin calculorum concurrere, idque efficere poſſe putat liquorem ventriculi aceſcentem, cuius portio quaedam in finem ductus p. 176. choledochi intrare queat, ideoque in bilem in ipſa veſicula contentam vires ſuas exſerere. Experi- p. 189. menta nonnulla in calculis eiuſmodi capta. Aquae immiſſi primo ſuperficiei innatabant, poſtea fundum petebant, relicta in ſuperficie ſpuma oleoſa; exemti et in acetum iniecti protinus ſubſidebant, ſed ſiccati aeque ac ii, quod ex ſola aqua extracti fuerant, iterum in aqua natabant. Alius calculus durus et politus, 24 horas in aceto digeſtus, non ſubſidebat. Oleum vitrioli excitato calore eum in maſſam glutinoſam atram mutabat, aqua fortis adfuſa et igni impoſita vaporem ignei coloris excitabat, calculus exemtus in ſuperficie erat corroſus et friabilis, et aquae innatabat; ſpiritus nitri dulcis eum in ſubſtantiam cretaceam conuertebat, quae adfuſo ſpiritu vitrioli cum excitato calore in maſſam rubram, dein nigram et gelatinoſam tranſibat. Spiritus vini frigidus eum non aggrediebatur, ſed cum aqua forti commiſtus colorem virideſcentem, calculus autem ferrugineum acquirebat; in calore vero digeſtus ſpiritus vini

eum ſoluebat, et laminas ſplendentes; talci ſimiles, innatantes offerebat. Oleum terebinthinae mediante calore cum eodem digeſtum colorem fuſcum aſſumebat, calculumque fragilem reddebat, licet ipſum non ſolueret. Alii calculi firmioris texturae in ſpiritu vini per 24 horas digeſti non mutabantur; ſed addita quadam particula olei terebinthinae intra paucas horas comminuebantur liquore fuſco et turbido reddito. Alcalia fixa aeque ac volatilia a quibuſdam calculis colorem fuſcum nanciſcebantur, eoſque molliores reddebant: ſed idem quoque aqua ſimplici calida fieri perhibent. De colore viridi, ex lixiuio alca-
p. 194. lino addito ferro obtinendo: quod ex pluribus corporibus contingere, experimentis didicit Noſter. Tandem de remediis morbum hunc praecauendi differit, et, enarratis vitiis ſaeculi, diaetae regulas praeſcribit, et potiſſimum vſum exercitationum corporis, aquae frigidae in balneo ac potu, et vegetabilium acidorum commendat.

## VII.

*Abhandlung einer Priuatgeſellſchaft in Böhmen, zur Aufnahme der Mathematik, der vaterländiſchen Geſchichte und der Naturgeſchichte. Zum Druck befördert, von* IGNATZ EDLEN VON BORN. *Zweeter Band. Mit 5 Kupfert. Prag* 1776. *In Verlage der Gerliſchen Buchhandlung.*

i. e.

Tractatus ſocietatis priuatae Bohemicae in augmentum matheſeos, hiſtoriae patriae et naturalis editi ab IGNATIO DE BORN Tom. II.

Ex

Ex hoc altero volumine *) ad nos pertinent ſe-quentes tractatus.

1) *De Topazio veterum, et Chryſolitho* PLINII, *Auctore* IGNAZIO DE BORN. Omnino optandum eſt, vt Cl. Auctoris votum, de congreſſu ſocietatis doctorum virorum, qui in edendo PLINIO, et THEOPHRASTO, aliiſque iunctis viribus laborarent, tandem aliquando expleatur: cum omnia adeo adhuc ſint incerta, et imperfecta, quae de veterum ſcientia naturali habemus. Omnem itaque plauſum meretur Noſtri opera, qui, qua pollet cognitione mineralogica, eam etiam illuſtrandis dubiis veterum locis impendere conſtituit. Laudandum hoc primum Eius de adeo obſcure et dubie deſcripto lapide eſt ſpecimen.

Primo *de loco natali et etymologia Topazii* tractat: atque ex diuerſiſſimis veterum de iis relationibus id tamen patet, nomen *Topazii* a loco natali ſumtum eſſe; an vero inſula *Topazos* in mari rubro ſita, vel alius eiusdem nominis locus verum natale *Topazii* ſolum fuerit, in dubio manet. p. 2.

Deſcriptio *Topazii* in veterum ſcriptis admodum diuerſa eſt. *Graeci* eum colore aureo, vel opacum, vel pellucidum eſſe dicunt, excepto ALEXANDRO POLYHISTORE, qui eum colore viridi flauo eſſe ait, vti *Perodoll* recentiorum dicitur. PLINIVS contra viridi, ad porri ſuccum accedente colore, et opacum deſcribit, vt itaque *Topazius* PLINII nihil, niſi Iaſpis aut Achates viridis habendus ſit. Simul hic demonſtratur, vocem *ὑαλινος*, non viridem colorem, ſed vitream texturam plerumque ſignificare, et Graecos ſuccinum p. 3.

 ſaepe

*) Primum volumen vide in comm. noſtr. Vol. XXI. p. 322.

ſaepe ὕαλον appellare: Forte igitur ὑαλοειδὴς THEOPHRASTI erit Hyacinthus recentiorum.

p. 16. His diſputatis oſtendit *Chryſolithum* PLINII maxima cum probabilitate *Topazium* Graecorum eſſe, cum omnibus proprietatibus ſecum conueniant, p. 20. praeter patriam, quae *Chryſolitho* Aethiopia, India, Bactria et Pontus erat. Probat hoc vlterius, cum omnes PLINII ſpecies de Chryſolitho, cum recentiorum Topaziis, qui cum iis, quos Graeci deſcribunt, iidem ſunt; comparantur. PLINIVS Chryſolithos alios pretioſiores, vt Chryſolampidem, Chryſophidem, quos ad Topazium referendos putat Cl. Auctor; alios viliores, vt *Arabicum*, qui ſit cryſtallus rubro flaua *); 2) *Chryſelectrum*, qui probabilius ipſum ſuccinum, atque *Craterites* **) Hyacinthus ſuccineo colore ***); 3) *Ponticum*, ſeu Cryſtallum quarzeam coloratam; 4) *Hiſpanicum*, qui etiam flaua quarzea cryſtallus ſit. 5) *Lemochryſum* vel *luteum Chryſolithum*, i. e. Topazium pallide flauum, 6) *Capnitem*, qui ſit bruna quarzea cryſtallus, vulgo *Rauchtopas* dicta †), 7) *vitreis ſimilem*, ſ. noſtrum Hyacinthum. 8) *Melichryſos*, qui vel flauum fluorem mineralem, vel flauum Hyacinthum ſignificet. 9) *Xyſtion*, quae tamen vox recte a SALMASIO, vt ſpuria, repudiatur, eique Xanthos ſubſtituitur, qui ſit Haematites flauus.

p. 39. Cauſſam, cur iterum factum ſit, vt noſtris temporibus Topazii nomine flauam gemmam intelligamus, cum tamen PLINIVS viridem lapidem ſic nominet, in eo ponit, quod patres, interpretandis libris ſacris ex Graecis ſcriptoribus, Topazium flauo

*) BRÜCKMAN *von Edelgeſteinen* p. 150.

**) PLIN. lib. 37. cap. 10.

***) BRÜCKMAN l. c. *S.* 113.

†) CRONSTEDT. §. 52. 2. 1.

flauo colore eſſe viderint, a quibus deinde lapidicidae hoc nomen receperint.

2) IOSEPHI STEPLING *determinatio longitudinis geographicae vrbis Pragae Bohemorum.* p. 44.

3) *Comitis* DE KINSKY *relatio de quibuſdam incendiis terreſtribus in Ellbogano circulo Bohemiae.* p. 58. Oſtendit hic Ill. Auctor, veſtigia terrarum aduſtarum, calores ſubterraneos, fumos, et alia, non eſſe eiuſmodi, vt inde illic montes igniuomos ſ. vulcanos fuiſſe colligere liceat. Primum AGRICOLA *) incendiorum horum mentionem fecit, quae poſtea Cl. SCHREBER **) curatius deſcribit. Poſita ſunt ea inter *Leſſauiam* et *Culmam*, pagos, atque in iis terra rubra, aduſta, conſpicitur. Dubitat Ill. Auctor, ſaltim vix explicari poſſe putat, quomodo lignum a laua penetrari poſſit, cum illud prius comburi debuiſſet.

Deinde poſt *Falkenauiam* prope a flumine *Eger* p. 63. ſimilis terra conſpicitur, illicque ab AGRICOLA collis ardens deſcribitur. Ill. Auctor craterem invenire non potuit, neque ignem ardentem vidit, ſed collis iam plane exuſtus eſt. In iis locis fodina ferrea eſt, quae, per quoddam tempus, non colitur, vapores inflammabiles emittit. Id, quod BALBINVS de metuendo monte igniuomo his in locis meminit, falſum eſt: nihil enim niſi ſtratum lithanthracum eſt, quod, e terra eminens, poſt pluuiam flammas concipit: pendet hoc a multo vitriolo, quod iis admixtum eſt. p. 66.

Negat igitur Ill. Auctor fontes Thermarum Carolinarum hic eſſe quaerendos, vti Cl. BECHER ***) putat. p. 69.



*) vid. EIVSD. de natura eorum, quae effluunt ex terra Lib. IV. pag. 565. Baſil. 1657.
**) vid. EIVSD. *Reiſe nach Karlsbad. Leipz.* 1771. *S.* 99.
***) vid. EIVSD. tractationem de thermis carolinis edit. II. Pars II. pag. 94.

putat. Nam montes, qui thermas Carolinas cingunt, Granite componuntur: pyritae vero et in Ellbogano circulo in ſtratis montium argillaceorum poſiti ſunt. Debuiſſet igitur in Granite, cui ſtrata ſulphurea haec impoſita ſunt, rima eſſe, per quam in thermas Carolinas materia inflammabilis ducta eſſet. Probabilius eſſe putat, ſi in Granite ipſo circa thermas Carolinas locus natalis fontium quaeratur.

p. 98. 4) *Diſquiſitio, an vnum ſit acidum vniuerſale in natura rerum, vel an* DE IVSTI *probauerit, ſalia acida eſſe modificatum vniuerſale acidum*, Auctore FRANCISCO DEMBSCHER, *finitore fodinarum* Schemnitzii *in* Vngaria. Primo refellitur Cl. DE IVSTI, cum acidum vniuerſale ab eo plane non demonſtratum ſit: deinde oſtenditur, arte varia ſalia in iis locis parari poſſe, vbi a natura non producerentur, non tamen opus eſſe, vt acidum vniuerſale aſſumatur.

p. 112. 5) Cl. LOMMERI *deſcriptio dentium animalium petrefactorum, circa Leſſauiam Bohemiae inuentorum, qui iis ſimiles ſunt, ex quibus Turcoſa, in Perſia et Gallia paratur.* Cl. Auctor dentes eum in modum combuſſit, quem REAVMVR deſcribit, atque tunc lento igne obtinuit veras Turcoſas. Dentes petrificati griſei ſunt, et argillacei: color, quem hic dentes igne concipiunt, pendet a nigra terreſtri ſubſtantia, quae vel in punctis, vel rimis dentium conſpicitur: ea per horam et vltra in igne immutata manet, poſtea autem colorem dilute coeruleum aſſumit. Cuiusnam naturae haec ſubſtantia ſit, Cl. Auctor non definit.

6) IOANNIS ZAVSCHNERI, Prof. Publ. hiſtoriae naturalis in vniuerſitate Pragenſi, *deſcriptiones*

*Ornitho-*

*Ornithogali Bohemici, et Erucae tenuifoliae perennis, flore luteo* IO. BAVHINI. Primum depictum eſt bona icone: id tamen vitioſum eſt, quod ſtaminum vmbra indicata ſit, qua fit, vt duodecim ſtamina adeſſe videantur. Character eius eſt. Caulis folioſus, foliis alternis ſeſſilibus, lanceolato linearibus, floribus axillaribus pedunculatis erectis. Naſcitur hoc Ornithogalum prope Pragam. Altera planta eſt *Siſymbrium tenuifolium* LINN. foliis alternis petiolatis, pinnatifidis, laciniis ſubdentatis, floribus pedunculatis pendulis, ſiliquis praelongis.

7) IOH. STEPLING *de actione ſolis in variis terrae latitudinibus.* Verſio eſt illius tractatus, qui in Actis Eruditorum Lipſienſibus anni 1750 proſtat. p. 128.

8) EIVSD. *de congelatione aquae obſeruationes.* Repetiit hic experimentum, quod Cl. WILKE in *Actis Holmienſibus* de anno 1769 *) deſcripſit. Aqua quieſcens, cum ſummum eſſet frigus, (d. 19 et 20. ian. 1776.) non congeluit, et tamen maxime frigebat, ita vt thermometrum in eam poſitum, ſub punctum congelationis caderet: cum vero hoc modo aqua thermometro eſſet in motum acta, prius mercurium in punctum congelationis aſcendere coëgit, deinde ipſa congeluit. p. 134.

9) IO. TESSANEK *quorundam locorum ex operibus* NEWTONI *diſquiſitio.* p. 136.

10) I. T. KLINKOSCH *litterae ad Ill. Comitem* FRANCISCVM DE KINSKY, *ſuper animali magnetiſmo et electricitatis vi ſe ipſam reſtaurante.* Primo narrat factum, vbi alter, qui magnetiſmum animalem defendebat, eoque morbos pro lubitu tolli et p. 171.

D 5

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 14.

et excitari putabat, admoto magnete artificiali, effecta in aegra produxit; alter autem, magnetiſmum negans, cum ad eandem aegram accederet, et clanculum magnetem artificialem ſecum tuliſſet, nihil omnino dictorum effectorum excitare potuit: vnde patet, cauſſam non in magnete eſſe poſitam, ſed vel in imaginatione, aut, quod probabilius, ab arbitrio aegrae pendere, vt itaque tota res pro fraude habenda ſit.

Deinde oſtendit, eas vires, quae magnete a Vienneſibus tribuuntur, non ab eo, ſed potius ab ipſa electricitate, quae forte in illis experimentis magneti communicata erat, pendere; cum eadem effecta ſequantur, ex quocunque, vel metallo, vel ligno, vel alio corpore acus facta ſit. Apparatus, quo hoc demonſtrat, conſtat ex duobus ligneis orbibus, quorum alter reſina ſuperficiei inferiori menſae cuiuſdam affixus, ſicque ſymperielectricus eſt, ex cuius media parte columella, acum magneticam, aliam quamcunque ſuſtinens prominet; alter in parte eius ſuperiore lamina metallica tectus, et reſina, ſuperinductus, frictione vel alio modo electricus factus, inferiori ſuperficiei prioris orbis contiguus ponitur ita tamen, vt ſurſum deorſumue moueri poſſit. Iam vero conſtat, hoc modo, ipſi acui columellae impoſitae electricitatem communicari, atque igitur omnia phaenomena eiusdem ab electricitate pendere. Patet hoc clarius ex deſcriptione, quam de *Electrophoro* a Cl. VOLTA compoſito dat, qui re ipſa cum ſuperiore inſtrumento conuenit. Hunc *electrophorum* et *electricitatem vindicem*, ſeu, quae ſe ipſam reſtituat, a Cl. BECCARIA *) demonſtratam, vnam eandemque electricitatis naturam indicare comprobat.

Electro-

*) in Libro cui titulus; experimenta et obſeruationes quibus electricitas vindex late conſtituitur atque explicatur. Turin. 4.

Electrophorus Cl. VOLTAE conſtat ex lamina metallica, lineam craſſa, margine conuexo et formicatim inflexo, in cuius media parte eminentia eſt, cui columella vitrea vel alia idioelectrica affigitur. Huic laminae, alia etiam metallica plana, ſupponitur, quae eiuſdem ſit craſſitiei, ſed duos pollices latior, et reſina ſuperinducta: Quodſi experimentum inſtitui debet, reſina haec frictione electrica redditur, et prior lamina ei imponitur, manuque altera attingitur, altera retrahitur, atque ſic plures ictus et ſcintillum extrahuntur, praeter, quod electrica vis renouetur. p. 176.

BECCARIA vitream tabulam, in vno latere lamina ſtannea texit, altera parte filis ſericis vel laccea columella laminam ſtanneam inſtruxit eique conductore electrico vim electricam communicauit.

Hinc nullum aliud diſcrimen ſequitur, niſi, vt *poſitiua electricitas* ſe oſtendat in inſtrumento BECCARIAE, vbi in Electrophoro a VOLTA inuento *negatiua* agat.

Acui magneticae, vel alii cuicunque, ſi hoc modo electrica vis communicatur, ea mobilis eſt verſus omnia corpora, non electriſata. Atque ſic forſan etiam in iis experimentis, quae ad animalem magnetiſmum demonſtrandum inſtituta ſunt, electrica vis, non magnetica egit; cum magnes in theca, vernice obducta, contentus, menſae cuidam metallicae, quoque vernice obductae, et antea politae impoſitus, ſic electricus factus ſit.

11) Cl. HACQVETI, *Chirurgiae et artis obſtetriciae doctoris* Laybachi *in* Carniolia, *obſeruationes in itinere verſus* Semlin, *inſtitutae.* Spectant multae ad mores et vitae genus incolarum, quorum adiit Cl. Auctor terras. Iis inſperſit obſeruationes quaſdam phyſicas. Breuiter deſcribit mon- p. 230. p. 231.

tes

tes Carnioliae inferioris, qui ſunt calcarii, ab oriente verſus occidentem extenſi, petrefactis referti: hos interiacent minores argillacei colles, qui mineras ſerreas continent.

p. 230. In Vngaria et Illyria fere ſemper febres graſſantur, quod ab aqua impura, incolarum impuritate, noctibus frigidis diebuſque calidis et tranſpiratione ſic ſuppreſſa deriuat.

p. 234. Vngariae magnam planitiem, vndique montibus cinctam, putat, antiquiſſimis temporibus fuiſſe mare, quod Caſpico ſimile fuerit, et denique verſus *Portam* ferream perfregerit ſicque inundauerit Bulgariam et Romeliam; Vngariam vero et Illyriam in ſiccum fertile ſolum mutauerit. Confirmare hanc hypotheſin videntur, petrefacta ligna et conchylia, ſenſim adſcendentes montes Friaulenſes, et ſolum calce et argilla mixtum.

p. 240. De *Populo nigra* notat eam diu in aqua iacere neque tamen putreſcere, quare vtilis huius arboris cultura oeconomis ſuadenda eſt.

p. 246. Vti aues et quaedam inſecta in alias regiones migrant, ita quoque obſeruauit Cl. Auctor ſerpentes, et praeſertim Colubrum natricem ex Slauonia et Sirraeia, Seruiam trans Sauum fluuium autumni tempore petere; et vere iterum remigrare. Simul deſcribit *Boletum*, eumque depictum tradit, quem et in *Croatia* ſemper ſalicibus adnaſci vidit. Similis eſt *Fungo pileo ſemicirculari, ſupra conuexo, petiolo cylindraceo et punctato* SCHAEFFERI (*Fung.* P. II. 117. tab. f. 1. 2.); ſed differt, quod ſupra concauus, ſubtus conuexus ſit.

Denique oſtendit Illyriam multis in rebus, ratione incolarum, animalium et plantarum, cum etiam illic oſſa Elephantorum inueniantur, cum Sibiria comparari poſſe.

---

VIII.

## VIII.

Primae lineae de cognoſcendis mulierum morbis in vſus academicos ductae a GVALTH. VAN DOEVEREN Med. Doct. et Prof. Lugd. Batau. apud Sam. et Io. Luchtmans 1775. 8. pagg. 53, praeter praefationem et elenchum.

Cl. DOEVEREN agit hic de morbis mulierum in genere, virginum, mulierum nuptarum, grauidarum, parturientium, puerperarum, lactantium, effoetarum ſeu vetularum. Conſilium cepit Cl. Auctor ideo de hac re ſcribendi, quoniam libro hac de re exponente et praelectionibus academicis accommodato deſtitutum ſeſe intellexerat, vti et ex ipſa huius libelli inſcriptione patebit.

Morbi mulierum diuiduntur in vniuerſales et particulares. Vniuerſales plerique tales ſunt, vt iidem vel ſaltem iis ſimiles in viris quoque interdum occurrant, non vero tam ſaepius. Ac primum quidem hi deriuandi ſunt a conſtitutione corporis muliebris, quae eſt laxa, debiliſque ideoque prona ad morbos ex pituita nimia, lymphae aut ſeri colluuie, ſanguinis abundantia, cacochymia motuumque vitiis e. gr. obſtructiones frigidae, viſcidae cet.; dein a maiore ſenſilitate et teneritudine partium pendent, vt corporis et animi commotiones, ſpaſmi, conuulſiones, hyſteria, cet. quo forte haud immerito ipſe cancer reuocari poteſt; porro ex conſenſu vteri cum toto corpore, inde ſexcentorum morborum fontem iam HIPPOCRATES hauſit; item hi morbi vniuerſales mulierum proficiſcuntur ex animi plerarumque feminarum ſenſilitate nimia atque irritabilitate et cernuntur in neruorum affectione; poſtea genitalium muliebrium mechaniſmus p. 2.

mus in cenſum venit e. g. ſterilitatis variae ſpecies, hydrops vteri et ouarii, affectiones nonnullae venereae, ſcirrhi, ſarcomata, herniae, prolapſus, deſcenſus aliaque mala; poſtmodum diuerſus habitus et diuerſa fabrica partium in feminis quid confert, e. gr. alui frequens durities, herniae crurales, vmbilicales et veſicae, mammarumque morbi, claudicationes cet; nec minus et morbi vniuerſales feminarum oriuntur ex vitae genere, vt lotrices cet. vt ex prauis nonnullis conſuetudinibus, vt ſuppedaneorum fotus cet. et ex variis vitae feminarum ſtadiis, vti in ſequentibus capitibus oſtendetur.

p. 6. Particulares vel proprii feminarum morbi dicuntur illi, qui iis ex natura ſui corporis et ſingularium partium fabrica earumque functionum diuerſitate contingunt, ideoque ex vario inprimis aetatis earum termino petuntur. Atque hos potiſſimum morbos particulares ſecundum ordinem, a nobis iam ſupra indicatum Cl. DOEVEREN hic perſequitur.

p. 7. In capite ſecundo itaque agitur de morbis virginum, a pubertatis annis vſque ad matrimonium, vel donec coelibes euadant, effoetae. Fontes primarii ſunt plethora, vitia genitalium organica, menſtruorum defectus ſ. alia vitia, ſtimulus venereus, irritabilitas atque ſenſibilitas nimia, veſtimenta arcta, ligaturae et machinae corporis deformitatem corrigentes, vitae genus varium pro regionis conditione, morum, conſuetudinis cet. diuerſitate. Ex magno itaque morborum, qui virgineam aetatem poſſunt comitari, numero, primarios modo hic Cl. DOEVEREN theoretice et practice pertractandos indicat: plethoram nempe pubertatis eiuſque effectus, menſium retardationem

vel

vel ſuppreſſionem, earum fluxum nimium, fluorem album, chloroſin, paſſionem hyſtericam, furorem vterinum, ſterilitatemque.

Accedimus iam ad morbos grauidarum. Prima eorum cauſſa exſpectatur in ſeminis maſculini ingreſſu in vterum, altera eſt maior corporis ſenſilitas, tertia eſt mirabilis mentis diſpoſitio ad animi affectus validiores, vbi vero imaginationis maternae vim in fetum non largitur Noſter. Menſtruorum ceſſatio porro poſt conceptionem eſt quoque cauſſa morborum diuerſorum tam in primo grauiditatis ſtadio, quam in altero. Plethora enim noua nata, haemorrhagias, ſpaſmos, abortum cet. cauſſat. Iam accedit ad vteri grauidi incrementum, adſcenſum et immanem ſaepe expanſionem, vnde naſcitur magna ſeries morborum abdominis, pectoris ipſiuſque capitis, nec non artuum inferiorum torpores, dolores, crampi, oedemata, eryſipelata, varices, haemorrhagiae, vlcera, labiorum vulvae inflationes, variaque vitia partium genitalium et alia multa pro diuerſa partium compreſſarum aut diſtentarum actione variis nominibus inſignienda. Increſcunt praeterea illorum effectuum numerus et magnitudo ex ſitu vteri minus naturali. Partium peluis vicinia et conſenſus cum vtero grauido diſtento non minus obnoxias reddit grauidas affectionibus a veſicae, inteſtini et neruorum iſchiadicorum aliorum connexione, compreſſione vel irritatione, vnde ſpaſmi, dyſuria cet. oriuntur. p. 13.

Non raro fetus ipſe creat grauidis moleſtiam atque morbos. Circumvolutionem fetus Noſter *) non admittit. p. 19.

Partu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 159 ſeqq.

p. 23. Parturientium morbi ſunt ii,qui a cauſſis partum concomitantibus feminis accidunt, quorum rurſus alii aliis etiam mulieribus ſuperuenire poſſunt, alii parturientibus omnino ita proprii ſunt, vt ſine partu locum habere nequeant. Cauſſae deriuandae ſunt a matre, a fetu et ab obſtetricante. Exempli loco memorantur dolores ad partum ſpurii, partus lentus et difficilis, haemorrhagia vteri in partu ipſo ſuperueniens, conuulſiones parturientium, abnormis ſanguinis motus, congeſtiones eius inde natae.

p. 34. In capite ſexto morbi puerperarum pertractantur. Cingulam ſeu faſciam, quae abdomini puerperae applicatur, reiicit Noſter. Inter multos puerperarum morbos nominat earum debilitatem et ſenſilitatem, tormina poſt partum, ſecundinarum morboſam excluſionem; fluxum lochiorum imminutum aut ſuppreſſum, ſiue nimium, inflammationem vteri eiuſque ſequelas, abſceſſum, gangraenam cet. febrem lacteam et lactis motus abnormes ſiue errores, febrem purpuram, diarrhoeam, cui addi poſſet febris puerperarum ſingularis, de qua non multum poſt quaedam ſcripta Anglica indicabimus *).

p. 43. Iam in ſeptimo capite Noſter venit ad morbos lactantium, qui proficiſcuntur a peruerſa ſecretione vel excretione lactis, vel a vitiis organicis mammarum ad lactationem non aptarum, vel a conditionibus proximum cum his commercium habentibus. Agit itaque hic de lactis defectu et abundantia nimia, praua eius qualitate, de papillarum variis vitiis et de nonnullis mammarum morbis ſingularibus.

Tranſit

*) vid. paullo infra.

Tranſit nunc Noſter ad morbos effoetarum ſeu vetularum, quorum plurimi partim a ceſſatione catameniorum, partim a ſenectute ſunt repetendi. Plethora menſtrua itaque eſt praecipua cauſſa horum morborum, quae in totum corpus, vteri viciniam et vterum ipſum agit. Dein ſtagnatio ſanguinis in vaſis vteri et vicinarum partium, eiuſque corruptio et acredo efficit dolores, tumores, ſcirrhos, carcinoma, fluores cet. Similem in modum ſerum aut lympha ſtagnans anſam praebuit hydropi et tympanitidi vteri, ouarii, tubaeque. Noua occurrunt in vetulis conamina ad menſium fluxum renouandum, cuius exempla annorum LX et LXX occurrunt. Elegit Noſter potiſſimum hic grauiditatem falſam, ſcirrhum vteri et cancrum, hydropem vteri, eiuſque tympanitidem, ouariorum hydropem, molam et exereſcentias varias. p. 48.

IX.

CAROLI IOSEPHI OEHME diſſ. inaug. de morbis recens natorum chirurgicis. Lipſiae 1773. ex officina Breitkopfia. 4. pagg. 64.

Praeter haereditarios morbos ex labe parentum in natum hominem translatos, vt ſunt lues venerea et arthritis, aliis etiam, qui eo tempore, quo vtero includuntur, orti ſunt et qui connati appellantur, recens nati affici poſſunt. Quorum quidem cauſſa non raro in intima viſcerum fabrica vel fluidorum mixtione latens, poſt partum euoluitur, qualis v. c. eſt in morbis ex meconio ortis, in aſthmate pituitoſo et in ictero recens natorum. Saepius tamen partes aut a mala conformatione, aut a laeſione ſub partu morboſe afficiuntur. Ex tanta igitur morborum varietate, eos potiſſimum

Cl. OEHME perſequitur, quibus chirurgia proſpicit: monſtroſae tamen fabricae nulla ratione habita, in qua mutanda nihil praeterea propemodum valet chirurgia. Quapropter recenſet hic Noſter praecipuos morbos, tum connatos, cum breui poſt natiuitatem accedentes, chirurgicum auxilium poſtulantes. Hi nempe ſunt variae capitis laeſiones, quae in partu accidunt, vt capitis tumor, caput compreſſum, ſuturae apertae, hydrocephalus, hernia cerebri, ſpina bifida, porro organa ſenſuum externorum laeſa, labia atque palpebrae coalita, labium leporinum; item morbi linguae et faucium, morbi pectoris, vt bronchocele, abſceſſus in mammis neonatorum, morbi vmbilici, vt ſunt varii exomphali; herniae inguinales et ſcrotales, morbi ſcroti, vrethrae, penis, atretae, anus clauſus, extremitatum et integumentorum adfectiones.

p. 21. p. 26. Labium leporinum et eius curationem accurate hic Noſter pertractat. Faſciam vnientem filis decuſſatis, non ab Anglis, vti Cl. BIEDERMANNVS *) credidit, ſed a Noſtro HEBENSTREITIO chirurgo Lipſienſi exercitatiſſimo inuentam eſſe, aſſerit Noſter.

p. 32. Ranularum, in neonatis quoque apparentium **) exſtirpatio cum cauterio actuali, vti Cll. LEVRETVS et DELEVRYE praeceperunt, Noſtro non ſatis ſecura videtur. Si tumor ex abſceſſu fit, is, pure contracto, aperiatur; ſin vero ad cyſticos pertineat, deſtruatur poſt effluxum humorum cyſtis, ne tumor regeneretur ***).

Broncho-

*) vid. EIVSDEM diſſ. inaug. de labio leporino. Argentor. 1770. 4.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 256.

***) v. ib. Vol. XV. 349.

Bronchocele *) ſeu potius tracheocele conna- p. 33.
ta hic a Noſtro commemoratur. Erat tumor permagnus, qui in puero recens genito ab aure et gena lateris dextri ad thoracis cum abdomine confinia propendebat. Eum cum arteria aſpera communicare et ad rariorem bronchoceles ſpeciem, quae ab aere erumpente oritur, pertinere, ambitus eius, in inſpiratione et dum puer clamaret, auctus, in exſpiratione et dum non clamaret imminutus et conſidens indicabat. Methodus, qua GOHLIVS **), cui debetur hic caſus, in eo vſus eſt, non deſcribitur; putat tamen Noſter in principio fomentationes ſpirituoſas et adſtringentes in ſimili caſu vtiles fore, quibus laxitas partium, morboſum ſtatum, aeris ſcilicet in glandulam quandam ingreſſum augens, aboleri et ſtatus naturalis reſtitui poterit. Si tumor nimium increſcat, illum variis locis incidere ſuadet Noſter, vt aer emittatur et hiatus morboſus aſperae arteriae detegatur: cuius coalitus tunc fortaſſe obtineri poterit. Aliud exemplum bronchoceles congenitae, ſtrumae magis analogae, pariter hic narratur. Hi tumores ſunt gerendi ad adultiorem vſque aetatem et tum vel reſoluentibus tentandi, vel exſtirpandi ſunt. Laudatur quoque alibi vſus teſtarum ouorum calcinatarum internus ***).

De tumoribus et abſceſſibus in mammis recens na- p. 34.
torum †) hic agitur. Neglectam expreſſionem ſeri multi vt cauſſam horum abſceſſuum accuſant, et etiamſi hoc non omnino negat Cl. Auctor, tamen

 veretur,

*) v. comm. noſtr. decad. II. Suppl. I. p. 187.

**) v. Act. med. Berol. Dec. II. Vol. VI. p. 70.

***) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. pag. 216. ib. Vol. XIX. pag. 488.

†) vid. ib. Vol. XX. pag. 691.

veretur, hos tumores multo ſaepius conſtrictioni faſciarum nimiae, vel incongruae, vel rudiori expreſſioni huius liquidi ſeroſi in mammis recens natorum vtriuſque ſexus reperiundi deberi. Suctionem eapropter omnibus reliquis modis hoc ſerum ſtagnans e mammis euocandi praefert.

p. 40. Exomphalis variis, vbi et hepatomphaloceles congenitae mentio eſt facta, deſcriptis, tumorem ſingularem in regione hypogaſtrica iam non deſcriptum Cl. Auctor. commemorat, qui aliquot poſt partum dies pueros quandoque infeſtat. Ii enim nonnunquam tertio quartoue poſt partum die inquieti fiunt, febre agitantur cum tumoris ab oſſe pubis vſque ad vmbilicum duritie et dolore. Plerique hoc malo perierunt. Sectiones cadauerum non inſtitui potuerunt. Ad tumores inflammatorios pertinet et muſculis abdominalibus ac peritonaeo inſidere videtur. Durities, quae ſaepius in longitudinem protracta funiculorum forma ſentitur, inflammationem fortaſſe ex obſtructis arteriis vmbilicalibus oriundam, prodit. Hinc culpam Noſter in neglectam expreſſionem ſanguinis in ligatura funiculi coniecit, qui non raro peruerſe verſus abdomen exprimitur. Eos, qui hoc morbo affecti non perierunt, clyſmata, fomenta ex emollientibus et emplaſtra ſimilia per noctem applicata ſeruarunt.

p. 41. Paulo fuſius exponit hic Noſter hiſtoriam herniarum congenitarum, a recentioribus *) inprimis exornatam. In quibus herniis inteſtina per proceſſum peritonaei ad teſtem deſcendunt. In puellis quoque ſimilis proceſſus peritonaei ligamenta vteri rotunda comitatur, in quo aqua interdum morboſe colligitur et hydrocelem congenitam format.

Voluu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 695.

Voluulus infantum connatus a b. LVDWIGIO hic Lipſiae eſt obſeruatus, quo inteſtinum rectum non longe a fine ſuo obturabatur. Aluus bene reſpondebat, ſed per interualla et cum crebriore et profundiore inſpiratione. Senſim alui obſtructio eſt inducta, quae pertinacior facta nullis remediis ceſſit, vt puella ſeptimo aetatis menſe obiret, poſtquam non multum ante mortem ſanguinem multum ſincerum, muco remixtum excreuerat. Clyſmata effluebant et cereolo immiſſo reſiſtentia paulo altius in inteſtino poſita percipiebatur. Sectione facta, inteſtinum craſſum totum in latere ſiniſtro inferiore ſex circiter pollicum longitudine in ſe contractum cernebatur; quo euoluto, ſecantes totum colon in ſe per plicas rediiſſe intelligebant, ipſo etiam coeco non relicto, vt colon nunc euolutum longitudine ſua vlnam et aliquot pollices ſuperaret. Inuaginationem hanc, quae anguſtiam et plenariam fere emphraxin canalis induxerat, connatam et ſubinde auctam fuiſſe, ſumma et per tendinea quaſi filamenta facta harum partium concretio clare demonſtrabat. Simile exemplum a Cl. HEBENSTREITIO in alio infante obſeruatum eſt. p. 59.

Extremitatum morbos Cl. Auctor ad tria fere momenta reducit, numeri ſcilicet aberrationem, ſitum vel nexum mutatum et vnitatis ſolutionem. Inter vitia integumentorum Cl. OEHME contemplatur quoque exanthema illud, quod Germani *Schälblaſen* appellant et creberrime in recens natis apparet. Sunt veſiculae maiores, limpidam aquam continentes, quae marginem inflammatorium oſtendunt. Apparent primo ad inguina, inde ad vmbilici viciniam, axillas et digitos deferuntur et poſt tres quatuorue dies exſiccatae decidunt. Seruant haec exanthemata typum morbi quaſi epidemici, p. 60.

vt vno anno frequentius et copioſius occurrant, quam altero. Curatio cernitur in laxantibus et forſan quoque in inciſione harum puſtularum inprimis magnarum, vt aqua ſordida effluat.

## X.

IOHANN STEIDELE *Wundarztes und Geburtshelfers Abhandlung von dem unvermeidlichen Gebrauch der Inſtrumente in der Geburthshülfe. Wien gedruckt bey Joh. Thomas Edlen von Trattner Kayſerl. Königl. Hofbuchdruckern und Buchhändlern* 1774. 8. *m.* 2. *K. T. Seit.* 160. *auſſer den Vorbericht.*

i. e.

Tractatio de ineuitabili vſu inſtrumentorum in arte obſtetricia. Auctore Cl. IOANNE STEIDELE.

Practicis regulis vniuerſalibus in applicandis inſtrumentis ad partum abſoluendum praemiſſis, oſtendit Cl. Auctor, quando et quomodo forceps curua capiti fetus difficili in caſu ſit applicanda; ſi caput eſt inclauatum; ſi caput intra matricem relictum eſt; ſi naturaliter quidem ſitum eſt, alia tamen adſunt impedimenta, quae capitis tranſitum morantur. Porro agit de capitis imminutione, de modo caput in matrice relictum inſtrumentis extrahendi; de aperiendo thorace, de herniis vteri. Addit praeterea hic Noſter tentamen clunes ſingulari inſtrumento extrahendi, et finit hunc tractatum cum partu caeſareo et vectis Roonhuyſiani vſu.

p. 34. Situs capitis praeternaturales varios Noſter hic deſcribit et varias cautiones addit. Inter alia impedimenta, quae caput fetus neque magnitudine,

ne, neque ſitu errans, nihilominus tamen forcipe extrahendum ſuadent, ſunt retentio vrinae, imminens ruptura vteri cet. Signa rupturae vteri, de qua varia Noſter collegit exempla, alibi a nobis iam narrata*), ſunt abdomen admodum craſſum et tenſum, vagina vteri retracta, orificium altius poſitum, crebri nec partum efficientes atque promouentes dolores ad partum, nimius fetus motus, inprimis autem tenſi dolores fixi, quos puerpera clare et continuo ita ſentit, vt locum accurate indicare queat.

Leuretiana curua forceps omnibus reliquis p. 64.
forcipis ſpeciebus praefertur eaque hic in icone ſiſtitur.

Quando cerebrum eximendum eſt ex cranio, vtun- p. 72.
tur obſtetricii medici perforatorio, forcipe et vncis Smellianis. Perforatorium nimis breue habere Noſtro videtur manubrium, atque vncos prorſus reiicit. Cl. Auctoris perforatorium, quod et hic in icone ſiſtitur, eſt longiore et validiore manubrio inſtructum. Vncus pariter, quo vtitur Noſter, ad oſſa capitis frangenda et extrahenda, eſt longior vulgari et hic quoque in icone delineatus. Atque his ſolis duobus inſtrumentis hanc operationem perficit, quam hic quoque accurate expoſuit Noſter.

Thoracem raro eſſe aperiendum Noſter affir- p. 94.
mat ſemelque modo ab Eo hoc eſt factum. Intelligit Noſter hic non diſſectionem fetus in partes, ſed aperitur tunc pectus et pulmones cum corde eximuntur, vt commodius pectus comprimi et extrahi queat.

Si vterus vel ante vel poſt conceptionem per p. 105.
annulum abdominalem tranſit, hernia vteri appellatur, cuius curatio autem minime, vti veteres

et.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 518.

et recentiores artis obſtetriciae ſcriptores ſunt autumati, ſecundum Noſtri opinionem in partu caeſareo cernitur. Verſionem fetus hic ſuadet et, annulo nimis contracto, praemitti debet diſſectio annuli, vti in herniotomia.

p. 112. A Noſtro excogitatum et hic icone repraeſentatum inſtrumentum clunes inclauatos extrahendi tunc a Noſtro laudatur, cum nec manu, nec forcipe, nec vncis Smellianis auxilium ferri poteſt, etiamſi illud ſine omni omnino laeſione aegrae poſſe applicari lubenter Noſter largitur.

p. 122. Iure meritoque videtur Noſtro a nonnullis probari partum caeſareum, praeſertim viribus puerperae non prorſus exhauſtis. Peluis anguſtia ſumma apparente, fetu tubario praeſente, ſeu in ouario, ſeu pelui latente, et tandem rupto vtero partum caeſareum Noſter concedit, in reliquis vero caſibus, vbi ille quoque eſt inſtitutus, eum reiicit totamque operationem hic deſcribit.

p. 152. Vectem tandem et Roonhuyſianum deſcribit Noſter, in icone ſiſtit, eius effectus declarat eoſque noxios non ſolum, ſed et interdum ſumme periculoſos iudicat ideoque eum plane reiicit. Atque ita tradit hoc opuſculum tironibus inexercitatis in arte obſtetricia. Omnes operationes breuiter deſcripſit Cl. Auctor et, partim ſua, partim aliorum experientia monitis illuſtrauit; exempla vero in poſterum pollicetur.

---

XI.

A treatiſe on the puerperal fever, wherein the nature and cauſe of that diſeaſe ſo fatal to lying-in women are repreſented in a new point of view, illuſtrated by diſſections and a rational method of cure propoſed and confirmed by experience. By NATHANAEL HVLME M. D. London 1772. 8. pag. 141.

i. e.

Tractatio de febre puerperarum eiusque natura et cauſa ſectionibus illuſtrata et methodo iis medendi. Auctore Cl. NATHANAEL HVLME.

Animaduerſiones, Germanicae verſioni *) additae potiſſimum ex Gallicis depromptae ſunt ſcriptoribus. Summa vero totius huius Hulmiani libri eo redit, ut primum morbus deſcribatur, dein ſigna colligantur eius prognoſtica et cadauerum nonnullorum, hoc morbo affectorum, ratione habita, methodus huic morbo medendi proponatur. Quibus praemiſſis, ſententiae Auctorum de cauſis huius febris colliguntur, addita Noſtri ſuper cauſſis eiusdem opinione.

Febris haec puerperarum Ipſi Noſtro non Sect. I.
nouus quidem videtur morbus, quin potius arbitratur iam diu illum feminis accidiſſe, attamen ſedes huius morbi atque eius cauſſa hactenus non recte a medicis ſunt cognitae. Appellatur idcirco et a Noſtro peculiaris morbus puerperarum haec febris, ſeſe diſtinguens ab omnibus reliquis morbis,



*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 570.

bis, qui ſolent alias puerperas infeſtari. Accidit haec febris omnibus anni temporibus, omnibus aetatibus et iis aeque, quae raro pepererunt, ac iis, quae ſaepe. Nihilominus tamen videntur eae puerperae, quae valde et ſupra vires tempore grauiditatis laborarunt, huic febri prius et facilius eſſe expoſitae, quam eae, quae quietem et commoditatem quaeſiuerunt.

p. 14. Ad ſigna pathognomonica huius febris pertinent: Dolor ſat vehemens in regione epigaſtrica, cui accedit febris et plerumque dolor in fronte et haec ſymptomata mox poſt partum apparent, a quo die ſecundum GALENVM Noſter quoque incipit numerare, nec non vti alii, ab eo, quo coepit febricitare aegra. Lochia mutant colorem et copiam, id quod Cl. WHITE, qui eandem rem tractavit, negat, vti non multum poſt indicabimus. Quibus praemiſſis Cl. Auctor illos potiſſimum morbos contemplatur, qui quandam produnt ſimilitudinem cum morbo, ab Eo hic deſcripto, et horum morborum diverſitatem a febre puerperarum perſequitur. Atque hi ſunt dolores poſt partum, febris lactea miliaris, paſſio iliaca flatulenta, vteri inflammatio et cholera.

Sect. II. Venit nunc Cl. Auctor ad ſigna prognoſtica. Bona ſunt pulſus et reſpirationis non adeo magna celeritas et debilitas, ſudor vniuerſi corporis et vrina turbida cum pulſu tardiore. Vomitus materiae viridis et atrae frequenter malum morbi exitum annunciant, cet.

Sect. III. Iam ad ſectiones cadauerum eodem morbo pereuntium progrediamur: Abdomen erat tumidum interdum, plerumque non tumidum, diar-

rhoea

rhoea antea praeſente. Primi cadaueris abdomen non erat tenſum, integumentis vero diſſectis ichor apparebat inter inteſtina et peluim latens. Omentum erat inflammatum et ſphaceloſum, imo ex parte etiam incraſſatum. Quo aperto, ichor quoque emanabat. Inteſtina cohaerebant firmiter et in eorum anfractibus, etiam valuulis, materia alba ſeu flaua, ſebacea conſpiciebatur. Pariter inteſtina erant inflammata omnia, plurimum in ſiniſtro latere, ibique et ſphacelus minabatur. Genitalia externe et interne integra erant, vterus perfecte ſanus, contractusque in pelui latebat. Reliqua abdominis viſcera bene ſeſe habebant, pectusque non aperiebatur. Secundi cadaueris abdomine valde tenſo, aperto, aer foetidus et ichoroſa colluuies occurrebat. Omentum quoque erat tenue et pariter ſphaceloſum. Ventriculus valde expanſus in ſe continebat humorem craſſum et atrum. Vterus erat integer. Pulmones inflammati cernebantur. Tertii cadaueris ſectio easdem res offert et probat. Pariter quarta ſectio conuenit cum praecedentibus et in hoc cadauere totum omentum erat ſphaceloſum, quod et vterum et tubas ouariaque colore imbuerat, nec non in ſubſtantia omenti vlcus apparebat. Vterus et hic, vti et in reliquis ſectionibus, nullam praeternaturalem prae ſe ferebat mutationem. Videtur itaque ſedes huius morbi in abdomine ac plerumque in omento eſſe.

Methodum huic febri puerperarum medendi Sect. IV Cl. HVLME poſtea recenſet eamque duplicem proponit. Ac prima quidem attinet ſimplicem hunc morbum, altera ſpectat compoſitum et complicatum. Aluina euacuatio inprimis in his aegris eſt curanda ac primum quidem clyſmatibus, dein remediis laxantibus et vomitoriis. Noſter potiſſimum

mum vſus eſt ſale amaro, oleo ricini americani fructu racemoſo hiſpido *), tartaro emetico et vino antimoniali, quod ex croco antimonii ſeu metallorum et albo Hiſpanico vino paratur **). Quo facto et quidem cum leuamine dolorum, perſpirationem ſuſtentare et quodammodo augere iuuat. Hoc tamen oportet fieri remediis, quae neque obſtructiones aluinas efficiunt, neque exaeſtuationem cauſant. Et hoc praeſtant paruae doſes ipecacuanhae, ſeu tartari emetici, ſeu vini antimonialis addita parua doſi opii. Laudat et hic RIVERII potionem ſalinam ex ſale abſinthii et ſucco citri vt anthiphlogiſticum et diureticum remedium. Venaeſectionis vtilitas, de qua diſputatur hic in vtramque partem, in hoc morbo non negatur a Noſtro, interim tamen magna cautione in ea opus eſſe aſſerit. Veſicatoria nec minus hic interdum iuuant. Radice ſenegae ***), quae eſt *Polygalae ſenega* LIN. et contra pleuritidem laudatur, Noſter quidem vſus eſt, audet tamen nil ſtatuere de virtute eius, quae cerni dicitur in alui, vrinae et perſpirationis libertate et augmento, ita, vt aegre venaeſectio admitti debeat. Ceterum *Polygala vulgaris* in pleuritide et aliis pectoris morbis †) commendatur. Maximam itaque attentionem in hoc morbo merentur primo diarrhoea, quae nimia caute moderanda eſt, vitales porro vires, quae ſunt conſervandae, et denique putredo ſolidarum et fluidarum partium, quae eſt emendanda.

In-

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 456. Vol. XXI. p. 430.

**) *Neuverbeſſertes Engliſches Diſpenſatorium 2ter Theil S. 94.*

***) v. comm. noſtr. Imae decad. ſuppl. I. p. 96.

†) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 139 451 et 585.

Inquirit tum Cl. HVLME in ſententias Auctorum de cauſſis huius febris puerperarum et de venaeſectione in hoc morbo, ſecundum variorum Auctorum diuerſas ſententias diſputat. Nos vero hic Auctores ſolummodo nominabimus et quorum ſententias indicabimus. Sunt vero hi: HIPPOCRATES, AVICENNA, EVCHARIVS RHODION LVDOVICVS MERCATVS, FELIX PLATER, DANIEL SENNERT, LAZARVS RIVERIVS, THOMAS WILLIS, FRANC. DE LE BOE SYLVIVS, FRANC. MAVRICEAV, THOMAS SYDENHAM, HERRMANN BOERHAAVE, EDVARD STROTHER, FRID. HOFFMANN, DE LA MOTTE, IOANNES BVRTON, WILLIAM SMELLIE, S. A. TISSOT, GERHARD. LIB. BARO VAN SWIETEN, IOANNES ASTRVC, THOMAS COOPER, THOMAS DENMAN, ROBERTVS WALLACE IOHNSON, IOANNES MILLAR, HENRICVS MANNING. His Auctoribus in Germanica verſione ſunt additi NICOLAVS PVZOS, ANDREAS LEVRET, F. A. DELEVRYE. Sect. V.

EDVARDVS STROTHER *) primus a Noſtro appellatur Auctor, qui de febre puerperarum ſcripſit. Refert illam ad febres inflammatorias et credit eam oriri, vti plerique horum ſupra nominatorum Auctorum ſolent arbitrari, a lochiorum ſuppreſſione. Vt ſignum pathognomonicum febris huius indicantur a Cl. STROTHER, dolores ſub vmbilico, in omni abdomine et lumbis. Alii vt SWIETENIVS, TISSOTVS et DELEVRYE in hoc morbo et ad aberrationem lactis reſpexerunt. Venaeſectio in hoc morbo laudatur atque vituperatur. Nos vero a parte Noſtri Auctoris nonnullorumque aliorum Auctorum, vt Cl. MANNING, ſtamus, qui nullam vniuerſalem regulam hic ſtatuant, ſed pro ſymptomatum varietate, eam ſuadeant vel diſſuadeant.

Nam

*) Criticon febrium: or a critical eſſay on fevers Lond. 1718. chap. IX. p. 212. The puerperal fever.

Nam pro febris vehementia, doloris magnitudine, morbi ſtadio, ſanguinis profluuio ante et poſt partum cet. dirigi oportet venaeſectionem in hac febre puerperarum. Item omnino cauſarum diuerſitas aliam atque aliam huius febris medelam requirit. Vteri inflammatio, lochiorum ſuppreſſio, humorum acredo, aeris infectio, latens in ſanguine acrimonia miliaris, perſpiratio ſuppreſſa, lactis aberratio ſ. metaſtaſis lactea, impuritates infimi ventris, inflammatio inteſtinorum et omenti cet. dicuntur huius febris cauſſae atque ad eas potiſſimum eſt reſpiciendum medicis in aegris his medendis. Optatur eapropter in verſione huius libri Germanica, vt differentia et ſigna harum ex diuerſis cauſſis oriundarum febrium explicentur et dein earum medela ſecundum harum cauſarum varietatem definiatur. Praecipuae cauſae harum febrium puerperarum indubitato ſunt inflammatio inteſtinorum partim, partim impuritates in iis collectae, interdum utraque. Vtrum vero inflammatio ab vtero grauido oriatur, an ab impuritatibus inteſtinorum proueniat, dubitat Cl. Auctor. Nos arbitramur, potius ab impuritatibus inteſtinorum, quam ab vtero eam oriri.

Sect.VI Cl. HVLME autem, vti ex ſectione ſexta, qua ſua ſententia de cauſis puerperarum traditur, apparet, vteri grauidi preſſionem iudicat cauſam praediſponentem inteſtinorum inflammationis. Recte omnino cauſas diſpeſcit in immediatam ſeu proximam, atque in praediſponentem ſeu remotam et occaſionalem. Proxima cauſa huius febris a Noſtro ſecundum ſuas cadauerum ſectiones ſupra *) etiam a nobis commemoratas, quaeritur in inflammatione inteſtinorum et omenti. Omen-

*) v. ſupra p. 75.

Omentum pati poſſe per grauiditatem et inde ortam extenſionem et preſſionem, BAVHINVS, SWIETENIVSque animaduerterunt. Bene autem quoque monet Cl. Auctor, omentum ideo adipe eſſe imbutum et totum canalem inteſtinorum et omnino abdominis cauitatem ita eſſe formatam, ne vteri grauidi preſſio noceat, id quod et nobis cum Cl. LEAKE videtur.

## XII.

**Practical obſeruations on the child-bed fever; alſo on the nature and treatment of uterine haemorrhages, conuulſions and ſuch other acute diſeaſes, as are moſt fatal to women during the ſtate of pregnancy. By IOHN LEAKE M. D. Member of the College of Phyſicians in London and Phyſician to the Weſtminſter Lying-in Hoſpital. London printed for I. Walter. 1772. 8. pagg. 404.**

i. e.

**Practicae obſeruationes circa febres puerperarum, naturam et curationem haemorrhagiarum vterinarum, conuulſiones grauidarum letales cet. Auctore Cl. IOANNE LEAKE.**

Germanice et hic liber *) prodiit, cuius iam ſummam cum Lectoribus communicaturi ſumus. Haec verſio Germanica appendicis loco ſeſe finit deſcriptione novae forcipis tribrachialis a Cl. LEAKE inventae et ex alio Cl. Auctoris libro

*) *Praktiſche Bemerkungen über verſchiedene Krankheiten der Kindbetterinnen und Schwangern nebſt der Beſchreibung einer neuen Zange zur Geburtshülfe durch* IOHN LEAKE. *Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipzig bey M. G. Weidmanns Erben und Reich* 1775. 8.

libro *) depromtae. Genuina autem huius libri editio iterum prodiit Londini 1774 **) ſecundum quam germanica verſio quoque eſt facta. Tribus tractationibus conſtat hic liber, quarum vna attinet febres puerperarum, altera ſpectat naturam, cauſſas et curationem haemorrhagiarum vterinarum, quae ante et poſt partum apparere ſolent, et tertia conuulſiones et alias breui letales affectiones morboſas grauidarum ſiſtit.

p. 1. In introductione monet Cl. Auctor, ſe docere iam per tres annos de febribus puerperarum id, quod Cl. HVLME in ſua tractatione, quam non multum ante breuiter recenſuimus, propoſuit, omentum ſcilicet inprimis in iis pati et inflammatum eſſe. Obſeruauit enim Cl. LEAKE anno ſexageſimo nono et ſequente ſeculi decimi octaui diuerſas eiusmodi aegrotas partim in praxi ſua priuata, partim in puerperarum noſocomio Londinenſi (*Weſtminſter*) cui praeerat Noſter. Ianuario et Februario menſibus hic morbus valde erat acutus et in diuerſis vrbis partibus vere epidemicus. Ad cauſam itaque huius morbi eo melius detegendam cadauera aperiebantur. Cernebatur tum omentum vel penitus deperditum et corruptum ac in pus lacti corrupto ſimile mutatum, vel ex parte in-

*) Lecture introductory to the theory and practice of midwifery Lond. 1773. 4. De quo opere notat translator, ſeſe ideo ſuae germanicae verſioni addidiſſe deſcriptionem forcipis novae et iconem, quoniam illud praeter vnam tractationem de morbis haereditariis et de praecauendis variolis, quae et inſerta eſt volumini ſecundo: *Sammlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte Leipzig* 1776. 8, caeteroquin nullas nouas complectitur res.

**) Practical obſeruations on the acute diſeaſes incident to women cet.

inflammatum et ſuppuratum. Haec inflammatio ſeſe extendebat ad ſuperficiem inteſtinorum et in abdomine purulenta materia, ſero lactis ſimilis, ſanguine et lacte coagulato ſimili materie mixta erat. Anno 1770. mortuae ſunt feminae 270. antecedente anno 158. et in ſequente 172. Apparet itaque, anno 1770 plures, quam tertiam partem eſſe mortuas, neque dubitat Noſter, quin ſaltem dimidia harum pars hoc morbo ſit mortua. Quoniam autem numerus demortuarum puerperarum per totum annum non vnus idemque, ſed a menſe Decembris vsque ad Maium maior erat: a nulla alia cauſa, quam a maligna et noxia aeris conditione deriuari hoc poſſe Noſter adducitur vt credat.

Qua cauſſa vlterius demonſtrata et tempeſtatum viciſſitudinis ratione habita, hiſtoriam morbi ſecundum ſua ſymptomata enarrat Cl. LEAKE. p. 31. Verſus veſperam ſecundi vel tertii diei poſt partum puerperae horrore vehemente afficiebantur. Interdum horror ſerius ociusue apparebat, raro tamen quinto aut ſexto die poſt partum. Comitabantur eum capitis dolores, anxietates, nauſea et vomitus biliosi, virium proſtratio. Pulſus erat magna diuerſitas, tum quoad fortitudinem, cum quoad celeritatem. In ſingula ſexageſima horae parte a nonaginta vsque ad centum triginta et ſeptem ictus numerabantur. Die propemodum ſecundo poſt horrorem querebantur aegrae de dolore vehementi in ſcrobiculo cordis ſiue ventriculi regione, qui verſus vmbilicum et interdum verſus coſtas ſpurias ſeſe extendebat. Porro et dolor ſentiebatur in ſcapula. Interea abdomen tumebat et tenſum erat. Si haec abdominis intumeſcentia et tenſio, diarrhoea diſparente, apparebat et dolorifica loca ſupra nominata inprimis occupauerat: letale inde deriuabat Noſter

ſignum, et eius potentiorem cauſam quaerit, quam flatulentiam cet. Facies tum erat fera, artus tremebant, genae rubebant, labia coeruleum oſtendebant colorem, alae narium tenſae et ampliatae erant. Nec quidquam hic cum natura, tum ars poterat praeſtare. Lochia interea bene fluebant, id quod vero Cl. HVLME negat *). Sedes itaque morbi non eſt in vtero neque febris cauſſa eſt vterus. Raro apparebat in hac febre criſis perfecta. Galli et SWIETENIVS **) hanc febrem a metaſtaſi lactea et ab obſtructione lochiorum deriuarunt. Mammae autem vsque ad mortem lacte erant impletae. Id, quod in inteſtinis pro lacte habuerunt, erat purulenta materia omenti. Lochia ſaepe plane non turbabantur, interdum remanebant ſine vllis ſymptomatibus malignis. Vterum Cl. LEAKE ſemper ſanum et integrum reperit. Quapropter nunquam phantaſiae et deliria apparuerunt, vti alias fieri ſolet, vteri inflammatione praeſente.

p. 18. In ſectione ſecunda continentur practicae obſeruationes et concluſiones ex hiſtoria huius morbi ſimul cum medendi ratione, quae in hac febre fuit optima. Inter concluſiones practicas hae potiſſimum memorantur: 1) Quaedam mechanica mutatio, quae per partum in corpore parturientis inducitur, eſt praecipua cauſſa praediſponens huius morbi et ea, quae efficit, vt haec puerperarum febris ſolummodo poſt partum appareat. 2) Eſt haec febris nec a metaſtaſi lactea, nec a lochiorum ſuppreſſione, neque ab vteri inflammatione, neque a preſſione vteri grauidi, vti Cl. HVL-

*) v. ſupra p. 74.
**) v. ib. p. 177.

HVLME videtur *), repetenda. Venaeſeɛtionem ſuadet Noſter, cito inſtitui, alias prorſus omitti. Obſeruauit enim pulſum debilem, plane nullam inflammationem indicantem, et poſtea reperit in cadaueribus quarto quintoque iam die pus, cuius generationem Noſter ſine praegreſſa inflammatione non aſſumit. Quapropter et adeo vrget mox ab initio venaeſectionem, quoniam ſera nihil iuuat, dein laudat lenia purgantia et attenuans decoctum, quod largum in modum propinari oportet, vti omnino in inflammationibus fieri debet. Cum vero pulſus debilis ſaepe adſit, nec minus inflammatio oriatur: ſuadet Noſter, vt ad vitae genus, aetatem, grauiditatem cet. quidem reſpiciatur; attamen inprimis in re dubia, pulſus etiam obſervetur ſub ipſo ſanguinis evena effluxu. Si tunc pulſuum ictus fortiores, pleniores et aequales ſunt, venaeſectio fiat larga; e contrario, ſi ſunt debiliores cum maiori inaequalitate, venaeſectio eſt finienda. Attendendum autem et hic eſt ad ligaturam, quae ſaepe ex compreſſione arteriae pulſum debilem efficit. Quae cum ita ſint, venaeſectio primo morbi impetu eſt inſtituenda, dein vehementia et duratio horroris eſt minuenda; et hic ſuadet Noſter infuſum theiforme ex mentha; porro bilis, qualitate et quantitate peccans, partim eliminanda, partim corrigenda eſt; item diarrhoeam, ſi nimia eſt, nec critica, moderare oportet medicum et ad hunc finem obtinendum emollientia et anodyna, lenia diaphoretica; ſiue, ſi debilitas adſit nimia, opiata et leniter adſtringentia remedia proſunt. Denique, apparentibus ſignis putredinis et febris intermiſſionis conducunt antiſeptica remedia, vt cortex. Balnea calida Noſtro quidem non admodum profuerunt, interim tamen ea non reiicit. Bilem euacuat vomitoriis eamque dein corrigit



*) v. ſupra p. 78.

mixtura ſalina, ex ſale abſinthii et ſucco citri, addito ſpermate ceti et gummi Arabico temperata, quae ita praeparata lenius primas vias purgat. Oleum ricini, quod et Cl. HVLME *) ſuaſit, pariter hic Noſter laudat, et illud ſequentem in modum exhibet: recipe olei ricini cum vitello oui ſoluti vnciam vnam, magneſiae albae drachmas duas, mannae Calabrinae drachmas tres, aquae hyſſopi vncias octo. Miſce. Detur. Signetur: omni bihorio ſ. trihorio duo aut plura cochlearia. Simulac leniter euacuatae ſunt infimi ventris impuritates hoc remedio ex oleo ricini, dat Noſter puluerem ſequentem: recipe tartari emetici granum vnum cum dimidio, magneſiae albae drachmam vnam. Miſce, fiat puluis in ſex partes aequales diuidendus, detur per quartam horae partem vnus in iulapio ſequenti: recipe aquae cinnamomi ſimplicis, aquae menthae vel aquae ſimplicis ana vncias quatuor, ſyrupi croci drachmas tres M. F. Iulapium. Si tartarus emeticus nimis irritet et diarrhoeam minus ſalutarem excitet, quinque guttulae tincturae thebaicae iulapio poſſunt addi. Laudat praeterea tartarum emeticum, vt praecipuum remedium in hac febre, praeſertim ſi ſuam efficaciam per lenem ſudorem totius corporis cum leuamine aegri et ſymptomatum remiſſione prodit. Ad hunc ſudorem ſuſtentandum calidum copioſum potum Noſter ſuadet. Tandem fit haec febris purulenta, et in hoc ſtadio inquirit Noſter hic in corticis Peruuiani vſum, quem theoria vero pariter, ac experientia aegre admittit in hac febre. Putredini enim etiamſi cortex reſiſtit, tamen purulenta materia in abdomine, quae inde non deriuari poteſt, mortem cauſare debet. Interim tamen, cum deſit certum ſignum de praeſentia puris, omnia tentanda eſſe remedia arbitratur Noſter et

co-

*) v. ſupra p. 76.

eo conſilio corticis vſum hic largitur. Lochia hoc remedium, vti nonnulli rati ſunt, non turbat, quin imo interdum auget. Diarrhoeam interdum auget cortex, et tum eſt addendum opium ſ. granatorum cortex cet. Veſicatoriis, quae abdomini applicari poſſunt, praefert Noſter ſinapiſmos. Vnguenta vt linimentum volatile ( *volatile liniments* ) *) aliaque cum fructu Noſter adhibuit. Inter omnia remedia autem, quae vtilia in hac febre puerperarum Noſter obſeruauit, inprimis commendat venae ſectionem in initio morbi et methodum antiphlogiſticam.

In tertia ſectione traditur ratio has febres puerperarum arcendi. Potiſſimum haec curatio prophylactica cernitur hic in diaeta, inprimis vegetabili, puritate aeris, linteaminum cet, quiete, animi tranquillitate cet. p. 148.

Morbi hiſtorias et ſuper iis annotationes complectitur quarta pars, additis praeterea nonnullorum cadaverum ſectionibus. Si deiectiones ſint putridae, clyſmata adhiberi poſſunt ex aere fixo; de quibus alibi**) dictum eſt. Omentum fere omne in pus mutatum et reſolutum; reliquam partem inflammatam et inteſtinis adhaerentem Noſter reperit. In peluis cauitate putrida et ſero lactis ſimilis humiditas, quae pure craſſo et cruore, qui ex arroſis vaſis omenti manare videbatur, mixta erat. Vterus iam erat contractus, caeteroquin ſanus et integer. Hepatis ſubſtantia erat illaeſa, eiusque color ac ſi coctum fuiſſet. In inteſtinis erat p. 161.



*) v. BVCHAN'S domeſt. medicine. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 585.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. in 98. 125 453. 446. 600.

erat quoque obſcure viridis humiditas. Pulmones erant ſani, paululum vnus lobus pleurae adhaerebat. Mentionem hic facit Noſter phaenomeni, quod contra ſuam ſententiam de ſede et cauſis huius febris puerperarum apparuit. Omnes puerperae, quae hac febre afficiebantur, mammarum morbis ſunt deſtitutae; e contrario quarum mammae vlceroſae fiebant, nullae ſunt mortuae, item etiamſi mammarum vlcera multas creabant doloroſas moleſtias, tamen febris non erat tam vehemens, quam haec febris puerperarum, nec diarrhoea aderat.

Ex reliquis cadauerum ſectionibus id, quod non multum ante breuiter tradidimus, probatur confirmaturque: nonnulla igitur partim phaenomena, partim concluſiones ſolummodo hic ex iis notabimus. Raro occurrunt in his puerperarum febribus vlcera purulenta thoracis. Bilis plerumque ita craſſa erat, vti mel, et fuſca. Thoracis mediaſtinum erat inflammatum, pulmones vero ſani reperiebantur. Interdum in thorace materia purulenta aderat, illaeſis tamen pulmonibus. In vno cadauere Noſter ſolummodo reperit omentum, nec corruptum, nec ſuppuratum. Inteſtina interdum erant inflammata. Apparuerunt quoque petechiae in quibusdam aegris.

In noſocomio obſtetricio Londinenſi (*Weſtminſter Lying-in Hoſpital*) ſunt decem domicilia. Numerus erat earum, quae pepererunt in hac domo a 10. Aprilis 1767, quo anno et illa eſt fundata, ad 30 Novembris 1769, CCLVIII. Ex illis tres febre puerperarum laborarunt et vna ex iis periit. Alia moriebatur variolis die primo poſt partum. Ab initio Decembris 1769 vsque ad 15. Maii 1770. epidemica haec febris erat. In ea domo hoc tempore LXIII erant puerperae. XIX earum febre puerperarum laborarunt, aliae leues modo inſultus habebant. Ex iis in noſocomio morie-

moriebantur vndecim et duae apud ſuos affines. In eadem periodo vna puerpera in noſocomio inteſtinorum inflammatione obiit. A. 15. Maii 1770 ad 29 Septembris 1772. CCCV. puerperae in noſocomio puerperii tempus abſoluerunt et inter eas duae tantum vitam cum morte commutarunt.

Haec febris Londini iam 1760 epidemice grasſata eſt. In Brittannico noſocomio obſtetricio a 12 Iunii ad vltimum diem Decembris eiusdem anni viginti et quatuor obierunt. Ab eo tempore haec febris vsque ad annum 1770 nunquam tam periculoſa euaſit.

In ſecundo tractatu de natura, et cauſis haemorrhagiarum vteri, quae partum vel antecedunt, vel ſequuntur atque de earum medela diſſeritur a Cl. LEAKE. Vteri haemorrhagiae oriuntur a violenta extractione placentae, a continuata item uteri extenſione per fetum relictum, vti fieri ſolet in partu gemellorum, nec minus eae deriuandae ſunt a defectu vis contractilis vtero propriae, qui plerumque ſequitur debilitatem et laxitatem ſolidorum in vniuerſum. Si quis eos caſus definire vult, quibus vel topica remedia vel interna medicamina vel tandem arte excitatus partus conducat, cauſſae haemorrhagiarum et ſymptomata aegrarum, corporis conſtitutio atque varia conditio, in qua vterus ante et poſt partum verſatur, diligenter ſunt expendenda. Poſtulant interdum haemorrhagiae vteri partum artificialem, qui minime eſt accelerandus, ſed viribus vitae declinantibus, et tum vel animi deliquiis praeſentibus partus eſt promovendus. Cortex vero cum elixirio vitrioli haemorrhagiis ſedandis ſeruiit. Narrat hic Noſter exemplum, quod Cl. COTE obſeruauit, vbi placenta penitus vtero adhaerebat, magna pars vero p. 243.

 ſpu-

ſpurii chorii ſ. membranae deciduae Cl. HVNTERI ſeparata erat ab vtero. Venaeſectiones hic raro conducunt, licet eae ſimul cum vſu interno remediorum adſtringentium, opii, ac quidem magna in doſi, ligaturaque membrorum praecipua haemorrhagias ſiſtendi remedia, vti putant, efficiant. Adſtringentia, inprimis ſaccharum ſaturni reiicit Noſter. Exemplum narrat, vbi eius vſus obſtructiones pertinaces alui, doloresque colicos et ſpaſticos effecit, nec quidquam ad haemorrhagias vteri ſiſtendas contulit. Ad extenſionem arteriarum vterinarum imminuendam et haemorrhagiam ea ipſa temperandam ſuadet Noſter relaxantia remedia. Quorſum et refert tartarum emeticum in parca doſi. Excitauit enim quarta grani parte nauſeam ſine vomitu. Item potio ſalina ex nitro ſ. ſale ſedatiuo HOMBERGI huc pertinet Quamuis enim horum remediorum effectum difficulter definiri poſſe Noſter largitur; tamen experientia confirmat in hoc caſu eorum vtilitatem. Quod opii vſum attinet in his haemorrhagiis, obſeruauit Noſter quidem magna opii doſi dolores ad partum eſſe imminutos, parua auctos contra, cuius rei et Cl. YOVNG mentionem iam fecit, attamen haemorrhagiarum potius augmentum, quam decrementum Cl. LEAKE expertus eſt; quapropter opii vſum, cuius vis cum effectibus volatilium exaeſtuantium et cardiacorum remediorum maiorem in modum conuenit, in haemorrhagiis rarius conducere arbitratur. Ligaturas extremitatum iam veteres ad haemorrhagias ſedandas laudarunt, Noſter vero eas reiicit et theoretice atque practice noxias periculoſasque iudicat. Frigidum contra regimen, epithemata frigida, pediluuia e. ſ. p. his haemorrhagiis moderandis pulchre ſeruiunt. Haemorrhagiae ante partum ſunt periculoſiores iis poſt partum. In haemorrhagiis poſt par-

partum inieſtiones vterinae adſtringentes vel purificantes conducunt. cet.

In tertia tractatione de conuulſionibus et aliis breviter letalibus ſ. acutis morbis gravidarum agitur. Venaeſectioni deriuatoriae et reuulſoriae Noſter non fauet. Conuulſiones neque ſemper ſedat partus *), neque continuo ſunt letales. Id quod Noſter quibusdam morbi hiſtoriis probat atque confirmat. Reliqui morbi, quos hic potiſſimum Cl. Auctor contemplatur, ſunt inflammatio pleurae ſ. pleuritis, dyſenteria et variolae, quibus grauidae iis laborantes facile moriuntur. Mulierem in vtero gerentem ab acuto aliquo morbo corripi letale eſſe, legimus apud HIPPOCRATEM; Noſter vero e contrario exemplum hic memorat, vbi grauida morbum acutum feliciter ſuperauit et partum iuſtum atque integrum abſoluit. Methodus medendi dyſenteriae conuenit cum curatione diarrhoeae in puerperis, quam ſupra Noſter cum Lectoribus communicauit. Opium in dyſenteria raro leuamen, quod durat, efficit; auget potius anxietates et dolores inteſtinorum, cum euacuationem materiae morbificae impediat. Variolarum veſtigium nunquam Noſter obſeruauit in fetu, adſunt vero profecto exempla **) etiamſi Cl. COTVNNIVS ***) ea negat. SWIETENIVS †) narrat rarum exemplum gravidae, laborandis variolis, quae feliciter et rite peperit. Nos aliquoties abortum obſeruauimus poſt feliciter ſuperatum variolarum morbum; id quod plerumque fieri et Cl. LEAKE aſſerit. p. 319.



*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 684, 699. et ib. decad. II dae ſuppl. II p. 201 et ſq..

**) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 506. it. Vol. XIX. p. 75. ib. decad. Imae ſuppl. IV. pag. 694 ſeq.

***) v. ib. Vol. XVIII. p. 411.

†) v. ib. Vol. XIX. p. 75.

XIII.

A Treatiſe on the management of pregnant and lying-in women and the means of curing, but more eſpecially of preuenting the principal diſorders, to which they are liable. Together with ſome new directions concerning the deliuering of the child and placenta in natural births. Illuſtrated with caſes. By CHARLES WHITE F. R. S. Member of the Corporation of Surgeons in London and Surgeon to the Mancheſter Infirmary. London printed for Edward and Charles Dilly 1773. 8. pagg. 353. tab. aen. 2.

i. e.

Commentarius de cura praegnantium et puerperarum, nec non methodo medendi his morbis vel praeſertim praeſeruatione. Accedunt noua praecepta circa partum pariendi et modum placentam ſoluendi in naturali ſtatu, caſubus illuſtrata Auctore CAROLO WHITE.

Primum quidem Cl. WHITE inquirit in cauſas et ſymptomata febris puerperarum, dein contemplatur febrem miliarem et lacteam, poſtea vniuerſales cautiones tradit varios grauidarum morbos arcendi, item partum naturalem conſiderat, atque ſecundinarum ſolutionem, et dolorum poſt partum rationem habet; porro docet, quomodo febris puerperarum et lactea ſint arcendae, demum methodum medendi miliari febri communicat et varios caſus et obſeruationes ſimul cum appendice ad-

addit. Prodiit quoque huius libri verſio Germanica variis annotationibus ditata *).

Vera origo huius febris puerperarum cernitur ex Noſtri mente in putredinoſa aeris conditione **), quae non a calore aeris deriuanda eſt, nec exaeſtuantibus et calefacientibus medicaminibus interne datis tribuenda. Putredinem autem augere potuerunt hae res; calor enim aeris et omnino regimen calidum multorum ſymptomatum huic febri puerperarum ſuperuenientium cauſa eſt. Vti porro lochiorum retentorum vapores poſſunt reſorberi et ab humoribus excipi et cauſſa febris puerperarum fieri, quae horrore apparet: ſic ea febris puerperarum ex contagio interdum epidemice graſſatur et magis putridae, quam inflammatoriae eſt indolis. Oritur ergo, vti Cl. WHITE arbitratur, ex contagio putrido, bile acre putrida et putridis omnino impuritatibus inteſtinorum et partium genitalium, quas Cll. HVLME et LEAKE illaeſas ***) deprehenderunt. In abdomine eorum cadauerum reperitur extrauaſatum ſerum, ſero ſanguinis cum pure ſimile, talis quoque materia in ſuperficie inteſtinorum adeſt. Febris miliaris †), quae valde olim fuit communis puerperis, raroque critica, hic deſcribitur et huius morbi antiquitas traditur. Inter multos Auctores, qui purpurae mentionem fecerunt, a Noſtro notatos, memorabimus modo ALLIONIVM (*) et SCHVLZIVM

p. 1.

p. 27.

*) CARL WHITE *von der Behandlung der Schwangern und Kindbetterinnen. Aus dem Engliſchen überſezt, mit Kupfern. Leipzig bey Caſpar Fritſch* 1775. 8.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 447.

***) v. ſupra p. 75 et 81.

†) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 420. 524. ib. Vol. XIV. p. 671. et 680 it Vol. XVIII. p. 349. it. ib. decad. IIdae ſuppl. III. p. 505.

(*) EIVSDEM tr. de miliarium origine progreſſu natura et curatione. Turin. 1758. 8.

ZIVM DE SCHVLZENHEIM *). Plurima enim huc pertinentia ſcripta v. g. HAENII, STOERCKII, CVLLEN, COLLIN cet. a nobis in his commentariis noſtris ſunt indicata, vti partim ex iis, quae iam laudauimus, apparet et praeterea ex indicibus horum commentariorum apparebit. Vtrum critica, an ſymptomatica ſit purpura? potiſſimum quaeritur, et varie quoque ab aliis atque aliis viris doctis ſentitur in hac re. Nos vero arbitramur, purpuram rariſſime eſſe criticam, eamque pariter, quae puerperis ſuperuenit, quam quae et in aliis aegris apparet, ſaepiſſime ſymptomaticam eſſe, atque pendere potiſſimum ab impuritatibus infimi ventris et regimine nimis calido. Noſter quoque purpuram non criticam eſſe iudicat.

p. 56. Febrem lacteam oriri Noſter affirmat ex collecto in mammis lacte, quod non ſugitur, ſed reſorbetur atque cum humoribus denuo communicatur. Cauſas inter alias, ob quas lactatio nequit inſtitui, Noſter et memorat nimis impreſſas papillas per anguſtos thoraces. Suctio conuenit cum antliae pneumaticae effectu, vti et Cl. STEINIVS **) monſtrauit ideoque antliam lacteam invenit. Ductus galactophoros in mammis dum deſcribit Noſter, aſſerit eorum ibi, vbi in papilla ſe finiunt, plerumque ſeptem numerari ſeu octo. Sunt autem ibi multo plures.

p. 64. Quarta in ſectione cautiones tradit Cl. WHITE morbos gravidarum arcendi. Vulgare remedium contra abortum hactenus fuit venaeſectio; Noſter vero eam caute eſſe inſtituendam ſuadet, quoniam ea ipſa minus opportune adhibita abortum ciere

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 151.
**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 101.

ciere poteſt. Omnino corpora noſtra non ita eſſe amplius plethorica, vti olim, monet, idcirco et venaeſectione non crebro opus eſt in grauiditate. Mentionem quoque facit Cl. LOBB *), qui, cum de abortu diſſerit, quaedam contra venaeſectionem in grauidis monita addit. Cl. LOBB nimirum putat quantitatem menſtruorum ſingula vice eſſe quinque aut ſeptem vnciarum. In decem menſibus itaque ſeptuaginta erant vnciae ſeu librae quatuor et ſex vnciae ſanguinis. Fetus autem cum ſecundinis pondus eſt multo maius. Narrat Cl. LOBB exemplum fetus, cuius pondus erat ſedecim librarum ſeptemque vnciarum, placentae vero librae vnius et quatuor vnciarum. Qua de re Cl. LOBB potius ad inopiam, quam ad copiam ſanguinis in grauidis reſpicit et ita venaeſectionem inter cauſas abortus refert. Noſter adhibuit ad abortum praecauendum lac aſininum, aquas Pyrmontanas et Selteranas, corticem Peruuianum, elixir vitrioli, balnea frigida interdum et equitationem. Balnea non nimis ſint frigida, ſed ſuadet Noſter aquas Buxtonianas ſ. Matlockianas **) aut domeſtica balnea parum tepida. Praeter haec auxilia, abortum arcentia, lenia laxantia quoque adhibet, nec timet hic Cl. WHITE de vomitoriis. Mentionem quoque facit radicis Columbo, quae putredini carnis non ita quidem reſiſtit, vti cortex Peruuianus, attamen hunc et flores chamomillae in bilis putredine arcenda eaque, ſi adeſt, quoque corrigenda ſuperat. Ea, quae Cl. PERCIVALL de hac radice monet, alio loco a nobis ***) iam ſunt narrata.

Qua

*) The practice of phyſic in general Vol. I. et II. By THEOPH LOBB London 771. 8. p. 89. it. *Anleitung zur ausübenden Arzneykunſt. Leipzig* 1772. 8.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 100. 446.

***) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 442.

Oua cruda impediunt et ſanant quoque icterum grauidarum, vti Noſter arbitratur, et ipſe expertus eſt: idque ita, vt mucum, orificium ductus choledochi communis infarcientem obſtruentemque, ſoluant, bilisque fluxum in inteſtina facilitent. Praeſente autem obſtructione hepatis, ſeu calculis in veſicula fellea habitantibus, nullum inde exſpectari poteſt auxilium. Quod ſi vero aeger oua cruda reſpuat, ſeu morbus nimis pertinax ſit, parua doſis calomel tuto et vtiliter poteſt adhiberi. Finit Cl. Auctor hanc ſectionem monitis contra thoraces et omnia omnino veſtimenta, quae abdomen comprimunt, et contra abdomen grauidarum nimis pendulum commendat ligaturas latas.

p. 82. Contemplatur tunc primum Noſter partum naturalem, de ſecundinis agit et, quomodo dolores poſt partum ſint arcendi, docet. Diligenter curat aeris puritatem in parturientium domiciliis. Quapropter ſuadet, vt parturiens nec in vno ſitu, nec in vno domicilio maneat continuo, ſed doloribus ad partum ſedatis et exploratione vteri facta, ambulet et ex vno domicilio in alterum ſe conferat, vſque dum noui dolores appareant. Eodem conſilio vrget non adeo magnum adſtantium numerum, quibus ipſis calor hypocauſti et inde quoque humorum circulus augetur. Repetit enim Noſter ex hac aeris impuritate et regimine parturientis calido, febres varias puerperarum aliasque moleſtias. Nec acceleranda nimis ſunt naturae conamina in partu, ſed potius ei committenda. Improbat igitur capitis extractionem citam, ſimulac pars capitis ſe oſtenderit, et deriuat inde ſecundinarum facilem et difficilem expulſionem et dolorum poſt partum lenimen. Porro ſi naturae haec tota res committatur, capite expulſo,

axil-

axillae ſeſe vertunt atque prodeunt. Nam caput et axillae in vna eademque directione non prodire debere Noſter monet. Secundinarum placentarum ſubitam extractionem Noſter reiicit et naturae committit lubenter hanc expeditionem. Pinguium remediorum externus abuſus cernitur in impediendo eo humore, qui humectat et lubricat ſponte has partes et partum facilitat. Concedit itaque horum pinguium remediorum vſum non prius, quam muco naturali deficiente et ſiccitate partium praeſente. Improbat quoque nimis citam deligationem funiculi umbilicalis. Placenta interdum ſponte abſcedit et in vaginam propellitur. Hoc in caſu caute ea eſt tractanda, ne, vti alias ſolet, quid de membrana decidua ſ. caduca HVNTERI, quam Cl. LEAKE *) deſcripſit, ſeu de chorio et amnio remaneat.

Porro de febre puerperarum miliari et lactea Noſter agit. Atque hic potiſſimum vrget aeris puritatem, regimen non calidum, diaetam vegetabilem cet. horumque ratione habita, nullam puerperam Noſter amiſit. Deiectiones virides infantum multo ſaepius ſunt ſequela debilitatis et laxitatis in organis digeſtionis et inertiae bilis, quam lactis corrupti **) Laudat hic Cl. Auctor Sago ex America ſeptentrionali ***), vnde cum aqua gelatina paratur nutriens, p. 112.

*) v. ſupra p. 88.

**) Solent plerumque hae virides infantum deiectiones diaetae erroribus, a nutricibus commiſſis, et inde corrupto lacti tribui. Sed hoc non ſemper ſaltem ita eſſe, nobis ipſis nota ſunt exempla. Aliquoties eandem ob cauſam abdicatas eſſe nutrices, obſeruauimus; neque tamen ullam mutationem in deiectionibus deprehendimus.

***) Illa ſpecies vero nobis non eſt nota. Affertur enim ex India Orientali et eſt medulla Cycas circinalis

triens, acrimoniam inuoluens et recreans remedium. Praefert hoc remedium ratione guſtus et pretii radici ſalab orientali. Minus tamen ſumtuoſior eſt praeparatio ſalab ex variis orchidis ſpeciebus a Cl. MOVLT propoſita *). Quemadmodum ſudor omnibus hominibus et ſanis quoque nocet, ſic praecipue puerperis. Lochia enim turbantur, corpus relaxatur atque laeditur. Refrigeriis facilius quoque ſunt expoſita corpora ſudantia. Quapropter Noſter vrget aeris puritatem, item linteaminum veſtimentorumque crebram mutationem. Cortex Peruuianus, vti et ſupra **) aſſertum eſt, non impedit lochia. Quae ſi ſint nimia, temperantur vitriolico acido, epithematibus ex aceto cet. Sella commoda, ex qua lectus poteſt facile parari, hic in icone ſiſtitur. Item lectum ferreum obſtetricium hic in icone repraeſentat Noſter, quo facile vt ſella quoque vti poſſunt puerperae.

p. 185. In ſeptima ſectione tractat Noſter methodum medendi febribus puerperarum. Frigus, quo ipſa haec febris incipit, non adeo periculoſum Noſter iudicat, nec vnquam in eius ſtadio quandam mori vidit. Febrem algidam ſenum letalem et frigus ſaepe iis letale, qui vaga materie arthritica laborant, alii obſervarunt, Sudor ſubſequens per paucas horas durans meretur aliquo modo nomen ſudoris critici. Quod ſi vero ille diutius duret, debilitat et relaxat corpus auget pulſus celerita-

nalis. Adeſt et vilior eius ſpecies, quae eſt ex Chamaerope humili LINNAEI.

*) v. ib. Vol. XVIII. p. 641. it. Vol. XIX. p. 97. it. Vol. XX. p. 289. it. Vol. XXI. p. 445.

**) v. ib. Vol. hoc p. 85.

ritatem, debilitat eius vim, efficit ſitim et alui obſtructionem, lactis et lochiorum copiam imminuit, ſeruit putredinis augmento et ſaepe purpuram albam rubramue ſeu vtramque cauſat. In omnibus febribus putridis iuuant emetica copioſe exhibita. Continet enim ſaliua, quae deglutita in ventriculum delabitur, et reliqui ſucci in ventriculo et duodeno confluentes parum aeris fixi *) ſeu plane nullum et ita facilius attrahunt particulas, quae ſaepius non ſatis euacuari poſſunt. Multa remedia, quae et Noſter hic propoſuit, a Cll. HVLME et LEAKE **) ſunt laudata. Diarrhoeae conducit decoctum fabae minoris ſiue equinae BAVHINI ( *horſe beans* ). Inter iulapia cardiaca miſcet Noſter adſtringens quoddam gummi profunde rubrum ex Africa allatum et a IOANNE FOTHERGILL deſcriptum***) qui, quoniam ex iſta potiſſimum regione, quam flumen Gambia dictum alluit, hucvsque allatum fuit, illud gummi rubrum adſtringens Gambienſe nominari poſſe arbitratur. Vſum aeris liberioris linteaminum recentium et aquae frigidae†) ad pedes manus dentesque lauanda Noſter commendat et in hac febre. Sudor in ea non vrgendus eſt ††). Nitrum eſt tam in hac febre, quam in reliquis morbis a nimia copia bilis putridae oriundis minus ſalutare remedium ſecundum Cl. PRINGLE tentamina. Venaeſectionem

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 338. ſeq. v. ſupra p. 85.

**) v. ſupra p. 75. et 82.

***) v. Medical obſeruations and inquiries Vol. I. p. 358. In Germanica verſione huius libri, quae Altenburgi prodiit 1759. p. 327. it. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 317.

†) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 350. ſeqq.

††) v. ſupra p. 75 ſeq. et 82 ſeq.

nem, de qua adeo diſputatum eſt in vtramque partem, vti Cl. HVLME *) et Cl. LEAKE **) narrarunt, Noſter hic non largitur, niſi inflammatione praeſente vteri. Fomenta et vapores ſunt noxia ob calorem humiditatemque, quae relaxant et putredini generandae ſeu augendae ſeruiunt. Omnes propemodum veſicatoriorum vſum in his morbis recte reiiciunt, ob vim irritantem et reſolventem cantharidum, quae inprimis penetrat vias vriniferas, item nocent emmenagoga remedia.

p. 222. Venimus nunc ad methodum medendi febri miliari, cuius arcendae non multum ante ***) dedit conſilia Cl. WHITE. Magnam omnino meretur attentionem haec febris miliaris puerperarum. Aegrae enim ſaepe nec nimis roborantia remedia, nec debilitantia ferre poſſunt. Euacuationes non debent eſſe magnae. Venaeſectio, purgantia et veſicatoria non admittenda ſunt, niſi in vltima morbi huius periodo. Diaphoretica et diuretica remedia hic nil praeſtant. Camphorae †) vſum non ſuadet Noſter. Ea enim copioſe adhibita ſtranguriam, alui obſtructionem, aeſtum, ſitim, ſpaſmos, quid quod conuulſiones in quibusdam aegris produxit. Nullum victum animalem, nil, putredinem alens, calefaciens ſtimulans ſeu humores reſolvens dari oportet, excepta vltima huius morbi periodo. Lenia vomitoria et clyſmata emollientia in hoc morbo proſunt. Aer frigidus, caute admiſſus, non repellit exanthemata.

Tran-

*) v. ſupra p. 77.

**) v. ſupra p. 83. ſeq.

***) v. ſupra l. c.

†) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 513.

Tranſit Cl. WHITE iam ad morbi hiſtorias et obſeruationes ex iis hic communicat, quae conſilia Cl. Auctoris in hoc ſuo libro propoſita confirmant atque illuſtrant. Placentam incarceratam Noſter non ſuadet manu liberare, ſed ſpaſmi vteri opiatis remediis ſunt compeſcendi. Quamuis porro placenta nonnullos dies poſt partum ſine euidente damno puerperae remanſit: tamen obſtetricius medicus puerperam non derelinquere poteſt, niſi placenta ſoluta. Situ denique puerperae bene obſeruato et regimine frigido adhibito, raro Noſtro neceſſaria videtur placentae extractio. p. 242.

Appendicem Cl. WHITE addit, quae in ſe continet monita de hoc morbo puerperarum ac potiſſimum contra Cl. HVLME ſententiam de morbi huius indole, cauſis et ſymptomatibus. Putat ſcilicet Cl. HVLME, vti ſupra *) tradidimus et ex ſectionibus cadauerum, a Cl. HVLME ſuſceptis, patere videtur, ſedem huius morbi eſſe omentum, quod nimirum cum inteſtinis ſemper inflammatum et corruptum reperit. Deriuat quoque hunc morbum a preſſione partium per grauiditatem inducta. Vtrinque autem Noſter a Cl. HVLME partibus non ſtat. Neceſſe enim Cl. WHITE iudicat, vt prius, quam ex ſectionibus cadauerum quis quid colligit, diſquiratur, numne eaedem mutationes poſt alios morbos quoque apparuerint, et tum definiatur, vtrum haec febris puerperarum ſit inflammatoriae, an putridae indolis? Vtrique ſcopo attingendo ſeruient, vti Cl. WHITE putat, quaedam loca aliorum Auctorum, hanc rem illuſtrantia, quae idcirco hic communicat. Sunt hi Auctores Cll. CLEGHORN **) p. 313.



*) v. ſupra p. 78.

**) v. comm. noſtr. Vol. I. p. 615.

PRINGLE *) CHICOYNEAV **) LIND ***) LECAT, qui commemorationem malignarum febrium, quae ſub finem anni 1753. et initium inſequentis anni Rothomagum depopularunt, philoſophicis tranſactionibus †) inſeruit. Et ex his locis elucet, in omnium febre putrida maligna demortuorum cadaueribus inteſtina et omentum fuiſſe gangraenoſa. Preſſionem grauidi vteri quoque non iudicat Noſter cauſſam huius morbi ††), nec omnibus puerperis ſuperuenire debere hanc febrim largitur. Id quod demonſtrat, addito catalogo defunctarum puerperarum, in variis magnis vrbibus, ex quo praeterea apparet, ſubinde numerum demortuarum puerperarum magis magisque decreſcere. Idem et hic Lipſiae obſeruatur et recte tribuitur regimini. Secundum Noſtri opinionem inteſtinorum et omenti inflammatio et ſubſequens ſphacelus non cauſa huius febris eſt, ſed ſequela ſeu effectus. Verum cauſſa immediata morbi eſt reſorptio acris putridae materiae ex inteſtinis et vtero; praediſponens accumulatio impuritatum ventris infimi, ſitus ſupinus, qui lochiorum ſtagnationem cauſat, et defectus liberi et ſaepe renouati aeris. Finit Noſter hunc librum relatione Cl. HVNTERI de hac febre puerperarum, qua fere omnes perierunt; et literis Cl. YOVNG, in quibus de modo puerperas tractandi in noſocomio ſuo refertur et multae cautiones inſunt, quae conueniunt cum iis, quas Cl. WHITE in hoc ſuo libro dedit.

XIV.

*) v. ib. Vol. II. p. 400.

**) v. Traité de la peſte a Paris 1744. 4. p. 1.

***) v. comm. noſtr. decad. IIdae ſuppl. III. p. 412.

†) v. ib. Vol. VIII. p. 140.

††) v. ſupra p. 78.

## XIV.

Obſervations on epidemic diſorders, with remarks on nervous and malignant fevers. By JAMES SIMS, M. D. London, printed for T. Iohnſon; and T. Robinſon. MDCCLXXIII. 8. mai pagg. 278. praef. pagg. 6.

i. e.

Obſeruationes ſuper morbis epidemicis, cum annotationibus ſuper febribus neruoſis et malignis. Auctore IACOBO SIMS M. D.

Praemiſſis quibuſdam generalioribus de vſu deſcriptionum morborum epidemicorum, deſcriptionem breuem comitatus Tyronenſis in Hibernia, in qua ſequentes obſeruationes maximam partem inſtitutae ſunt, exhibet Cl. Auctor, ex qua patet, hanc regionem in genere eſſe humidam et vdam, cum ob fluuios lacusque, quibus circumdatur, tum ob fluuios, a quibus tranſeuntibus invndatur, imbresque copioſius per hyemem et ver decidentes: vnde rheumatiſmi, ſcrophulae aliique ſcorbutici dicti affectus hic endemii morbi ſunt. Ab annis 1751 ad 1761 perpetuo fere frigida temperies fuit; anni 1761. et 1762 plus ſolito ſicci erant, adeo, vt febres intermittentes ab eo tempore rariores exiſterent, et Noſter inde ab anno 1764 ne vnicam quidem regularem viderit; 1763 et 1764 variae erant tempeſtates, ſed magis humidae, absque tamen epidemico quodam morbo. p. 7.

Tunc autem prima conſtitutio, quam Auctor noſter pertractandam ſibi ſumſit, incipit, ab initio anni 1765 vſque ad finem aeſtatis 1767. Poſt hyemem tempeſtuoſam, ſed moderati frigoris, ver tempeſtiuum et aeſtas atque auctumnus ſicciores et p. 12

amoeniores ſequebantur, in Decembrem vſque perdurante mitiore tempeſtate. Hyems anni 1766 cum frigore intenſiore ſicca erat, donec medio Februarii larga nix caderet; Martius in principio tempeſtatis amoenae, verſus finem variabilis; ver et aeſtas ſubſequens amoeniſſima, verſus finem Auguſti procellis excepta, quas tamen verſus aequinoctium auctumnale temperies grata inſequebatur. Vltimis duobus menſibus eadem varia erat, inprimis ventis impetuoſioribus interrupta; initium anni 1767 frigore intenſo cum crebra niue ſtipatum erat, ver variabile, ſed demum ſerenum; Maius et Iunius amoeni, intercedentibus interdum pluviis levioribus; Iulius frigidus et pluuioſus.

p. 14. Iam de morbis epidemicis, per hoc ſtadium obſeruatis. Primo de febribus petechialibus, vere 1765 occurrentibus, quae adeo leues erant, vt vix auxilium requirerent; ſomno profundo terminabantur, qui ſi veſicatoriis et cardiacis turbaretur, morbus potius difficilior reddebatur.

p. 16. Poſt aequinoctium vernale ſubita venti mutatio phrenitidem veram inducebat, quae in iis, qui potulentis ſpirituoſis abuſi fuerant, ſaepe fatalis erat, et quarto die morte terminabatur. Potentiſſimum auxilium in venae ſectione larga, protinus adminiſtrata, poſitum erat, cui tamen Noſter arteriae temporalis aperturam praefert, aſſerens, 12 vel 14 vncias ſanguinis ex hac emiſſas maioris eſſe efficacitatis, quam 30 ex brachio. Faſcias ad hanc operationem ſollemnes reiicit, et tantum numum mediae magnitudinis ( *ſhilling* ) linteo gradatim compreſſo inuolutum ſuperimponendum et per ſatis longum tempus retinendum ſuadet. Antimonialia, veſicantia et ſinapiſmi, aeque ac omnia remedia calefacientia aperte nocebant: ſed inſignis

nis vſus erat fomentum partium inferiorum cum pannis ex aqua calida expreſſis, crebrius repetendum, quo perſpiratio placida producebatur, quum ſudor quouis alio modo prolicitus noxius eſſet, et aegri ſub eodem profuſiſſimo furibundi perirent. Acida larga doſi exhibita etiam multum praeſtabant: ſed raro aegri aut haec aut alia medicamenta ſumebant.

Menſe Iulio Sequentis anni colica bilioſa incipiebat, Auguſto vlterius ſerpens, et cholerae, poſteaque iliaco morbo iuncta. Colica frequenter a refrigerio oriebatur, frequentiſſime feminas mediam aetatem vix ſupergreſſas inuadebat, inque his inſultibus repetitis facile in paſſionem iliacam tranſibat, quod etiam accidebat, vbi morbus intempeſtiue opiatis vel adſtringentibus repreſſus fuerat. Interdum ſubito inuadebat, interdum per vnum alterumque diem, torpor antecedebat, quo percepto ſi protinus larga ſucci citri quantitas vel euacuantia adhibebantur, morbus in primo principio ſupprimebatur. Si ſaburra bilioſa in veſicula haerebat, pulſus erat paruus et intermittens; ſin ad inteſtina iam deſcenderat, plenus et fortis. In vtroque caſu venae ſectio, et in poſteriori ſaepe eadem repetita requirebatur: qua occaſione de neceſſitate huius auxilii in inflammatione inteſtinorum vel iam praeſente, vel imminente, licet debilitas pulſus eam non indicet, inprimis contra BOERHAAVIVM, diſſeritur. Vomitoria non niſi tunc indicantur, quum ne leniſſima quidem inflammationis aut motus periſtaltici inuerſi ſuſpicio adeſt: hoc in caſu in ſolis laxantibus ſubſiſtendum, ex ſalibus neutris, cremore tartari, oleo ricini, vel pauca ialappa cum ſaccharo remiſta, opium nonniſi prorſus liberis redditis primis viis exhibendum eſt. p. 20.

Eoſdem morbos iulio et auguſto 1772 obſeruauit, vbi inprimis ſemicupiorum vſum inſignem in morbo iliaco laudat. Subito recrudeſcentem vidit hunc morbum ab hauſtu vini pomacei adeo, vt aeger intra paucas horas periret. Quum ſolitae medendi methodi adeo inſufficientes ſaepe ſint, ſua-
p. 29. det, vt imminuta ſatis maſſa ſanguinis, profuſus ſudor, lectis copioſius impoſitis, excitetur: qui certe ſalubrior ſit futurus, quam qui, opio dato, proliciatur.

De vſu emeticorum antimonialium in cholera: vero ſimile videtur, eadem ſemper valentius agere, ſi acidum in ventriculo adſit, idque adeſſe ſemper in ventriculis debilioribus, quamuis non ſemper ſufficientibus ſignis ſe prodat. Vſus antimonialium in morbis bilioſis a nullo alio medicamento tantus exſpectari poteſt: ſed communis ea exhibendi methodus in refractis doſibus Noſtro ob effectum purgantem minus placet, qui conuenientem doſin vnica vice ſumendam praecipit, cuius effectus ſi forte nimius fuerit, dato opio coerceri poterit.

p. 34. Frequens tunc temporis inprimis morbus erat, quem Noſter inflammationem hepatis iudicabat, cum febrilibus ſymptomatibus pleuritidem vel peripneumoniam mentiens, qui tamen error funeſtis ſequelis carebat: ſignum pathognomonicum erat dolor acutiſſimus in ſcrobiculo cordis a leuiſſima preſſione excitatus; crebrius, licet iam quatuor vel quinque hebdomadas duraſſet, recrudeſcebat paucis menſibus interiectis, adeo, vt intra paucos annos a ſex ad octo vices idem ſubiectum adgrederetur. Venae ſectione vix vnquam ſuperſederi poterat, imo interdum ſecunda vel tertia vice ſanguinem mitti

mitti oportebat, qui cruſtam inflammatoriam monſtrabat: dein lenia, ſed diu continuanda purgantia requirebantur; vomitoria autem aeque ac calida medicamenta morbum exaſperabant. Ad praecavendum relapſum diaeta refrigerans vegetabilis cum interpoſitis lenioribus laxantibus conducebat: recidiuae frequenter incurabilem icterum et hydropem producebant.

Tempore autumnali, quum epidemia biliofa p. 36.
ceſſaret, variolae peſſimae indolis ſuccedebant, vſque ad ver ſubſequentis anni 1767 graſſantes, quum antea per aliquot annos regionem immunem reliquiſſent. Ex mille infantibus vix dimidia pars, et ea quidem magnam partem aut alterutro, aut vtroque oculo priuata, aut facie cicatricibus foediſſime deturpata euaſit. Variolae maturitatem proprie non aſſequebantur, ſed totum corpus continua cruſta obtegebatur. Foetor intolerabilis tantum aberat, vt ſymptoma mali ominis putari deberet, vt potius euentum proſperum praenunciaret. Qui calida methodo tractabantur, a ſeptimo ad nonum, imo iam quinto die peribant, accedente purpura: alii, refrigerante methodo tractati, tamen vigeſimo die et tardius ſuccumbebant. Sudor, diarrhoea et ptyaliſmus vel nunquam, vel rariſſime vſum quendam praeſtabant, licet purgantia in principio morbi, per tempus ſufficiens continuata, vtiliſſima eſſent. Tantum etiam aberat, vt frigus hyemale ſubſequens morbum ſupprimeret, vt po- p. 41.
tius tunc magis inflammatorius redderetur. Qui paullo antea ſcabie humida laborauerant, eum feliciſſime ſuperabant: ex quo concludit Noſter, eiusmodi ſubiecta inoculationi eſſe aptiſſima, ſicut ipſe a chirurgo quodam narratum accepit, puellam poſt exſtirpatos quoſdam tumores ſcirrhoſos a violentia externa ortos, quum vlcera adhuc

pure manarent, variolas naturales benigniſſimas ſuperaſſe.

Morbus hic omnibus remediis alias efficacibus obſurdeſcebat, licet methodus refrigerans aliquos ſeruaret, et in reliquis mortem ſaltem retardaret. Tandem Noſter aperturam puſtularum in facie reiicit, qua cicatrices euitare ſtudent: vnicam enim puſtulam hanc cautionem ſuperfluam reddere monet, et confluentes malignas ſemper dolorem exquiſitiſſimum produxiſſe memorat, quem oleum et lac nullo modo leuauerint.

p. 45. Circa aequinoctium vernale 1767, declinante diro hoc morbo, pleuritis et peripneumonia ſe manifeſtabat, quae ſi in principio negligebatur, res ſubito in peius ruebat; tunc antimonialia, cardiacis calidioribus iuncta, v. c. puluis IAMES in refracta doſi, addito ſale cornu cerui, vel melius adhuc opii quadam particula, largius exhibito potu calido et lecti calore aucto, vna cum vſu liberaliore vini potulentis admixti, et veſicatoriis aut ſinapiſmis, ſummi vſus erant. Cl. STACK itidem cum fructu kermes minerale adhibuit. Hac occaſione in tranſitu etiam ſententia HVXHAMI, omnia praeparata antimonialia eodem modo agere et ſolam differentiam in doſibus maioribus vel minoribus poſitam eſſe, refutatur. Venae ſectio largior requirebatur, etſi aeger quinto demum vel ſexto die auxilium poſceret, et iam ſputum purulentum excerneret, modo febris in corpore plethorico primum vehemens fuiſſet, neque tunc vires nimium fractae eſſent. Si poſt ſanguinem copioſius et iterata vice miſſum febris quidem imminuta erat, dolor autem lateris perſiſtebat, veſicatoriorum inſignis erat vſus: et communis reſina in pilulis ad

dra-

drachmam et vltra data praeſtantior erat gummi ammoniaco ſimilibusque medicamentis.

Similis eodem tempore morbus infantes infe- ſtabat, ſubito exitioſus, niſi larga ſanguinis miſſio, ſaepius iteranda, et protinus veſicatorium pectori impoſitum adminiſtrarentur: quibus auxiliis ſi morbus non protinus ceſſabat, emetica ex antimonio egregie conducebant. p. 54.

Hos morbos excipiebant morbilli, febre ſolito maiore ſtipati et facillime pulmones afficientes. Venaeſectione vix ſuperſederi poterat: ex adultis tamen nemo moriebatur, plures ex infantibus, licet efficaciſſima remedia in vſum vocarentur, ex quibus tamen balnea calida nonnumquam iuuabant, vbi reliqua prorſus inutilia erant. Frequentia etiam laxantia poſt morbum ſuperatum, vti poſt omnes alios inflammatorios, requirebantur. p. 55.

Temporibus veris horum annorum, quae ſicciora erant, eryſipelas communis morbus erat, bilioſis praecipue et ſcrophuloſis moleſtus, facile quotannis recurrens, et potiſſimum manus occupans, quae ſaepe per totam vitam contractae et tumidae manebant. De reliquo autem funeſtum exitum nunquam vidit Noſter. Poſt venae ſectionem purgantia ex rheo vel ſalibus mediis morbum tollebant: vbi materies bilioſa parcior aderat, ſudor lenis excitatus ſufficiebat, poſtea vero purgantia exhibere opus erat ad praecauendam recidiuam, quam aliquando cum paroxyſmo febris intermittentis redeuntem vidit Noſter, ad quem balnea frigida conducebant. Similiter venae ſectio et laxantia vel nitrum vernali, et ſerum lactis aeſtiuo tempore recidiuam praecauebant. p. 57.

Tan-

p. 60. Tandem de febribus, durante hac conſtitutione, obſeruatis, quae cum inflammatoriarum, tum exanthematicarum typum quodammodo ſeruabant. Saepe in purpuram tranſibant, cum rubram, tum albam, quae licet paroxyſmo grauiore accederet, tamen morbum feliciter finiebat. Interdum, licet calidum regimen adhibitum non eſſet, a ſola vehementia febris ſeptimo vel octauo die maculae minores rubrae exoriebantur, febre interim cum delirio aucta, donec decimo quarto die poſt grauiorem paroxyſmum copioſus ſudor criſin ſalutarem efficeret. Vtraque morbi ſpecies facile ſpuriam pleuritidem et peripneumoniam inducebat, quae ſi in principio obſeruabantur, venae ſectionem requirebant; verſus finem autem eadem noxia erat, et tunc veſicatoria et ſudorifica, eaque in hac periodo calidiora, praeſtabant.

p. 65. Eadem febris tempore auctumnali, licet inflammatoria materia maneret, tamen indolem bilioſam aſſumebat. Poſt copioſam ſanguinis miſſionem totum negotium antimonialibus abſoluebatur. Interdum nullam ſenſibilem euacuationem ab iis vidit Noſter, ſed profundum ſomnum ab iis inductum, quo plerumque morbus ipſe diſparebat. Similes effectus ſaepius in morbis acutis vidit, ſed nonniſi in iis, qui antea pertinaci peruigilio laborauerant; idem etiam veſicatoria praeſtiterunt. Denique diſquirit, quantum tribuendum ſit appetitui aegrorum in morbis acutis: huic indulgendum praecipit in principio morbi, non autem aeque verſus finem, vbi iam conualeſcere incipiunt, quo tempore vel minimus error ſubito exitioſus eſſe poteſt.

p. 70. Conſtitutio ſecunda ab Auguſto 1767. incipit, qui tolerabilis erat, quem vero tempeſtas frigida varia-

variabilis excipiebat, vſque ad finem anni perdurans. Primi tres menſes anni ſequentis frigore frequenti, interpoſitis interdum pluuiis, ſtipati erant: aeſtatis et auctumni tempeſtas varia, ſed magis humida: verſus medium Nouembris frequens, at leuius, frigus, cum ventis variae directionis.

Primo loco morborum prioris conſtitutionis ſuccedebant rheumatiſmi chronici aeque ac acuti. Priores, frequentiſſimi in hac regione, ſaepe in morbum paralytico ſimilem degenerabant. Antimonialia, dum ſudorem mouebant, inſignis vſus erant, aeque ac tinctura guaiaci volatilis, aequali portione vini antimoniati remiſta, et ad cochlearis minoris menſuram veſperi exhibita, ſic etiam balſamus de copaiua, et terebinthina aut eius oleum. Pannus etiam rudior ( *flannel* ) cuti nudae impoſitus per tempora frigidiora anni morbum praecavebat; ſed principium oleoſum illi inhaerens, quicquid alii in contrarium adferant, potiſſimum has vires exſerit. Efficacius autem et promtius tollebant morbum ſudores vel partis affectae, vel totius corporis, vapore calidae excitati. Mercurialia etiam eximii vſus eſſe, primo caſu cognouit Noſter, ac repetitis ſaepius experimentis confirmatum vidit.

Rheumatiſmus acutus in principio venae ſectionem et laxans antiphlogiſticum requirebat: alvo libera reddita, ſudorifica ex antimonialibus protinus exhiberi oportebat. Quum autem aeger vel ſumme langueſcat, vel paroxyſmi regulariter remittebant, cortex Peruuianus requirebatur, licet eiuſdem vſus in principio, ad vnum vel duos dies, morbum intendere videretur. Interdum etiam in rheumatiſmo chronico, vbi debilitas viſcerum vel habitus ſcrophuloſus aderat, cum fructu eodem vſus eſt. p. 76.

Tuſ-

p. 80. Tuſſis tunc temporis frequens ſanguinis miſſionem non ferebat, niſi ingens pectoris dolor et pulſus durus eam requirerent: omnis cura in id dirigenda erat, vt ſputum rite coqueretur, quod ſub moderata febre, quae peculiarem curam non expoſcebat, fiebat regimine diaphoretico et potu tenui calido; febre autem imminuta ſudorifica paullo valentiora in vſum ducere e re erat, v. c. potum *punch* ante cubitum exhibitum: tunc etiam vomitoria multum praeſtabant. Nimis tenuis etiam diaeta in vltimo hoc ſtadio magis nocebat, adeo, vt ab exceſſu etiam in liquorum fermentatorum potu morbum plane diſparuiſſe Noſter viderit.

p. 84. Eodem tempore febris catarrhalis, ſed benignior, communis erat, cuius ſignum pathognomonicum conſtituebat ſtupor, leuem cephalalgiam primis morbi diebus excipiens, et ad finem vſque eiuſdem ſubſiſtens.

p. 86. Neque angina, alias auctumnalis magis in his regionibus morbus, facile funeſta erat, licet ingens interdum periculum portenderet: malignam vlceroſam hic loci nunquam conſpexit Noſter, niſi in vltimo vitae ſtadio phthiſicorum. Quae autem hic deſcribitur, non prorſus a contagioſa indole immunis iudicata ab Auctore noſtro, potius catarrhoſa erat, vix non ſemper exſpuitione lymphae copioſae clarae finiebatur, et quamquam venae ſectio in principio morbi vtilis erat, tamen tantos vſus non praeſtabat, quantos in morbis inflammatoriis exſerit: laxantia quotidie vſurpata morbum mitigabant, purgantia fortiora ob ſitim maiorem inde excitatum minus apta erant: ſummum vero remedium in veſicatoriis poſitum videbatur, quorum tamen primum raro effectum optatum edebat, qui ſecundum demum, cuicunque corporis parti impo-

poſitum, ſequebatur; difficultatem ſpirandi calidus vapor aceti cum aqua permiſti tollebat. Aeger quidam, in quo morbus hic ad ſuppurationem tenderat, ſolutione granorum decem vitrioli albi, ſumma adhibita vi, deglutita, indeque excitato vomitu, quo tumor rumpebatur, ſeruatus eſt. Ad praecauendum hunc morbum conducebat alumen in ore detentum, deglutiendo ſaliuam eodem impraegnatam.

Auctumno 1767 graſſari coepit tuſſis conuul- p. 92.
ſiua, per ſubſequentem hyemem frequentiſſima, itidem contagioſa, potiſſimum inter infantes. In primo inſultu, cui ſemper febris remittens iuncta erat, venae ſectio vtilis erat: potentiſſimum poſtea remedium in emeticis poſitum erat, vel ſingulis vel alternis diebus exhibendis, potiſſimum ex ipecacuanha, cui interdum ſcillitica iungere conueniebat; antimonialia, vtpote valentiora, nonniſi prioribus incaſſum tentatis, in vſum vocabantur. Morbo ſuperato, cortex peruuianus, balnea frigida, et alia roborantia cum exercitio corporis, inprimis equitatione, neceſſaria erant. Neque opiata, neque alia antiſpaſmodica multum praeſtiterunt.

Vltimus morbus, quem in decurſu huius con- p. 95.
ſtitutionis deſcribit Noſter, ab eodem inflammatio hyſterica dicitur, ſexui ſequiori tantum proprius, a variis cauſſis v. c. refrigerio, obſtructione menſium cet. ortus, omnes corporis partes, praecipue faciem, infeſtans eodem modo, vt in aliis inflammationibus, mitiore tamen febris gradu, numquam ſuppuratione, ſed reſolutione terminatus, iam intra tres quatuorue dies, iam intra duas ſeptimanas; ſi menſium vitium ſuberat, his redeuntibus celerrime morbus ceſſabat. In hac cauſſa purgantia emmenagoga praecipuum auxilium ſiſtebant;

bant; venae ſectio et refrigerantia in maiori febris gradu conueniebant: topica vero nulla, niſi veſicatoria in parte vicina applicata et diutius aperta ſervata. Singulare huius morbi exemplum, vbi a potu frigido, corpore aeſtuante aſſumto, cum febre ingenti vomitus pertinaciſſimus cum acutiſſimo in regione ventriculi dolore oriebatur, quem omnibus incaſſum tentatis veſicatorium loco dolenti impoſitum tollebat.

p. 101. Tertia conſtitutio annos 1769 et 1770 complectitur. Prioris hyems humida erat cum leui frigore, ver in initio amoenum, ſed a fine Maii per Iunium frigidum et pluuioſum; Iulius egregius, ſed reliqua aeſtas humida; auctumnus ſerenus, December demum procelloſus ac pluuioſus; primum tempus anni 1770 varium, a medio Martio frigus cum niue, et inde vſque ad finem Iunii frigus ſatis acre cum pluuia; reliqua anni pars, primis Iulii diebus et Auguſto exceptis, ventoſa et pluuioſa, ſub finem interueniente gelu duas hebdomadas ſubſiſtente.

p. 103. Vti rheumatiſmi conſtitutionis ſuperioris vſque ad ver 1769 perdurabant, ſic iam ad finem vergente auctumno 1768 dyſenteria ſe manifeſtabat, quae licet endemius huius regionis morbus ſit, tamen in hac potiſſimum conſtitutione frequentiſſima fuit. Duplicis autem generis erat, altera acuta, quae poſt venae ſectionem frequentiore vomitu per ipecacuanham curabatur, diaetam tenuiſſimam poſcebat, et adſtringentium opiatorumque vſum prorſus non ferebat; altera chronica, ſaepius ex priori neglecta, ſaepe, potiſſimum inter pauperes, ſine ea ex victu crudo orta, multum, quantum ex deſcriptione Auctoris noſtri patet, cum lienteria commune habens. Hic ipecacuanha in minori

doſi

doſi, vt purgans, v. c. ad grana tria in forma pilulari quauis veſpera ſumta, et per aliquot dies repetita, melius praeſtabat; ſed efficacius agebat vinum antimoniale, quauis hora ea doſi exhibitum, vt poſt tertiam vel quartam doſin effectum ederet, quarto vel quinto die repetendum, et intermediis diebus vnica de die doſi, vt lenius multum purgaret, interponendum. Amara et cortex ſola facile purgabant: cum ſucceſſu itaque opium iis iungebatur, quod tamen ſolum non conueniebat. Cum his omnibus diaeta exactiſſima opus erat, et interpoſitis purgantibus lenioribus, potiſſimum ex ipecacuanha et antimonialibus; fortiora ſemper nocebant: rheum effectus, ab aliis de eo praedicatos, non edebat. Vinum rubrum ob vim inebriandi alienum erat: vinum pomaceum (*cyder*) Hibernum praeſtabat, et magis adhuc Anglico, quippe magis auſterum. Perſpiratio, potiſſimum hyemali tempore, optimo cum ſucceſſu mouebatur, ipſo adeo potu ſpirituoſo concentrato et inde parato eo potus genere, quod *punch* dicunt. Carnes etiam duriores, fumo induratae, in pauperioribus bene conueniebant, quibus adeo lardum in lacte recenti coctum medicina fuit.

Per auctumnum et hyemem 1769 variolae ſpuriae frequentes erant, interdum vero pure variolas veras mentientes, vnde (vt ſaepius factum eſſe ſuſpicamur) variolas ſecunda vice corpus aggredientes putabant: eruptione earum purgantibus et regimine frigido intercepta et retardata, ſymptomata ingraueſcebant, ſed ſubito, ſero lactis vinoſo et regimine diaphoretico adhibito, diſparebant. p. 115.

Vere ſequentis anni phthiſis communis morbus erat, quam in hac regione cum in hoc, tum aliis annis magis a dyſcraſia ſanguinis, quam ab inflammatione pulmonum ortum duxiſſe refert Cl. p. 117.

Auctor. Si contagium venereum praegreſſum in cauſſa fuerit, id non per plures annos, vti ſit interdum, in ipſa maſſa humorum circulantium deliteſcere poſſe ſibi perſuadet, ſed in glandula quadam lymphatica haerere, donec vel a cauſſa accedente quadam, vel ſola mora temporis reſolutum humores inficiat. Hoc in caſu, niſi iam pulmones in inflammationem et ſuppurationem abierint, calomelanos, in refracta doſi pro ſcopo alterandi exhibiti, effectus egregius fuit.

p. 123. In reliquis phthiſeos ſpeciebus, modo aegri periculum ſibi imminens cognoſcant, dum adhuc in principio morbi medelae locus ſupereſt, vomitoria leniora, frequentius exhibita, ventriculum depurando morbum ſaepe leuant: his ſubiungebatur ſulphur et cortex Peruuianus vel in electuario combinata, additis interdum balſamicis leniſſimis ( quae tamen ſola numquam effectum laudabilem praeſtabant ), vel ſulphur ſolum veſperi, et cortex in decocto vel extracto aquoſo per diem. Cum hoc frequenter elixirium vitrioli coniungebatur, ſi modo tuſſis illud ferre poterat. Dolor exquiſitus in pectore cum febris ſolito maiore gradu ſingulis decem vel quatuordecim diebus venae ſectionem ad tres vel quatuor vncias exigebat, imo interdum, ſi pulſus durior erat, ad ſex vel ſeptem adſcendere opus erat. Vſum etiam panni iſtius (*flannel*) in nuda ſuperficie corporis geſtati, contra dubia quaedam defendit Noſter. In corporibus phlegmaticis ſalutarem vidit effectum infuſi picis liquidae, cui tamen, vtpote ſolas calefacientes particulas picis continenti, in maiori febris augmento, pilulas ex pice liquida ipſa praefert. Serum lactis caprilli egregie conducebat, ſed verſus finem morbi, quum iam diarrhoea colliquatiua aderat, vel phlegma tenaciſſimum pulmones nimium obruerat, nocebat;

cebat; oportebat autem illud in locis montoſis, vbi liberior erat aer, bibi, caute obſeruari, num ſatis inde redderetur aluus libera, quod ſi non fieret, adiungenda erant laxantia leniſſima, et doſibus non adeo magnis, vt ventriculus inde grauaretur, ingeri. Oleoſa omnia Cl. Auctor reiicit, ſolo, ſi vmquam iis locus fuerit, butyro recenti non ſalito conceſſo. Opiata itidem aliena ſunt. Lactis vſus ſuſpectus eſt ob viſcidum inde in ventriculo collectum: teſtaceorum contra eximius, ita vt ſolo oſtrearum vſu curatam viderit feminam. Huic tamen ſexui morbus hic vt frequentior, ita minus funeſtus eſſe ſolet: nonnumquam matrimonio ſolvi videtur; ſed ſaepe poſt duos vel tres annos recurrens exitialis fit. Praegnantem neminem, ſed quaſdam breui poſt puerperium eodem perire vidit, ſub ſpecie peripneumoniae ſolito grauioris; infantes debiliſſimi erant, vix 24 horas ſuperſtites. Menſtruatio ſaepe ad finem vſque morbi perdurat, vel initio ſuppreſſa verſus finem demum reſtituitur.

Eodem tempore morbilli, et protinus ab initio aeſtatis variolae, ad mediam vſque hyemem perdurantes incipiebant. Priores nihil peculiaris habebant, niſi diarrhoeam interdum adeo auctam vt opiatis indigeret: ſed ſi variolae non adeo dirum in modum, vt ſuperius anno 1766, graſſabantur, id potius minori copiae aegrotantium, quam minori malignitatis gradui adſcribendum erat. Symptomata tamen aliquantum diuerſa erant, et potius neruoſum, quam inflammatorium morbum prodebant: mors etiam a ſumma virium debilitate orta, et mortificationi vniuerſali ſimilis videbatur. Periculi maior vel minor gradus in hac aeque ac ſuperiori epidemia non ex frequentia p. 134.

 puſtu-

puſtularum in facie tota, ſed tantum in ſuperiore regione frontis, patebat. Viuida deſcriptio perverſae medendi methodi a populo vſurpari ſolitae in calore regiminis et medicamentorum, cui Noſter omnibus viribus reſtitit, quamquam non ſemper obedientes aut aegros aut adſtantes inuenit. Solum incommodum ex regimine frigido adhibito erat tuſſis ſicca, quam tamen tempeſtas ſerena et ſerum lactis caprillum tollebant. Rheumatiſmus rariſſime inſequebatur, ſi aeger remedio mercuriali ſub initium morbi vſus eſſet; iſque ipſe ſucceſſu temporis ſponte diſparebat. Opiata proficua non erant, et vires potius ad ſecundam febrem neceſſarias infringebant. Cardiaca calidiora nocebant, niſi quum verſus finem maturationis variolae ſubito ſubſiderent et moleſtiſſima ſymptomata praeſentiſſimum mortis periculum adferrent: tunc autem vinum ſufficienter calefactum praeſtantiſſimum erat. Emetica, praecipue ex antimonio etiam tunc temporis vtilia fuiſſe nouit Cl. Auctor. Peſſimus autem morbi ſtatus erat, ſi variolae ſenſim, interdum intra 24 horas, cum iiſdem ſymptomatibus ſubſidebant, quo in caſu vix quoddam auxilium proficuum inuentum fuit.

p. 150. Epidemica huius conſtitutionis febris lenteſcens erat, haud abſimilis neruoſae illi Cl. HVXHAM et GILCHRIST, ſed in eo eſſentialiter ab eadem diuerſa, quod raro, niſi vltima eaque funeſta morbi periodus iam adeſſet, periculum adeo ingens portenderet, et quod alia eidem medendi ratione opus eſſet, plane contraria ei, quam febris neruoſa poſtulat. In omnibus febribus eius claſſis nullum melius ſalutis ſignum exiſtit, quam lingua pura et rubra. Vrina in principio morbi nubeculam gerens verſus fundum vaſis deſcendentem,

tem, poſtea ſenſim ſuperficiem petentem, ac demum diſparentem ſemper in hac aeque ac malignis febribus delirium praenunciat.

In curatione huius febris, quamquam euacuantia indicabantur, tamen leuiſſimis tantum vtendum, et non ſine taedio cum cunctatione quadam iiſdem inſiſtendum erat. Vinum et cardiaca in primis morbi periodis manifeſte nocebant; ſed morbo fere prorſus ſuperato, relicta ſola infirmitate, generoſior diaeta ſumme proderat. Tunc temporis etiam cortex Peruuianus, praecipue in vino rubro infuſus, egregios effectus praeſtabat. p. 154.

Morbus inter infantes familiaris, quem febrim verminoſam dicebant, Noſtro non quidem ſemper a vermibus ortum duxiſſe videtur, ſed a peruerſo et copioſius ingeſto victu: ſymptomata febris remittentis cum vomitu, tuſſi pituitoſa, conuulſiuis et comatoſis affectibus cet. Interdum communia ſigna vermium aderant, hi tamen ipſi rarius apparebant Morbus raro vltra ſeptimanam durabat, nec periculoſus erat. Difficulter ab hydrocephalo interno diſtinguitur, niſi quum is iam vitae finem propinquam nunciat; neque morbum hunc adeo infrequentem eſſe ſuſpicatur Cl. Auctor. Morbi noſtri curatio in principio largam venaeſectionem, et poſtmodum parcas, ſed crebrius repetitas doſes rhei, pro re nata cum magneſia vel pauca portione calomelanos ſociatas, exigebat. p. 163.

Pleuritis et peripneumonia non adeo largam ſanguinis imminutionem poſcebant, neque bene ferebant; vnica, eaque moderata, in principio ſufficiebat, cui laxantia leniora ſubiungi oportebat, quae copioſas bilioſas deiectiones efficiebant; his neglectis, vltimis morbi diebus diarrhoea bilioſa p. 167.

funeſti euentus accedebat. His laxantibus antimonialia addita, licet vomitum excitarent, tamen proficiebant, neque dolorem augebant. Veſicatoria tantae vtilitatis non erant, quantae alias eſſe ſolent. Neque in periculo diſcrimen aliquod erat, ſeu dolor dextrum ſeu ſiniſtrum latus occupaſſet, quum alias dextrum ſemper periculoſius animaduerterit noſter Auctor.

p. 172. Conſtitutio quarta ab anno 1771 incipit, in quo inauditae vehementiae hyems fere ad finem Aprilis perdurabat; reliquus annus fere totus pluvioſus erat, nonnullis tamen, potiſſimum menſe Septembri, intercedentibus diebus ſerenis. Duos primos menſes anni 1772 conſtans frigus et nix comitabantur; vſque ad finem aprilis tempeſtas varia; ſuccedentes tres menſes ſicci et calidi erant.

p. 181. Vernale tempus 1771 veras pleuritides et peripneumonias inducebat, in quibus largiſſima ſanguinis miſſio protinus a principio requirebatur, adeo vt ſubiecta iuniora, plethorica, eadem ad 30 imo 40 vncias indigerent; ſed cautione opus erat, vt tanta copia non vno impetu, ſed intra paucas tantum horas, imo intra pauca minuta, digito tantum compreſſa apertura venae, educerentur. Iuſto minor copia, etſi ſaepius repeteretur, tamen morbum trahebat, eiuſque reditum quouis vere efficiebat, quod etiam de aliis morbis inflammatoriis valet.

p. 187. Ampliſſima eſt tractatio diri iſtius morbi, qui hoc anno totam ferme Europam deuaſtauit, quare eam penitus repetere nequeamus, aliqua ſaltem momenta excerpta ſufficient. Agitatio tremorque omnium membrorum potiſſimum tum conſpicua, quum febris ad ſummum faſtigium peruenerat

(quod

( quod nono circiter vel vndecimo die contingebat, notam charaſteriſticam huius morbi praebebant. Peius etiam ſignum prognoſticum ſuppeditabat continua apprehenſio ſtragulorum ope ſolius pol- p. 188. licis et indicis, quam totius manus. Sudor digito exploranti peculiarem pungentem ſenſationem im- p. 191. primebat, non qualis a calore excitari ſolet ( neque cutis ipſa vltra modum calebat ), ſed verbis non exprimendam. Intra vndecimum ac decimum tertium diem morbus vel ſenſim, licet vix perci- p. 192. piendo modo, declinare incipiebat, vel aegrum trucidabat. Durante hac epidemia pauci alii morbi obſeruabantur ( vt idem in peſte ſolet fieri ): qui tamen rheumatiſmo aut eryſipelati erant ob- noxii, per aliquot dies febrem epidemicae ſimilem p. 194. experiebantur, quae ſubito in morbum iis familiarem et ſolito vehementiorem, tranſibat, Cl. Auctor, quamquam auxilium medici nonniſi morbo ad ſummum gradum euecto expetebatur, ex copioſis aegris nonniſi duos amiſit, quorum alter liquoribus ſpirituoſis ad mortis fere vſque momentum hauſtis peripneumoniam ſibi contraxerat, et alter iam in agone erat, cum aduocaretur. Venae ſectio rariſſime, nec niſi in primo morbi inſultu locum habebat, alias certiſſime nocebat; ipecacuanha parum vel nihil praeſtabat; ſudorifica, etſi ex acidis vegetabilibus, nocebant; maximi vero errores in intempeſtiuo veſicatoriorum vſu committebantur, ſicut in genere monet Noſter, in febribus p. 201. malignis nimis ſubitam actionem huius remedii funeſtum ſignum praebere. Cardiaca itidem morbum magis exacerbabant.

E contrario, in primo ſtadio morbi, acida, cum p. 204. vegetabilia, tum multo magis mineralia, v. c. elixirium vitrioli ad dimidiam drachmam quauis hora, potui admiſtum, conducebant, et ad praecauen-

dum morbum egregie proderant: primas tamen hic partes malis Sinenſibus, ſi haberi poſſunt, Noſter tribuit. Tartarus emeticus cum cremore tartari, vel vinum ſtibiatum decocto ſenae et tamarindorum additum, primas vias egregie purgabat, et ſub ipſo hoc effectu vires aegrorum ſurgebant. Tartarus emeticus etiam ad vnum vel ſeſquigranum quotidie plerumque exhibendus erat. In ſummo morbi gradu valentiſſimum auxilium in
p. 211. frigido poſitum erat, ad quod ipſe inſtinctus aegros impellebat: imo nonnulli in aquam frigidam ſe immergendo ſanati fuerunt.

p. 217. Eo ipſo tempore, quo aegri aeri frigido exponebantur, tuſſim inde reportabant, quam Noſter ſemper boni ominis, aeque ac verſus finem aliarum febrium, inuenit. Praeter hoc auxilium ingens vtilitas corticis Peruuiani fuit, quem in decocto ſaturato, additis plerumque ad ſingulam vnciam corticis drachmis duabus vel tribus elixirii vitrioli, dedit: rariſſime tincturam eiuſdem corticis decocto addere opus erat. Corticem in ſubſtantia non tentauit, cum decoctum facilius deglutiri poſſet. Sed maioribus doſibus vtendum erat, ita vt intra viginti horas tres, imo in minus quam triginta horis quinque vnciae corticis adhiberentur: minores enim doſes morbum magis exaſperare videbantur. Saepe medicus tunc demum accerſebatur, quum morbus eo iam deuenerat, vt euacuantibus, nec tempus, nec vires ſufficerent, tunc largiſſimus corticis vſus purgationes conuenientes praeſtabat, adeo, vt interdum, ſed cum ſumma cautione, quatuor vel quinque guttae tincturae thebaicae porrigendae eſſent.

p. 224. Nonnumquam durante vſu corticis morbus mitior et remittens paroxyſmo grauiore recrudeſcebat, quod interdum poſt 24, imo 36 horas accidebat;

debat; ſic etiam delirium et inſenſibilitas ſaepe per aliquot dies reſtabant, reliquis omnibus ſymptomatibus ceſſantibus. In ſtatu conualeſcentiae, vt in aliis febribus huius indolis, vinum largiori quantitate potui admiſtum conducebat, quam homines perfecte ſanitati reſtituti ferre poterant. Denique diaeta exquiſitiſſima ad recidiuas auertendas opus erat. p. 227.

Verſus finem veris anni 1772 ophthalmiae frequentes erant, potiſſimum ex vitiis primarum viarum ortae, et venaeſectione interdum ſub initium adminiſtrata, poſtmodum laxantibus, nitroſis, diaeta tenui, veſicatoriis et aliis vſitatis remediis adhibitis facile cedebant. Hic nimiae laudes adſtringentium in hoc morbo limitat Auctor noſter, eaque nonniſi inflammatione iam diſcuſſa opem ferre docet: parum aluminis vſti cum dupla portione ſacchari in puluerem ſubtiliſſimum redacti et flatu oculo applicati fere omnibus aliis remediis praefert. p. 230.

De bilioſis morbis huius aeſtatis, leuioribus ſolito, nihil amplius commemorat, cum ſuperius iam de iis egerit. p. 233.

Appendix de febribus neruoſis et malignis, maioris operis olim forſan prodituri prodromus, eum potiſſimum finem habet, vt Auctor noſter conuenientiam inter hos morbos enarret, ſolum diſcrimen in maiori vel minori gradu ( vltimum quippe febris neruoſae ſtadium cum febre putrida plane conuenit ) poſitum eſſe doceat, et, quicquid alii viri celeberrimi, inprimis Cll. HVXHAM et PRINGLE, de cauſſis illarum tradiderint, primariam tamen vtriusque cauſſam in vitiis primarum viarum quaerendam eſſe monſtret. Ex his neceſſitatem euacuantium, damnum ex iis neglectis, et p. 237.

peruerſis reliquis medendi modis, et neceſſitatem corticis Peruuiani, ſed largius, ad minimum intra duos dies tres vnicas, ( ſaepe tamen in ſpatio duobus diebus paullo maiori vnciis ſex vel ſeptem opus fuit ), exhibendi, euincit. Frigidum aerem, iam a CELSO quam maxime commendatum, hic ſumme proficuum putat, licet eius vſus nondum experientia ſatis confirmatus ſit, quod vt fiat, quam maxime in votis habet.

## XV.

M. I. MARX Med. D. obſeruationum medicarum Pars Prima, ſiſtens vſum et abuſum veſicatoriorum in delirio febrili, hiſtoriam dein ac curam febris tertianae epidemicae prioris anni. Accedunt obſeruationes medicae de ſcrophulis, obſcuritate viſus, de ventriculi imbecillitate cum aliis quibusdam ex flatibus ſubortis ſymptomatibus de catarrho ſuffocatiuo ex affecto aſperae arteriae capite deque vſu olibani in fluxu vterino. Hanouerae MDCCLXXIV. apud Ioh. Wilh. Schmid 8. pagg. 126. cum praefatione et dedicatione.

Pergit hic Cl. Auctor obſeruata medico practica *) tradere, quorum ſummam hic cum noſtris Lectoribus communicamus.

p. 15. 1) *De vſu et abuſu veſicatoriorum in delirio febrili.* Variis Auctorum ſententiis de veſicatoriis narratis monſtrat, ea non vbique eſſe adhibenda. At quam ſaepe, inquit, videmus in conſueta praxi aegro ſanguinem largiter emitti et dein

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 622.

dein veſicatoria applicari atque mox magnum praeſcribi numerum alexipharmacorum calidorum, cardiaca, caeteraque. Quod profecto aeque cum ratione conueniet, ac ſi quis partem incendii magni prius ſupprimere velit et mox poſtea reſiduam partem adiecto puluere pyrio aut ſpiritu vini extinguere anniteretur.

Sunt veſicatoria, ex Noſtri ſententia, neruina excitantia, quae conducunt irritabilitati imminutae, debilitati neruoſae, circulique humorum languori, item plus ſeruiunt obeſis et ſucci plenis corporibus, quam ſiccis et macilentis. Et quando delirium inde deriuandum ſit, tum ea locum quoque habent, ad ſtagnantes humores reſoluendos, ad rapidiorem circulum inuitandos, quin imo ad humores, potiſſimum ſeroſos, deriuandos. p. 27.

Quod ſi vero cauſſa febrilis ſit impedita perſpiratio ac obſtructio excretionis cutaneae, frigore ortae, ad quam promouendam expellendamque cauſam febrium praeparata regulina admodum vtilia Noſter deprehendit. Dantur haec ea in doſi, vt tantummodo conamen quoddam vomendi cieant, nec vomitum ipſum moueant. Atque hic ſeruiunt omnia emetica parua in doſi adhibita, quae tunc vt diaphoretica agere, quia corpus calefaciant, noſtro tempore non amplius ignotum eſt. Id quod Noſter in ſequente capite fuſius demonſtrabit. Exempli loco nominatur hic tartarus emeticus, mittimus alia antimonialia remedia. p. 48.

Plures ſubſtantiae metallicae et inprimis mercurius et antimonium multas poſſident virtutes medicas, ſique ſalibus artis chemicae ope diſſolutae atque vnitae ſint, facile ſe cum humoribus animalibus miſcere altiusque vaſculare ſyſtema penetrare, atque vt experimur, non modo tanquam p. 49.

eua-

euacuantia irritando, ſed et vi reſoluendi et deobſtruendi agere videntur.

p. 49. Sit coniecturae locus. Eiusmodi forſan erat medicina, de qua HELMONTIVS gloriatur, dicens: „vnica nimirum falce amputatur omnium febrium cauſa occaſionalis. Id remedium eſt ſudoriferum, quod incidit, extenuat, reſoluit, liquat, abradit ac ſimul abſtergit cauſam occaſionalem, vbicunque locorum ea demum extiterit. Eſtque vniuerſalis febrium medicina diaphoretica quidem inſenſibilitas et citra ſudorem praedictos effectus parans.„

p. 50. 2) *De febre tertiana priore anno graſſante.* Febris haec continuae ſimilis erat, contagioſa omnium aetatum inuadebat homines. Paroxyſmorum typus plane erat nullus. Porro Noſter obſeruauit ſaepius, quando reciderit febris in quotidianam, rariſſime in quartanam mutatam fuiſſe. Cauſam quaerit Noſter in occulta aeris diatheſi, quam in bilem praecipue agere demonſtrat. Vomitus inde quoque bilioſos in hac febre apparentes Cl. MARX deriuauit.

p. 75. Tartarus emeticus in parca doſi adhibitus multum praeſtitit in hac febre. Nec ille ſolum, ſed omnia emetica, vt vinum antimoniale HVXHAMI cet. hic dari poſſunt. RIVERII mixturae *) addidit ſpiritum nitri dulcem aut nitrum. In infantibus hac febre laborantibus, epithemate ex thure, croco, ſale communi et fuligine parato carpis impoſito, ſimul datis tartari emetici doſibus minutiſſimis, octies cum ſucceſſu curauit Noſter febres. De externis remediis, in febribus intermittentibus, quae Noſter hic quoque ſuadet, ac potiſſimum in infan-

*) v. ſupra p. 76.

fantili aetate, quae medicamenta ſaepe plane reſpuit, Cl. NEIFELD *) multa habet.

3) *De ſcrophulis.* Natura cauſſisque affectionis ſcrophuloſae bene penſitatis, ad curationem Noſter progreditur, quae in eo conſiſtit, vt vniverſalis corporis cachexia corrigatur, lentor humorum attenuetur, ſolidaque corroborentur. Atque hic ſeuere vrget diaetam. Inter medicamenta vero princeps remedium attenuans atque minutiſſima vaſcula detergens iudicat Noſter radicem rubiae tinctorum, de qua iam alibi diſſeruit **). Huic ſolet NOſter ſequens remedium adiungere: recipe vitri antimonii in puluerem quam ſubtiliſſimum redacti grana quatuor, millepedum drachma vna, gummi ſagapeni drachmam dimidiam, olei iuniperi guttas decem, miſce fiant cum ſyrupo quodam pilulae numero triginta, duae vel quatuor mane vel mane et veſpera ſumendae. Poſtea corticem Peruuianum, qui praeterea ſcrophulorum diatheſin tollit, exhibet. Externe fotus mercurialis reſoluens nocte caute vſurpandus nonnunquam ſuccedit, mercurii corroſiui ſublimati ſcrupulum dimidium, ſoluti in aquae ſimplicis vnciis tribus, addita tincturae cantharidum vncia dimidia, continens. Interdum panni non modo, verum et ſacculi floribus aurantiorum aut ſimilibus impleti externe applicabantur. Obiter hic notat Cl. Auctor corticem cum radice rubiae tinctorum, praemiſſis rhabarbarinis et ſaponaceis egregie conducere rachitidi infantum. p. 105.

4) *De obſcuritate viſus.* Quae cortice Peruuiano aliisque roborantibus remediis eſt curata et p. 113.

cum

*) V. ERNEST. IEREM. NEIFELDII ratio medendi morbis circuli ſanguinei v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 291.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 623.

cum altero anno rediret, eadem methodo medendi et exercitio corporis iterum ea eſt ſublata. Aliud enarrat exemplum, quod ſolis antirheumaticis remediis adhibitis et emplaſtro ſtimulante, temporibus applicato, viſum recuperauit.

p. 116. Omnino ipſam ophthalmiam rarius veram eſſe inflammationem, vt a pluribus creditur, qui antiphlogiſticum poſtulant regimen, ſed ſaepius rheumaticam eſſe, atque antirheumaticis remediis ſublatum fuiſſe pluribus exemplis Noſtro apparuit. Atque hic laudat potiſſimum corticem Peruuianum cum tinctura guaiaci volatili.

p. 117. 5) *De ventriculi imbecillitate cum aliis quibusdam ex flatibus ſubortis ſymptomatibus.* Infuſum rhei aquoſo vinoſum, carminatiua et cingulum goſſypio fartum, abdomini applicatum, cum crebra frictione abdominis, vectione in rheda, equitatione et diaeta hic egregium vſum praeſtarunt.

p. 119. 6) *De catharro ſuffocatiuo ex affectio aſperae arteriae capite.* Atque hic vſus Noſter eſt attenuantibus, incidentibusque remediis, inprimis linimento volatili ex oleo olivarum et ſpiritu ſalis ammoniaci collo externe applicato, ita feliciter, vt viginti quatuor horis praeterlapſis, catharrus, a pituita oriundus, ceſſaret.

p 121. 7) *De vſu olibani in fluxu vterino.* Olibani vires ſunt temperatae, atque ad profluuia muliebria ab acrioribus humani corporis ſuccis et lympha praecipue acri et ſalſa nimis orta, corrigenda aptae. Fluorem album interno olibani vſu in multis feminis Noſter curauit. Drachmam nempe dimidiam olibani ſeu thuris, ſaccharo triti aquaque cinnamomi tenui in formam potionis redacti, addita

tin-

tinctura corticis Peruuiani exhibuit cum decocto ſaſſaparillae et chinae ponderoſae. Regio vteri ſpongiis madentibus calido decocto florum papauerum et chamomillarum fouebatur. Diaetae ratione habita et lactis cura, aegra redacta eſt ad ſuam laudabilem temperiem.

## XVI.

*Die heilſamen und höchſt wunderbaren Wirkungen des Waſſerfenchels oder der ſogenannten Peer-Saat bey verſchiedenen Krankheiten des menſchlichen Körpers von* D. IOHANN HEINRICH LANGE *Stadtphyſicus zu Lüneburg, wie auch der Römiſch Kaiſerlichen Academie der Naturforſcher und der herzoglichen Deutſchen Geſellſchafft der ſchönen Wiſſenſchafften zu Helmſtädt Mitglied. Neue verbeſſerte Auflage Francfurt und Leipzig. Im Verlag der Hechteliſchen Buchhandlung.* 1775. 8. *m. K. Seitt.* 48. *ohne Vorrede.*

i. e.

De ſalubribus et admirandis effectibus foeniculi aquatici in variis morbis corporis humani. Auctore IOANNE HENRICO LANGE. M. D. cet.

Botanica huius plantae deſcriptione et comparatione cum alia planta addita, hiſtoriam huius plantae Cl. LANGE tradit eiusque fata enarrat, partes conſtitutiuas perſequitur et eius effectus experimentis atque tentaminibus declarat. Icon hu- p. 13.

ius

ius plantae, huic libro adiecta, deſumta eſt ex alio libro *), quoniam Noſtro optima videtur.

p. 16. Inter remedia domeſtica, quae a Brunſuigenſibus ruſticis adhibentur, eſt foeniculum aquaticum ſine dubio princeps. Vtuntur enim eo in vulneribus, ſugillationibus, contuſionibus, fracturis, haemoptyſi et phthiſi, malo hyſterico, febribus intermittentibus, flatulentia et aliis pluribus morbis. Inprimis ſemen huius foeniculi aquatici ſeu phellandrii aquatici laudatur, cuius contuſi cochleare cum pane, butyro non ſalito illito mane, ieiunoque ventriculo ſumunt. Externe inter vſum huius ſeminis pura ſeruentur vulnera aqua, et ſaliua ſana dein deligentur. In malignis ſcorbuticis et carcinomaticis idem Noſter obſeruauit.

p. 18. Porro laudat Cl. LANGE hoc remedium in imminente phthiſi ex haemoptyſi, et aſthmate.

p. 21. Iam reliquos illius ſeminis effectus, quos Noſter partim non Ipſe obſeruauit, partim inter dubios refert, hic memorantur. Atque hic potiſſimum febres intermittentes, vbi illud ſemen cum oſſe ſepiae coniungitur, malumque hyſtericum nominantur, item vmbilicales et crurales herniae ipſo eo ſemine tolluntur. Id quod iam affirmauit LAVRENTIVS HEISTERVS **) qui idem hoc ſemen contra hernias laudauit et diſquiſitioni et vſui chirurgorum ſuaſit.

Foe-

*) Phellandrologia phyſico medica ſeu exercitatio phyſico medica de medicamento nouo: vulgo *Peer Saat* dicto et multis in morbis tam hominum, quam animalium celebrato. Iam vero experimentis phyſico chymicis et obſeruationibus medicis illuſtrato ab ARTHVRO CONRADO ERNSTINGIO M. D. et Practico Brunſuicenſi. 1739. 8. c. f.

**) v. diſſ. de hernia incarcerata ſuppurata ſaepe non letali Helmſtad. 1738. 4.

Foeniculi igitur aquatici diſcutiens et balſamica vis cum ex his obſeruationibus eluceat, locum illud meretur in materia medica. Quod tanto magis fieri poteſt, quanto citius vim balſamicam et vulnerariam per internum eius vſum illud ſemen prodit. Omnino Noſter optat, vt medici remedia domeſtica attendant et eorum vſum determinent ſecundum artis medicae praecepta et fidam experientiam, quoniam horum vſus vulgo non deſtituitur vanitate, praeiudiciis, traditionibus cet. quibus autem remotis, ea domeſtica remedia humanae ſocietati valde vtilia atque proficua redderentur. Eſt enim communis error vulgi, eiusmodi remedia vt vniuerſalia celebrandi et omnibus morbis opponendi. Vti ipſum hoc foeniculum exempli adinſtar ſeruire poteſt. Praeter hos enim morbos, hic a Noſtro dictos, dicitur illud ex mente vulgi prodeſſe oedemati pedum omni, hydropis ſpeciebus omnibus, ictero, cachexiae, menſtruorum ſuppreſſioni, fracturisque, vbi cum fructu et fruſtra eo vſi ſunt. p. 25.

Per deſtillationem Noſter ex foeniculo aquatico, ſal volatile, ſpiritum volatilem vrinoſum nec exiguam olei copiam, quod conueniebat cum oleo cornu cervi, et acri, amaro et balſamico ſapore erat praeditum euocauit. Maturationem vero ſufficientem huius ſeminis hic vrget Cl. LANGE, quae medio Auguſti potiſſimum accidit, et ſemen tum praeterea fuſco rubro cum flauo viridi colore eaque magnitudine eſt, quam habet commune ſemen foeniculi. Eſt contuſio huius ſeminis aliquantisper moleſta ob oleoſam eius indolem. p. 27.

His praemiſſis effectus huius remedii tentaminibus illuſtrat Cl. LANGE atque confirmat. Plurima attinent vulnera. Loco ſaliuae interdum No- p. 28.

ſter elegit lac tepidum, quod et nobis ſemper praeferri debere videtur, quoniam ſana ſaliua, quam vult hic Noſter, rara eſt. In vno exemplo inter vſum huius foeniculi apparebant menſtrua nec vllum cicatricis remanebat veſtigium. Id quod ad proprietates huius ſeminis Noſter refert.

p. 38. In cancroſis vlceribus mammarum eo ſemine interne et externe cataplaſmate radicis conſolidae maioris coctae cum butyro non ſalito et cereuiſia alba ad pultis conſiſtentiam feliciter vſus eſt. Porro et in fiſtuloſis vlceribus, aſthmate, dolore pectoris et ſputo purulento, vbi corticem Peruuianum cum foeniculo aquatico exhibuit. In pulmonum laeſione per externam vim, vbi magna cruoris copia exſpuebatur. electuario ex cortice Peruuiano, foeniculo aquatico et ſyrupo de ſymphyto FERNELII et infuſo arnicae verae cum optimo ſucceſſu vſus eſt.

p. 47. Quaedam monita inter vſum huius ſeminis. Vinum, aqua vitae et aromata noxia ſunt, quoniam ipſum hoc ſemen exaeſtuat ſanguinem. Ventriculum vero illud confortat. Sub initio curae purgans cum mercurio dulci eſt exhibendum et poſtea in plethoricis hominibus venaeſectio eſt admittenda. Nimius motus et ſudorem excitans eſt vitandus, quoniam volatiles balſamicae partes foeniculi nimis copioſe atque celeriter e corpore eliminantur, quae, diutius ſi remaneant, nutritioni auxilium praeſtant. In haemopthyſi et pthtiſi imminente, item externis laeſionibus, cum febre vulneraria coniunctis, ſuadet Cl. LANGE corticem Peruuianum cum foeniculo coniungere, et omnia potulenta fortiora et exaeſtuantia aegris interdicere, ne potu quidem coffeae excepto, locoque eorum permittere tenue decoctum fagopyri cet. cum pauxillo ſucci

citri

citri et ſaccharo. Iuſcula nimis nutrientia inprimis vero carnium, noxia ſunt. Nec minus hic ſeruit caro ſuilla alio atque alio modo praeparata, pariter duri et flatulenti cibi.

## XVII.

*Abhandlungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit von einer Geſellſchafft von Aerzten in Hamburg. Herausgegeben von D.* PAVL DIETRICH GISEKE, *der Phyſik Profeſſor. Hamburg. gedruckt von Carl Wilhelm Meyn* 1776. 8. *Seitt.* 357.

i. e.

Tractatus et obſeruationes ex medicina a Societate medicorum Hamburgenſium. Editore PAVLO DIETERICO GISEKE, M. D. et Profeſſore Phyſices.

Coeperunt ſcilicet maxime vtiliter nonnulli medici conſilium anno 1772 conueniendi inter ſe, obſeruationes medico practicas communicandi et amico examini communiter ſubiiciendi. Vt autem hi conuentus tantam, quantam optabat Societas, nanciſcerentur vtilitatem, et ordine potiſſimum placerent, conſtitutum eſt, omnes res tam, quae proponebantur, quam, quae diiudicabantur, ſcriptas tradere. Et huic potiſſimum legi tribuitur ſumma conſenſio amicorum in maximo ſaepiſſime diſſenſu, quae per tres annos iam durauit. Ab epiſtolis huius Societatis eſt Cl. GISEKE, qui, volente ita Societate, obſeruationes quasdam hic communicat, ita tamen, vt cuiuslibet ſententias tradat, praeterea vero nihil curet, et Auctori ipſi prorſus relinquat. Recenſiones librorum, inter ſe communicatas non integras Cl.

GISEKE, vulgauit, ſed id ex iis potiſſimum delibauit, quod, vel vlteriori rei propoſitae explicationi inſeruire, vel ad aliter ſentiendum allicere poſſet. Nouitatis ſtudium non quaerit Societas, Lectorique perinde eſſe arbitratur noſſe Auctorum nomen, quod hic reticuerunt.

Nos hic tractatuum inſcriptiones indicabimus et de quibusdam ſpeciminis loco videbimus.

p. 1. (1 *De dignitate medicinae* *).

p. 18. 2) *Diſquiſitio quaeſtionis : Reſtituunturne fere omnes aegri vi naturae et ſunt itaque medici non neceſſarii* **)?

p. 32. 3) *Annotationes quaedam ſuper quaeſtionem: cur medici non ſemper tantum praeſtent, quantum per artem ſuam adeo amplificatam poſſint* ***)?

p. 52. 4) *De eminentia veterani medici prae iuniore et quantum experientia conferat ad practicam cognitionem perfectiorem reddendam* †).

p. 67. 5) *Quaedam de incertitudine in medicina* ††). Exemplum hic narratur de cephalalgia, cuius cauſſa non potuit detegi nec viuo, nec mortuo, aegro. Arbitramur autem cum eo, qui recenſet hanc tractationem, cauſſam huius doloris capitis per multos annos durantis

*) Lect. d. 4. Febr. 1772.

**) Lect. d. 10. Nouembr. 1772.

***) Lect. d. 22. Iunius 1773.

†) Lect. d. 17. Octobr. 1773.

††) Lect. d. 1. Septemb. 1772.

rantis, nec alio morbo tandem letali cedentis, fortaſſe poſſe repeti a bile praeternaturaliter mixta et inde nata alui obſtructione. Nam aluo laxantibus aperta, cedebat capitis dolor, item remittebat ille per tres dies, poſtquam craſſam et viridem bilem aeger euomuerat. Quae cum ita ſint, non temere, qui recenſuit hunc tractatum, deſiderat bilis diſquiſitionem in cadauere. Etiamſi enim aliae atque aliae praeternaturales mutationes in cerebro ſunt repertae, tamen hae non ab initio videntur adfuiſſe, ſed veroſimiliter vltimo morbo obortae ſunt, nec capitis dolorem cauſarunt.

6) *Propoſita ad labores definitos* *). p. 78.

7) *De diuerſis methodis artem medicam amplificandi et diſcendi cum diiudicatione tractatus: de laboribus definitis.* p. 89.

8) *De praeſtantia lactis humani prae animali et de officio matrum lactandi* **). Hac occaſione diſputatur de paſſionibus et moribus, quatenus a lacte deriuari poſſunt, id quod VANDERMONDE aliique ſunt autumati, et hic reiicitur. p. 120.

9) *Hypotheſes de propria et interna ratione varioloſi contagii et obiectiones contra illud. Quid experientia de illo docet* ***). Primum quidem hypotheſes variorum Auctorum, de contagio varioloſo ab Arabibus medicis vſque ad noſtra tempora enarrantur et reiiciuntur. Infectionem Noſter largitur cum Cl. TISSOTO, febris autem diuerſitas non pendet a contagio varioloſo, ſed per corpus, quod p. 135.

I 3

*) Lect. d. 1. Mart. 1774.

**) Lect. d. 14. April. 1773.

***) Lect. d. 4. Februar. 1772.

quod infectum eſt, et ab aliis externis conditionibus determinatur.

p. 143. Ille, qui hanc rem diiudicauit, vnam hypotheſium earum, quarum mentio hic eſt facta, et quae cernitur in pathologia verminoſa, inter alios et ab Ill. LINNAEO *) propoſita, defendit. Confugit Noſter nempe ad animalia infuſoria, quae in omni liquore, ex affuſa ad animales vel vegetabiles partes aqua, nata ſeſe offerunt diuerſimodeque mouentur. Id quod et Cl. WRISBERG accurate experimentis illuſtrauit **). Noſter porro omnem omnino fermentationem ab his animalibus infuſoriis repetit et hanc ſuam hypotheſin de variolis viuis confirmat mercurialium medicamentorum efficacia in variolis, cum ea animalcula interficiantur a mercurio. Inoculatio contagium extenſiue auget, et intenſiue imminuit. Vti in fermento panis, quanto maior eſt farinae quantitas, tanto minor fit panis acor.

p. 150. 10) *Refutatio Sydenhamianae et Boerhaauianae explicationis de morbo varioloſo* ***).

p. 156. 11) *De metaſtaſi lactis* †). Noſter illam ad vterum et extremitates inferiores et ſuperiores vidit, aſſeritque ſequentia:

1) Hic morbus ex nulla nota cauſſa ſine praeiudicio poteſt repeti. Viginti grauidae vno eodemque vtuntur vitae genere et duae fortaſſe incidunt in hunc morbum.

2) Nec

*) Diſſ. ſiſtens exanthemata viua Reſp. *Io. C. Nyander*, quae inſerta eſt amoenitatum academicarum LINNAEI Vol. V. no. 82. p. 92. v. comm. noſtr. Imae decad. ſuppl. I. p. 108.

**) v. comm. noſtr. IIdae decad. ſuppl. I. p. 167.

***) Lect. d. 3. Mart. 1772.

†) Lect. d. 28. April. 1772.

2) Nec facilis nec difficilis partus confert quid ad hunc morbum.

3) Regimen puerperae hunc morbum neque excitat, neque arcet.

4) Aegrae hoc morbo laborantes, quae Noſtri curae erant commiſſae, ipſae lactarunt et lactis non ſuperflua gauiſae ſunt copia, lochiis inſuper rite fluentibus.

5) Vidit Noſter hanc lactis aberrationem cum et ſine febre. Optima methodus medendi huic aberrationi lactis cernitur in hoc morbo impediendo et arcendo. Cl. LEVRETI remedium e ſale tartari nonnulli quoque ferre pariter nequeunt, atque vnguenta. Epithemata ſicca quoque non iuuant.

12 et 13) *Quaedam de criticis diebus* HIPPOCRATIS *). Diuerſimode hic diſputatur de diebus criticis. p. 160. p. 189.

14) *Nonnulla monita de abuſu venaeſectionis* **) p. 206. In morbis e. gr. chronicis, ab acri et bilioſa colluvie in ſyſtemate gaſtrico, inteſtinali, meſenterico, hepatico, extra vias circulationis poſita cum putrida indole, vti et HVXHAMVS monet.

15 et 16) *De crocis martis eorumque effectu noxio interno* ***). Reiicitur eorum internus vſus et externus modo permittitur, ferrique ſcobi plus virium adſcribitur, quam omnibus eius praeparatis chemicis. Id quod in ſequenti decimo ſexto tractatu vlterius probatur. p. 226. et p. 237.



*) Lect. d. 5. Ianuar. 1773. Lect. d. 16. Februar. 1773.

**) Lect. d. 31. Mart. 1772.

***) Lect. d. 30. Septembr. 1772. Lect. d. 31. Mart. 1772.

p. 248. 17) *Quaedam de borace* *). Cum borax remedium ſit reſoluens, cum ſal ſedatiuum in eo contentum dolores leniat, deliria coerceat et lochia promoueat, porro cum cremor tartari, addito borace, ſolubilior reddatur: Noſter hanc in rem vlterius inquirebat, ac potiſſimum coniunctionem boracis cum cremore tartari attendebat tam in inflammatoriis morbis, quam in chronicis viſcerum obſtructionibus.

p. 251. Bis eapropter exhibuit Noſter duas partes cremoris tartari et vnam partem boracis in peripneumonia et dolor ſubito remittebat et expectoratio quoque accelerabatur. Praeterea aliquoties aluus quotidie mouebatur ab vna vncia huius pulueris. Porro eodem cum fructu in febre bilioſa viſcerumque abdominalium obſtructione hoc puluere Noſter vſus eſt. Similia tentamina cum hoc puluere a Cl. BERGIO enarrantur in nouis actis naturae curioſorum **). Obiectiones contra hoc remedium cernuntur in diuerſitate agendi. Cremor tartari enim eſt refrigerans et borax exaeſtuans remedium.

p. 255. 18) *Meditationes de remediis ſpecificis* ***). Narrat hic Noſter quaedam, vt corticem Peruuianum in febribus intermittentibus, mixturam Swietenianam in lue venerea, frigida balnea in neruorum debilitate cet. et optat, vt plura eiusmodi in poſterum inueniantur.

p. 273. 19) *De effectibus inopinatis remediorum emeticorum* †). Euomebatur nempe magna copia cruoris,

*) Lect. d. 5. Dec. 1772.

**) Tom. IV. 1770. 4. obſ. XXV. p. 95.

***) Lect. d 10. Nouembr. 1772.

†) Lect. d 10. Nouembr. 1772.

oris, quae inveteratum dolorem in liene mitigabat et vetula ſeruabatur. In ſene vero emeticum foeces ſanguinolentas letales produxit. Obſtructiones vlceraque in abdomine contra emetica indicant.

20) *De externo vſu caſtorei in conuulſivis motibus* *). p. 277.

21) *Duae obſeruationes de vſu camphorae in magna doſi.* Exhibitae ſunt drachmae tres camphorae cum gummi Arabici mucilagine, quae optime camphoram ſoluit **), in variolis per duos dies cum optimo effectu, et pariter vtilis fuit et illa externe. Interim tamen, etiamſi magnae doſes camphorae laudantur ***), quaedam dubitationes hic adiiciuntur, quae contra nimium camphorae vſum quodammodo pugnant. Camphora enim cum vino et opio eam habet proprietatem, vt primum neruos roboret, dein maiorem debilitatem inducat. Porro b LVDWIG experientia confirmatur, duo grana camphorae eundem effectum habere, quam decem; et drachmam vnam vidit Noſter quotidie per ſex dies ſine effectu vllo exhiberi. Item vrgetur hic coniunctio camphorae cum nitro depurato et aceto, quoniam ſola inflammationem, ſaltem aeſtum ventriculi et anxietates procreat. cet. p. 281.

22) *De morbo ileo* †). Cauſa huius morbi erat vel intuſſuſceptio, vel ſpaſmus. Illam non poterat laudanum SYDENHAMI iuuare, et hic videtur Noſtro non eſſe cauſa ſola motus periſtaltici inuerſi. Quoniam autem laudanum vomitus leniuit, et aeger p. 299.



*) Lect. d. 2. Septembri. 1772.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 140. 513.

***) v. ib.

†) Lect. d. 10. Novembr. 1772.

ger ſanatus eſt, ille, qui recenſet hunc caſum, omnia ſymptomata hic a ſpaſmo repeti poſſe arbitratur.

p. 307. 23) *De vlceribus, quae haemorrhagia aluina ſuperueniente ſanata ſunt* *). Mulier quadraginta et duorum annorum, menſtruis rite fluentibus, ſaepe lipothymia et epilepſia affecta ſentiebat in toto corpore pruritum, inprimis in extremitatibus inferioribus, vbi et vlcera apparebant, Tum acerbis doloribus in regione oſſis ſacri aegra cruciabatur, quibus poſt duos dies haemorrhagia aluina ſuccedebat, qua tres librae ſanguinis tenuis et cruoris emanabant. Durante hac haemorrhagia per quatuor dies, cedebat haec et debitum lunare ſequebatur. Vlcera autem interea ſicca fiebant et conſolidabantur, nec lipothymia atque epilepſia reuerſa ſunt. Duplicem Noſter hanc criſin iudicat. Vlcera enim epilepſiam et haemorrhagia vlcera iuvabant. Fontem praeterea huius haemorrhagiae altius **) quaerit Auctor, quam in vaſis haemorrhoidalibus.

p. 310. 24) *Obſeruatio de retropulſae ſcabiei effectibus* ***). Hi cernuntur in effluxu acris ſeroſae materiei ex papilla dextrae mammae, qui durabat per quatuor annos, vix autem externis remediis cedebat, in peripneumoniam incidebat. Qua curata, poſt annum ſanguinolentam materiam exſpuebat, quam purulenta ſequebatur copioſa. Quae cum ita eſſent et praeterea Noſter luis venereae haberet ſuſpicionem, dabat mercurium ſublimatum cum camphora interne et externe ſetaceum in cer-

*) Lect. d. 7. Iul. 1772.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 690.

***) Lect. d. 4. Aug. 1772.

ceruicem applicuit. Quatuordecim diebus non plane praeterlapſis, febris et ſputum purulentum cum leuamine aegri imminuebantur et ſex hebdomadibus poſt ſcabies totum corpus occupabat cum maiori indies ſymptomatum imminutione. Hic vtebatur aeger vnguento mercuriali Werlhofiano, cui Noſter ſub finem ſulphuris portionem addebat, et continuabat per quatuor menſes vſu ſublimati ita, vt viginti et octo grana ſublimati interea ſumſiſſet. Alimenta erant lac et panis albus. Simulac autem tuſſis et ſputum prorſus ceſſarant, ſetacei loco fonticulum in ea mamma, quam primum ſcabioſa materia petierat, curabat Auctor noſter et corticis Peruuiani vſum per menſem ſuadebat. Et ita aegrum ſine tuſſi, aſthmate et ſcabie ſubinde reconualeſcere vidit.

25) *De tetano ab externa laeſione.* Ille non prius curabatur, quam amputato digito laeſo. Quo diſquiſito, prima phalanx laeſa et acuminata erat, ita, vt per perpetuam irritationem nec opium, nec alia medicamenta illum tetanum ſedare potuerint. p. 313.

26) *De hemiplegia faciei*)* Externe feliciter hic eſt aqua Hungarica cum ſapone Veneto et nonnullis guttis olei caiaput adhibita. p. 319.

27) *De quodam linguae cancroſo vlcere feliciter curato* **) Videtur potiſſimum hoc vlcus dyſenteria accedente curatum fuiſſe. Cicuta vero et aqua Goulardiana cum liquamine myrrhae antea adhibita, inprimis cum iam ante dyſenteriam ichor cancroſus p. 322.

*) Lect. d. 7. Iul. 1772.

**) Lect. d. 5. Mai. 1772.

ſus in pus bonum ſeſe mutauiſſet, indubitato plus praeſtiterunt, quam dyſenteria.

p. 329. 28) *De inuerſo et deſcendente vtero* *). Per viginti annos hic deſcenſus vteri adfuit et ſine grauiditate ille apparuit. Primo magnae cum eo coniunctae erant haemorrhagiae, dein fluor albus malignus accedebat. Quoniam autem ſine grauiditate nulla inuerſio vteri fieri poſſit, arbitratur Noſter, hanc mulierem fuiſſe grauidam et forte inter partum ab obſtetrice male eſſe tractatam.

p. 333. 29) *De iniectionibus in gonorrhoea ad eius curationem accelerandam* **). Quamdiu inflammatio aderat, tam diu lac aqua dilutum tepide iniiciebatur; qua ſedata, ſequente ſolutione vtebatur: Mercurii ſublimati corroſiui granum vnum ſolue et tere in aqua calcis viuae vnciis duabus, dein adde mellis roſarum eandem quantitatem. Et hac iniectione optime materiam effluentem correxit, etiamſi et interne ſunt remedia adhibita.

p. 336. 30 et 31) *Fragmentum de vtilitate caſuum me-*
p. 346. *dicorum et continuatio eius* ***). Sed ſufficiant haec, quae breuiter hic excerpſimus et exſpectamus faſciculum ſimilem latine ſcriptorum tractatuum, qui a Societate eſt pollicitus in praefatione.

*) Lect. d. 3. Mart. 1772.
**) Lect. d. 6. Decembr. 1774.
***) Lect. d. 8. Decembr. 1772. Lect. d. 5. Ian. 1773.

XVIII.

XVIII.

Rerum naturalium hiſtoria, nempe quadrupedum, inſectorum, piſcium variorumque marinorum corporum foſſilium, plantarum exoticarum, ac praeſertim teſtaceorum exiſtentium in muſeo Kircheriano; edita iam a P. PHILIPPO BONANNIO, nunc vero noua methodo diſtributa, notis illuſtrata, in tabulis reformata, nouisque obſeruationibus locupletata, a IOH. ANTONIO BATARRA, Ariminenſi, Philoſophiae Prof. Pars. I. Romae MDCCLXXIII. In typog. Zempeliana vetere Venantii Monaldini Bibliopolae. Fol. 1 Alph. 14plagg.

Iam a. MDCCIX. editum eſt a PHIL. BONANNI muſeum Kircherianum forma folii totius: cum vero diuendita eſſet prima editio, noua haec editio Cl. BATARRAE curis commiſſa eſt, qui totum muſeum in duas partes diuiſit, quarum prior, ea, quae in titulo indicantur, corpora naturalia continet, altera vero teſtacea complectitur. In praefatione huic parti praemiſſa Cl. BATARRA hiſtoriae naturalis vtilitatem demonſtrat atque contra methodorum copiam, diuerſitatemque nomenclaturae dicit, eamque reiicit, praeterea autem, quod vehementer miramur, matheſeos omnem vſum negat. Quum BONANNII liber iam cognitus ſit, nos de Cl. Editoris opera inprimis hic agamus.

Ordine magis ſyſtematico corpora naturalia recenſere promittit, atque in notis ſubiectis, nomina animalium deſcriptorum ex aliis linguis, et ab aliis Auctoribus, tum veteribus, tum nonnunquam recentioribus, LINNAEO etiam data, commemorat; ob-

obſeruationesque et eorum, et ſui ipſius de natura corporis deſcripti inſtitutas exponit, omninoque multa ad melius intelligendum BONANNII textum praeſtitit, erroresque eius ſaepe correxit.

p. 10. Primo *de Quadrupedibus.* Ad cornua *Caprae Rupicaprae* adnotat: Rupicapram habere os frontale valde depreſſum ſupra nares, fere vt *Delphinus*, et integumenta plicam quandam conſtituunt. Perperam autem quidam ſtatuerunt eſſe rimam interne in palato apertam: Cl. BATARRA enim contrarium in capite rupicaprae vidit, quod in Mu-
p. 16. ſeo Cl. PLANCI conſeruatur. Recte reprehenditur icon de cornu *Rhinocerotis* data: qua occaſione Cl. Editor bonam ſatis deſcriptionem huius bruti dat, atque notat, modum, quo ad cubandum corpus diſponebat: coepit namque totum corpus a cauda ad caput ancipiti vndulatione tarde vrgere, dein inflexis lente anterioribus cruribus, et hinc poſterioribus poſtquam ventre terram attigit, totum corpus depoſuit, et capite verſus alterum latus declinato pronum iacuit.

p. 22. *Hippopotami amphibii* LINN. noua datur icon, etſi non optima.

Quadrupeda ſequuntur *Reptilia* et *Inſecta*, pauca quidem et imperfecte deſcripta. De *Vipera*
p. 34. ſ. *Colubro Bero* LINN. agens commemorat FELICEM FONTANAM, qui de veneno Viperae egregie ſcripſerit. Putat FONTANA Viperae venenum nec acidum, neque alcali eſſe, neque in ſanguinem agere, ſed immediate in muſculos, iisque irritabilitatem auferre, et gangraenam in iis producere. Addit Cl. Editor capitis viperae iconem, ita, vt dentes veneniferi conſpici poſſint dentesque euulſos ſingulatim depingi curauit; ſed omnino male facta

eſt

eſt icon, praeſertim, quae coloribus fucata eſt. Crotali, quoad partes genitales anatome, ex *Actis Lipſ.* a. 1684 deſumta eſt, et crepitaculum deſcribitur: quod facta ad perpendiculum ſectione, ex variis pileis Phrygiis coaleſcere videtur, alio in aliud inſerto. Quilibet pileus ex tribus conſtat annulis et apice oſſeo. p. 36.

Affirmat Cl. Editor, quod alii multi negant, morſum *Lacertae vulgaris* eſſe noxium, et conuulſiones diras inducere. Obſeruauit Noſter in Agro Ariminenſi *Lacertae* ſpeciem, quae *Stellioni* multum ſimilis eſt, eo, quod totum dorſum ſuperius viride habet, in cuius medio a capite ad caudam linea protenditur, quae ex nigris trapeziis coaleſcit; cutis reliqua toto cinerea et maculis nigris adſperſa eſt: aliamque, cute cinerea nata, non viridi, maculis nigris adſperſam. p. 39.

Ex Inſectis quaedam, vt *Scorpio*, *Lucanus ceruus*, *Pediculus*, *Pulex*, *Cimex*, *Culex*, deſcribuntur; ac poſteriora, vti etiam ſquamae alarum de variis Papilionis ſpeciebus ſumtarum, microſcopio aucta depinguntur; ita tamen, vt icones ex aliis ſumtae ſint, et coloribus multum deformatae. Simili modo variae partes plantarum, ſpinae, aculei, textura foliorum, pappus florum, et ſimilia, microſcopio diſquiſita et depicta traduntur. Sic etiam ſanguinis atque vermiculi aceti et piperis examen, vti quoque de piſcium ſquamis quaedam traduntur. Squamae hic diſquiſitae ſunt, *Triglae Lucernae*, *Pleuronectis ſoleae*, et *Mulli* cuiusdam. Claſſe tertia foſſilia comprehenduntur, et quidem 1. metalla et ſemimetalla 2. Succi oleoſi tam liquidi, quam concreti. 3. Marmora, lapidesque ſilicei, Gemmae, et figurati. 4. Petrefacta. 5. Salia et 6. Terrae. Sed omnino fatendum eſt et BONAN-

NII

NII textum, et BATARRAE notas parum de vera foſſilium natura proponere, multa ſuperflua atque imperfectas deſcriptiones afferre. Caeterum ſaepe Cl. BATARRA alios ſcriptores nominat, etſi et hic optimos ſaepe omiſit, atque vana remedia recte reiicit.

p. 98. In Etruria TARGIONIVS cupri fodinas detexit; Eugubini quoque Aeris fodinas habent, quas neglectas, nuper STVPPANIVS proferre in apricum tentauit. Ad Ferrum Cl. BATARRA, quod mirandum eſt, perperam refert *Stalactitem calcareum*, ramoſum, vulgo *Flos ferri* dictum.

p. 123. In agro circa Bibiennam fodina Amianthi inventa eſt, qui valde albus et filamentoſus erat. Taurini ars amianthum nendi reſtituitur.

p. 138. Opercula cochlearum eſſe putat partem eiusdem organicam, quae ſimul cum teſta conſpicitur.

p. 153. In Claſſe quarta *Piſces et reliquae maris incolae* continentur, vt ſunt *Squali* quaedam ſpecies, ex *cetaceis* animal, *Capitolium* dictum, quod, etſi ab ARTEDIO ad *Delphinum* interrogatiue refertur, nobis tamen, cum dentes in maxilla inferiore tantum habeat, *Phyſeteris* ſpecies, et haud dubie *macrocephalus* eſſe videtur. Cl. BATARRAE huius ſubiicit dimenſionem, nouamque priori ſubſtituit
p. 162. iconem. — *Raiae* ſpecies tres in mari Hadriatico Editor affirmat, *Raiam fullonicam*, *laeuem*, *et oxyrynchiam*, quarum quasdam partes deſcribit. Miramur BATARRAM, cum ordinem muſei mutauerit, Aſtacos, Cancros, Aſterias, aliaque inſecta et vermes ſub vna claſſe cum piſcibus referre, a quibus tamen inſigniter differunt. Huc etiam relata ſunt Litho-
p. 169. phyta. Defendit Cl. BATARRA ſententiam de animalitate horum corporum, ſat bene: etſi multa plura et grauiora huius rei afferri potuiſſent argumenta.

Bonae

Bonae ſunt Cl. Editoris ad lithophyta obſeruationes, ſpecies curatius definientes.

Praeterimus Claſſem quintam, in qua apparatus rerum peregrinarum, ex variis orbis plagis collectus, fructus ſcilicet, plantae, aues et alia quaedam animalia comprehenduntur: cum vix, vel noui quidquam, vel ſatis vtilis reperiamus. Non poſſunt enim peregrinae res, in muſeis ſaepe mutilatae, bene deſcribi.

In Appendice reperitur.

1. Epiſtola Cl. IO. MAR. DE TVRRE ad Cl. BATARRAM, in qua putat, partes ſanguinis globoſas comprimi poſſe; ſtructuram pilorum eſſe intus compoſitam particulis irregularibus, et inciſuris, globuliſque diſtinctam; BONANNI diſquiſitiones microſcopicas eſſe ſaepe falſas; et venenum Tarantulae eiusque curationem muſicis ſonis eſſe dubiam, atque ſola vulgi opinione confirmatam. p. 234.

2. Epiſtola BATARRAE ad IOH. CHRISTOPH. AMADVTVM: vbi varia a ſe inuenta deſcribit corpora naturalia: primo *Vrticam*, quae *Patera Neptuni* illic dicitur; haec quatuor pollices diametro habet, albida, et pellucida eſt; palpitationem et motus vitales extra aquam marinam per diem oſtendit. Ex vna parte plana, ex altera varios in circumferentia bulbos habet. Pars media ſulcum prominentem habet; craſſities corporis lineam circiter aequat. Nobis ſtructura vix cum *Meduſa*; ſed magis cum *Actinia* conuenire videtur. p. 233.

2. Vuam marinam ſ. oua ſepiarum. 3. Marinum corpus, quod Marſupium appellatur. Putat hoc eſſe *Cancri* cuiusdam ouum ſeu vterum. In cauo marſupii aliud continetur corpus, in quo cancelli reperiuntur, quod ſpeciem Amnii eſſe ait.

 Si

Si exiguus cancer ad lupini fere magnitudinem pervenit, adſcendit, marſupium perforat et exit. Cancer eſt hirſutus, a RONDELETIO *vrſus* dictus. *Cancro Maena* LINN proximus. 4. *Experimenta circa Hirudines marinas*, quae in aliam aquam miſſae ſemper perierunt, neque corpori humano applicatae, ſugunt.

p. 236. 5. Obſeruata circa *Raias*, vbi KLEINII obſeruata Miſſ. Piſc. III. p. 41. corriguntur. Nempe omnes *Raiarum* mares pene duplici inſtruuntur. Deinde quilibet Raiae penis oſſiculis decem conſtat. Raia femina autem vnicum vterum habet, atque veſica vrinaria carere dicitur, oviductus autem et vreteres in vtero deſinere. 6. *Trachinum Draconem* deſcribit, eiusque iconem mediocrem dat. 7. Sub nomine piſciculi ignoti deſcri-
p. 238. bit laruam *Ranae* cuiusdam.. 8. *Tellinam Peloridem*, cum animale. Animal per duos corporis trientes caudis neglectis e teſta eminet. Duas cylindricas habet caudas, atque defendit Noſter eaſdem eſſe entrochi protypum. 9. Corpus marinum ſpongiae ſimile, tubuloſum, in quo *Oniſci cetis* latebras quaerunt. Nominat illud *Alcyonium caudatum*. 10. *Fucum globoſum*, *laciniatum*, *croceum*. 11. *Spongiam*, *ramoſam*, *flauo croceam*, non alibi deſcriptam. 12. *Porum Anguinum* IMPERAT. Atro rufi coloris, qui eſt *Cellepora Spongites* LINN. 13. *Porum facie Sabinae* IMPER., quem MARSIGLI. hiſt. de la Mer. Planch. XXXII. depinxit. 14. Animal, quod Manum marinam, quae eſt LINNAEI *Alcyonium exos*, MARSILIVS dixit; ſed ſi ex icone colligere licet magis videtur *Gorgoniae* ſpecies eſſe,
p. 243. et forte *Gorgonia ſetoſa* LINN. 14. Quaedam foſſilia, vt Numulariam, ſ. Cornu Ammonis paruum petrefactum, et concretiones Gypſeas, qua-

quarum vnam Tarſum, alteram Pilam Feretranam dicit.

3. HYACINTHI VOLII, Bonon. Med. Prof. de quadam Gypſi ſpecie. Lapidem diſquirit, qui a PASSERIO lignum foſſile habitus eſt, atque in Italia paſſim reperitur: experimenta chemica autem demonſtrarunt, eſſe eum Gypſum fibroſum.

Quodſi generatim noſtrum de hoc libro iudicium ferre licet, putamus eum temere nimis pretioſum affctum eſſe, neque tamen vel rerum deſcriptarum grauitate aut nouitate, neque bonis deſcriptionibus aut iconibus ſe commendare. BONANNII textus, eo, quo ſcripſit tempore, magis perfectus vix elaborari poterat, noſtris temporibus autem valde eſt mendoſus; atque etſi Cl. BATARRA multa emendauit, multaque addidit, nimis multa tamen ſunt ſuperflua, plerumque ex aliis ſcriptoribus ſumta, nouas ad naturam ipſam factas, curatas deſcriptiones ſane paucas reperimus. Omnino itaque de vſu, quem, vel periti naturae, quoniam pleraque cognita ſunt, vel tirones cum non perfectam rei cognitionem accipere poſſint, ex hoc libro capiant, dubitamus. Icones ſunt imperfectae, tum quoad ſculpturam, tum etiam colorum illuſtrationem: vix hariolari licet, quod corpus indicetur. Triplici forma prodiit hic liber folio minori, tabulis non coloratis atque coloratis, et charta regia tabulis coloratis.

XIX.

Recueil de cente trente trois oiſeaux des plus belles eſpeces, gravés ſur LXXXVI. planches, et colorés d'après nature par d' habiles maitres. à Rome. chez Houchard et Gravier libraires françois. MDCCLXXI. fol. reg.

i. e.

Collectio trigentarum et trium auium, tabulis aeneis octuaginta et ſeptem, vivis coloribus illuſtratis depictarum.

Iuuat indicare aues hic depictas, quae ſine vlla deſcriptione, absque nominibus Claſſici Auctoris, ſolo nomine triuiali, Gallico, Latino et Italico, tabulae ſingulae aeneae ſubſcripto, prodierunt.

Tab. I. *Falco fuluus* LINN.

II. Falco, *Aquila romana*, *colore caſtaneo* dictus: mas et femina, cera pedibusque luteis, femina fronte, genis, roſtrique mandibula ſuperiore coeruleis, collo ſubtus carneo, corpore fuſco; mas dilute caſtaneus.

III. *Falco Melanaetus.* LINN.

IV. Falco, *Aquila Etruſca* hic nominatus: roſtro, cera, pedibusque coeruleis, corpore nigro cineraſcente, fauce flaua.

V. *Falconis gentilis* LINN. varietas, *Aquila rapax*, *ſ. naeuia* dicta.

VI. *Falco leucocephalus* LINN.

VII. *Falco chryſaëtos* LINN. haud bene picta.

Tab. VIII.

Tab. VIII. *Falco fuluus, var β. canadenſis.* LINN.

IX. Aquilae Pullus, cuiusnam ſpeciei ſit, neque indicatur, neque coniicere licet.

X. *Falco Haliaetus* LINN.

XI. *Vultur Aquilinus* dictus, an *Harpyia* LINN. roſtro pedibusque ſanguineis, corpore nigro et ferrugineo.
*Emberiza Cyris* LINN. quae male picta ex EDWARDI opere huc ſumta eſſe videtur.

XII. *Vultur Percnopterus.* LINN.

XIII. *Vultur Monachus* LINN. ? occipite prominente, collo albo corpore bruno: dicitur hic *Vultur leporarius.*

XIV. *Vultur Braſilienſis* RAII, *qui eſt V. Aura* LINN. Sed cum deſcriptione LINNAEI non conuenit: coeruleus eſt, remigibus rectricibusque ſubnigris, tectricibus alarum brunis depingitur.

XV. *Vultur Papa* LINN.

XVI. *Vultur barbatus* LINN.

XVII. *Vultur aquilinus* cinereus; remigibus extimis nigris, capite flauo, pedibus carneis.

XVIII. *Falco vulgo in Etruria Miſano.* an *F. ſubbuteo* LINN.

XIX. *Falco Aquilinus* fuſcus, an *Falco Gyrfalco* LINN. at pedes, non lutei, ſed cinerei.

XX. Eadem ſpecies, pedibus humerisque ſanguineis.

Tab. XXI. *Falco barbarus.* LINN. mas, vt videtur: brunus, rectricibus, caudaque coeruleſcente abdomine albo, fuſco maculato.

XXII. *Falco Pygargus* LINN. femina.

XXIII. *Falconis Halyaeti* LINN. varietas.

XXIV. *Falco cyaneus* LINN. femina.

XXV. *Falco Buteo* LINN. mas.

XXVI. *Vultur Albiulla* LINN. male picta.

XXVII. *Falco boeticus*, roſtro aquilino, an *Vultur barbatus*, iunior, LINN.

XXVIII. *Falco tinnunculus* LINN.

XXIX. *Falco gentilis* LINN.

XXX. *Falco barbarus.* LINN. femina.

XXXI. Varietas praecedentis pennis mutatis.

XXXII. et XXXIII. *Falco Palumbarius* LINN.

XXXIV. *Falco lanarius.* LINN. pedes vero ſunt flaueſcentes, collum abdomenque rufum maculis brunis.

XXXV. *Falco Gyrfalco* LINN. ex Muſcouia.

XXXVI. *Strix ſtridula* LINN. et *Accipitrina* PALL *).

XXXVII. 1. *Falco*, *Albanella rufeſcens* dictus: corpore rufo bruno, roſtro pedibusque ſubnigris, cauda ſubtus alba.
2. *Falco* in Etruria vulgo *Barletta*; niger, pectore, remigibus primoribus in baſi albis, criſſo et femoribus plumoſis rubris, orbita lutea.

XXXVIII.

*) vid comm. noſt. Vol. XXI. p. 310. cf. et D'AVBENTON t. 463. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 16.

Tab. XXXVIII. *Falco coerulefcens* LINN. ex EDWARDO videtur eſſe deſumtus. et *Falco murorum*, qui etiam eſt *F. tinnunculus* LINN.

XXXIX. *Falco*, *Albanella torquata* dictus; nigro brunus: tectricibus alarum caudaque albo coeruleis, capite dilute bruno, roſtro coeruleo, pedibus flauis.

XL. *Falko Gyrfalco*, LINN. aetate caneſcens. *Falco tinnunculus* LINN. varietas, capite remigibus caudaque coeruleis.

XLI. Eiusdem varietas, remigibus nigris, cauda faſciata.

XLII. 1. *Falco*, vulgo *Barletta*, ſuperius fuſcus, ſubtus rufeſcens, tectricibus alarum, et rectricibus mediis coeruleis, exterioribus et remigibus ſubnigris:

2. *Falco* cinereo coeruleſcens, criſſo flauo, cera, pedibus orbitaque rubris.

XLIII. *Falco diuerſicolor*, coeruleo, rubro, flauoque varius 2. *Falco paruerius*: LINN.

XLIV. 1. *Falco Niſus*. LINN. Emerillon 2. *Falco Palumbarius*. LINN. Vtriusque huius *Falconis* varietas tabula XLV. ſiſtitur.

XLVI. *Falco Niſus*, LINN. femina. 2. *Falco ſacer*, cera pedibusque luteis, corpore rufo, coeruleo cinereoque vario, roſtro coeruleo.

XLVII. 1. *Cuculus mindanenſis et* 2. *coeruleus* LINN.

XLVIII. *Cuculus ſinenſis et* 2. *paradiſeus* LINN.

Tab. XLIX. 1. *Cuculus criſtatus*. 2. *niger*. LINN. male tamen coeruleus pingitur.

L. *Cuculus glandarius*. LINN.

LI. *Cuculus canorus* LINN. 2. *C.* niger et albo mixtus, criſtatus: ſupra niger, ſubtus albus, collo ſubtus flauo, remigibus primoribus rubris, rectricibus duabus extimis albis, cauda rotundata.

LII. 1. *Cuculus coromandus*. LINN. 2. *C. aeruginoſus*, ſupra rufus, ſubtus albus, tranſverſis maculis fuſcis.

LIII. *Cuculus Iamaicenſis* longiroſter: capite viridi, corpore ſupra bruno, ſubtus albo coeruleſcente, cauda cuneata, rectricibus ſubtus nigris apice albis: roſtrum male ſculptum, roſtro anſerino ſimilius, quam *Cuculi* eſt.

LIV. *Cuculus variegatus*. 2. *C. Perſa* LINN.

LV. *Caprimulgus Europaeus*, cum var. β. LINN.

LVI. *Strix Aſio*. LINN.

LVII. *Strix Nyctea*. 2. *Scops* LINN.

LVIII. *Strix funerea* LINN.

LIX. *Strix Otus* LINN.

LX. et LXII. *Strix Bubo*. LINN.

LXI. *Strix Aluco*. LINN.

LXIII. *Strix flammea* LINN. *et Nyctea*.

LXIV. 1. *Strix hudſonica*, alba rufo varia. 2. *Strix rufa;* inauriculatae ambae.

Tab. LXV. *Strix vlula.* 2. *Strix alba;* forte prioris varietas.

LXVI. 1. *Strix flaua* dicta; ſed eſt bruna, ſubtus albo viridique varia. 2. *Strix cinerea*: ambae inauriculatae, pedibus nudis pictae.

LXVII. *Pſittacus Macao.* LINN.

LXVIII. 1. *P. erithacus.* 2. *aeſtiuus* LINN. *var.*

LXIX. *P. ſerenus.*

LXX. *P. amazonicus.* LINN.

LXXI. *P. amboinenſis.* 2. *garrulus.* LINN.

LXXII. *P. accipitrinus.* 2. *garrulus. var.* β.

LXXIII. *P. leucocephalus.* 2. *aeſtiuus* LINN.

LXXIV. *P. lory.* 2. *aeſtiuus* LINN. varietas.

LXXV. *P. braſilienſis.* 2. *criſtatus* LINN.

LXXVI. *P. domicella.* 2. *autumnalis* LINN.

LXXVII. *P. Ararauna.* LINN.

LXXVIII. et LXXIX. *P. criſtati* LINN. varietates.

LXXX. 1. *Lanius canadenſis.* 2. *manillenſis*, niger abdomine dilute coeruleo, axillis, vropygio, et roſtri baſi albis. 3. *L. Senegalus.* 4. *L. Barbarus.*

LXXXI. *Lanius collurio* LINN. 2. *L. madagaſcarienſis*, *ſupra coeruleus ſubtus albus.* 3. *L. curuiroſtris.* LINN.

LXXXIII. *Lanius coeruleſcens.* 2. *L. criſtatus.* 3. *L. cayanus.* 4. L. totus ſanguineus, roſtro pedibusque flauis; Surinamenſis.

Tab. LXXXIV. 1. *Lanius minor*, rufo cinereus. *Friſch.* au. t. 61. 2. *L. rufus.* LINN. 3. L. madagaſcarienſis, maior, viridis, ſubtus albus BRISS. II. t. 19. f. 2. D'AVB. t. 374.

LXXXV. 1. *Lanius Excubitor.* 2. eius varietas. 3. *minimus*, paſſeri ſimilis, fuſcus, pedibus roſtroque ſubnigris.

LXXXVI. *Paradiſeae.* 1. *apoda*, eiusque varietates 2. *regia.* ex EDWARDO ſumta.

Quodſi iudicium noſtrum de iconibus requiritur, non poſſumus, quin ingenue fateamur, eas eſſe omnino rudes, atque potiſſimum offendere artem ſculptoriam, quae noſtris temporibus multo magis profecit: Accedit et hoc, quod colores craſſo nimis et rudi penicillo illiti ſint; vt adeo ei rei, quae in titulo indicatur, eſſe nempe has icones a ſummis artificibus factas, non conuenire poſſimus. Caeterum ſaepe etiam ſitus multarum avium nimis eſt diſtorſus, flexus, et incongruus. Interim tamen ex his rudiuſculis iconibus licet auis ipſius, quae depingitur, ſi eam iam cognoueris, aliquam ſimilitudinem reperiri. Et ſi primae eſſent de auibus icones, laudem et plauſum mererentur: cum vero iam plures iconographi, EDWARDVS, FRISCHIVS, BVFFONVS, et cuius icones nuper indicauimus, *) D'AVBENTONVS adſint, non videtur multum vtilitatis, ex hoc ſatis pretioſo libro redundare: cum praeterea nulla adſit auis deſcriptio, vel aliae de hiſtoria auium obſeruationes. Sane haud multum emolumenti in ſcientiam naturalem, ex his libris ſperandum eſt: cum augeantur temere ſumtus impendendi, et iconibus malis, ſaepe tirones et alii in errores ducantur.

XX.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 11.

## XX.

Marmora et adfines aliquot lapides coloribus ſuis exprimi curauit et edidit *Adamus Ludovicus Wirſing*, Chalcographus Norimbergenſis. Noribergae. 1775. fol. 6. plagg. Tab. aen. 13.

Depictae ſunt ſeptuaginta et octo marmoreae tabellae, in forma quadrata ſciſſae, quae varietates colorum ſatis inſignes marmoris, ex diuerſis regionibus Germaniae ſumti, repraeſentant. Addita eſt breuiſſima quoad colores deſcriptio Germanica et Latina, in qua locus natalis indicatur, tum etiam magnitudo fragmentorum marmoris, in quae vnaquaeque varietas ſecedere ſolet.

Tabulae ipſae multa arte pictae ſunt: interim tamen multum abſunt icones a nitore naturali marmoris ipſius; cum maculae venaeque diuerſi coloris male expreſſae ſint, praeſertim albae. In vniuerſum etiam hanc rationem, marmora illuſtrandi, phyſico mineralogo plane inutilem iudicamus, cum, vti ſatis conſtat, colorum varietas in marmore innumera ſit, neque ex ea ſola, ſed ex duritie et ſubtilitate particularum marmorum diuerſitas aeſtimetur.

---

XXI.

## XXI.

IOHANN IACOB FERBERS *Beſchreibung des Queckſilber Bergwerks zu Idria in Mittel Cräyn. Berlin.* 1774. *Bey Chriſtian Friedrich Himburg.* 8. 5. *Bog.* 3. *Kupf.*

i. e.

Deſcriptio fodinae hydrargyri, quae Idriae in Carniolia inferiori reperitur; Auctore IOANNE IACOBO FERBERO.

Exactiſſimam atque omnibus mineralogis certe acceptiſſimam Cl Auctor hoc libello dat deſcriptionem fodinae Hydrargyri Idrienſis, ita quidem, vt hiſtoriam naturalem eiusdem, ipſam fodinae culturam, et numerum operarum, eorumque diſtributionem et ſtipendia iis data, machinarum hydraulicarum illic adhibitarum, tum etiam contuſionis, triturationis, et loturae, docimaſiae et vſtionis ſ. ſublimationis minerarum rationem exponat: deinde ſyluarum naturam, eaque, quae ad politiam monticolarum ſpectant, expenſas nempe et reditus, et magiſtratus indicet: denique quaedam hiſtorica de hac fodina referat.

p. 1. *Idria* poſita eſt in altitudine polari 45 ½ graduum, in valle, quae vndique montibus calcariis, qui eiuſdem cum alpibus ſummis Carniolicis ſunt indolis, cincta eſt. In valle ipſa ab occidente verſus orientem aqua nonnullorum fontium et pluuialis fluit; fluuius *Idria* ſ. *Idriza* autem ab oriente verſus occidentem ruit.

Mons, qui a mineris nomen habet, (*der Erzberg*) ab horizonte vallis, quinquaginta perticas Idrienſes eleuatur, humo fertili tegitur, ſub quo argilla calce mixta ſ. marga reperitur: His ſuppoſitus lapis

pis calcareus, qui vel albeſcentis, vel flaueſcentis, vel nigreſcentis eſt coloris, atque lapidem montis conſtituit: incumbitque hic vti alibi *) ſchiſto argillaceo, in quo, tamquam lata vena, calcareum perforante, minerae omnes mercuriales reperiuntur, qui itaque lapidem venae hic conſtituit, et probabiliter cum lapide argillaceo, qui in alpibus Carnioliae, calcareo lapidi ſubiacet, in altitudine nondum detecta cohaeret.

Huius venae ſchiſtoſo - argillaceae iacens et pendens eſt lapis calcareus, extenſio eiuſdem eſt a meridie verſus ſeptentrionem: quoad deſcenſum eſt vena *erecta* maxime, quamuis in ſuperioribus *pendens*, et in inferioribus locis *improba* ſit. Craſſitie variat, interdum vnam, in pluribus autem locis decem, imo viginti quatuor perticas aequat. In venae craſſiore loco interdum cunei ſpati calcarei, vel compacti argillacei lapidis intruſi ſunt, quae venam in plures minores diuidunt. p. 6.

Schiſtus argillaceus venae eſt mollior, atque bituminoſus, ſaepe pice montana, inſtar lithanthracis miſtus, ita vt ad flammam ardeat. Schiſtus hic ad lapides primaeuos, et qui lapide calcareo prius adfuerunt referendus eſt, atque prius iam Hydrargyro videtur penetratus eſſe, quam lapide calcareo tegeretur. Partes calcareae, ſchiſto immixtae, tum etiam cunei calcarei ſpatoſi in rimis reperiundi inundationibus originem ſuam debent. Atque forte mutatio hydrargyri in cinnabarem **), poſtea, calcarei particulis adlatis, facta eſt.

Hy-

*) cf. Cl. Auctoris litteras, quas indicauimus in comm. noſtr. Vol. XX. p. 244. vti quoque Cl. de BORN literas. vid. comm. noſtr. ibid. p. 506.

**) cf. Cl. WIGLEBII chemica ſcripta, qui Cinnabaris parationem humida via docuit.

p. 10. Hydrargyrum et Cinnabaris in vena Idrienſi, vel omnem lapidem venae ſchiſtoſum penetrarunt, et quaſi in mineram mutarunt; vel in fiſſuris, et glandulis compacta reperiuntur. Quo magis niger, et mollis eſt ſchiſtus, eo magis etiam hydrargyro abundat. Minerae ditiores plerumque ſunt margaceae, quae ſi non maiori pyritae copia praeditae ſunt, quam ad mineraliſationem hydrargyri opus erat, polituram aſſumunt, et in centenario, ad 80 libras hydrargyri continent. In ſchiſto compacto et ſicco hydrargyrum natiuum reperitur. In fiſſuris et rimis calcarei lapidis interdum cinnabaris teſſularis et cubicus, cryſtalliſatus adhaeret. Optaremus, vt Cl. Auctor curatius has cryſtallos deſcripſiſſet.

Tota Idrienſis fodina ambitum complectitur, quoad longitudinem venae extenſae 350 perticarum, quoad latitudinem 130 perticarum: altitudo maxima verticalis eſt III. perticarum.

Quotannis exinde 3000 centenarii hydrargyri obtinentur.

His praemiſſis Cl. Auctor breuiter mineras et lapides hic reperiunda recenſet, cum iam a Cl. SCOPOLI*) indicata ſint, varia tamen addit, vt Gypſum cryſtalliſatum, forma vitrioli martialis cryſtallis ſimile. Minerae mercurii hic dicuntur rubra, (*Rotherz*) hepatica, (*Lebererz*) bituminoſa, (*Branderz*) coralliformis; (*Korallerz*) atque fibroſa (*Schnürelerz*): eas vero nihil eſſe niſi, ſchiſtum vario modo ab hydragyro penetratum, ſupra iam diximus.

Ad

*) Vid EI. tentam. de hydrargyro Idrienſi. Venet. 1761. 8. et *Einleitung zur Kentniß der Foſſilien.*

Ad aëris circulationem promouendam nullis opus eſt machinis, cum ea per ſe ſuſtineatur: in quibusdam tamen locis, praeſertim vbi hydrargyrum natiuum in molli ſchiſto reperitur, vapores noxii ſulphurei ſunt, atque operarii illic vix per duas ſeptimanas commorari poſſunt, alias ſaliuatione atque artuum tremore affliguntur. Aquae vero machinis, aquis iterum agitatis, extrahuntur. p. 35.

Lotio minerarum hic duplex eſt: altera, quae ſolum lotio his in locis dicitur, fit cribris ſeptem vel pluribus ſibi impoſitis, ita vt ſubtiliora infimum occupent locum: ita maiora et ditiora fruſta a minoribus et pauperioribus ſeparantur: altera eſt ea, quae vbique fieri ſolet, atque hic elutriatio dicitur *). p. 38.

Separatio hydrargyri a terris et ſulphure fit ſublimatione, atque quidem modus eam inſtituendi conuenit quoad eſſentialia cum ea, quam Cl. IVSSIEV in *Actis Pariſinis* **) deſcripſit, in multis tamen magis eſt correcta: correctio praecipue in eo conſiſtit: camera ad fumum recipiendum exſtructa, diſſepimentis in plura ſpatia diuidatur; quo fit, vt hydrargyri vapor prius refrigeretur et condenſetur, quam in aërem liberum expandatur, atque ſic nihil mercurii perdatur. Caeterum Cl. Auctor omnem ſublimationis methodum vberius et curate deſcribit, fornacesque tabulis aeneis delineatas tradit; recte autem reprehendit ſtudium hanc artem hic tacendi atque tamquam arcanam tractandi, quod vti generatim a doctis et rerum peritis abeſſe debet, ita hic ignorantiae in chemicis doctrinis manifeſtum eſt ſignum. Nam oſtendit p. 42.

Cl.

*) vid. WALLER. metallurg. p. 200. vid etiam SCOPOLI princip. mineral. p. 151.

**) vid. Mem. de l' Arat. de Paris. ann. 1719. p. 461. ſqq. cf. SCOPOLI. l. c. p. 154.

Auctor multis modis hic errores committi; ipſa elutriatione multum cinnabaris perdi; ſic per iuncturas aludulorum magnam hydrargyri copiam vaporum forma diffundi: mineras poſt aliquot horas in fornace ipſas aduri ſicque compingi, et exitum impedire, id quod facile agitatione minerarum prohiberetur; cameram vaporariam nimis eſſe a fornace propinquam, neque vllum fere eſſe, aerem in hac refrigerandi adhibitum remedium, quod tamen aqua machinisque aereis fieri poſſet: atque maxime vtile eſſe futurum, ſi lapis calcareus, tanquam fuſionis adiuuans, mineris immiſceretur, quod hic negligitur.

Nos digniſſima tantum indicauimus, plura omittere cogimur, quae potiſſimum politiam fodinarum ſpectant; certe autem ſperare licet, librum hunc lectu digniſſimum ab iis, quorum intereſt, ipſum diligenter lectum iri: Cl. Auctori autem cum omnibus veris naturae ſtudioſis pro tam vtili et egregia fodinae Idrienſis deſcriptione gratias libenter agimus.

## XXII.

IOHANN HÜBNERS *curiöſes und reales Natur- Kunſt- Berg- Gewerk- und Handlungs Lexicon, darinne nicht nur die in der Phyſik, Medicin, Botanic, Chymie, Anatomie, Chirurgie und Apothekerkunſt, wie auch in der Mathematick, Aſtronomie, Muſick, Mechanick, bürgerlichen und Kriegs- Baukunſt, Artillerie, Schiffarthen etc. ferner bey den ritterlichen Exercitien; bey Bergwerken, Jägerey, Forſtweſen, Fiſcherey, Gärtnerey; wie auch in der Kaufmannſchaft, bey Buch-*

*halten und in Wechſelſachen, bey Künſtlern und Handwerkern gebräuchlichen Kunſtwörter beſchrieben werden: Sondern auch alle im Handel, und Wandel, ingleichen im Jure und vor Gerichte vorfallende Wörter, deutlich erkläret ſind: Welches als der zweete Theil des realen Staats-Conuerſations und Zeitungs-Lexici mit großem Nutzen zu gebrauchen. Ehemahls herausgegeben von D.* GEORG HEINRICH ZINKEN, *ietzt aber aufs neue durchgehends verbeſſert und umgearbeitet. Mit römiſch. Kaiſerl. und churſürſtl. ſächſiſchen allergnädigſten Privilegiis. Leipzig. In Iohann Friedrich Gleditſchens Handlung.* 1776. 8. *mai. Seiten* 2538.

i. e.

IOANNIS HÜBNERI curioſum et reale naturae, artium, metallorum, fodinarum et commercii Lexicon cet.

Etiamſi completas et perfectas rerum propoſitarum deſcriptiones hic liber non complectitur; tamen eum vtilitate non plane deſtitutum eſſe manifeſto apparet ex variis eius editionibus, quae ſubinde prodierunt.

Contenta in hoc libro partim ex inſcriptione libri ipſius poſſunt intelligi, partim ex praefatione b. HÜBNERI cognoſci. B. ZINKIVS quidem iam multas res in eo correxit et accuratius definiuit; attamen cum res ſpectantes hiſtoriam naturalem, quae hodie inprimis diligentiſſime colitur, multis erroribus ſcatebant, eae potiſſimum in hac ipſa noua editione, quam hic indicamus, curatius ſunt propoſitae et prorſus aliter interdum elaboratae.

 Linn-

Linnaeana nomina in animali et vegetabili regno vbique adhibita ſunt: ita enim confuſio et repetitio multorum vnam eandem rem indicantium nominum diuerſis in locis eſt euitata et ſpatium aliis nouis articulis eſt impletum. Plantae non ſolum officinales, ſed et oeconomicae, hortenſes et exoticae hic inueniuntur, atque inprimis quidem arbores ex America Septentrionali, quae plantationibus ſtruendis ſeruiunt.

Regnum minerale ſpectantes res ſecundum WALLERIVM deſcriptae et chemice emendatae ſunt. Quae pertinent ad anatomiam et chirurgiam res, breuius et hoc recte quidem ſunt indicatae, quoniam medici et chirurgi alios ſciunt fontes.

Ex articulis aſtronominicis id, quod ſuperſtitionem ſapit, de influxu ſcilicet ſtellarum in corpora et terreſtrem globum cet., omiſſum eſt. Ex his ergo, quae in praefatione ad nouam hanc editionem leguntur, patet multas res, vt ſermonem in hoc lexico ipſum, emendatas eſſe et mutatas ita, vt ſubinde illud magis magisque correctius et emendatius euaſurum eſſe ſperare liceat.

## XXIII.

FRID. BERN. ALBINI de natura hominis libellus. Lugd. Batauorum, apud Petrum Delfos Iun. MDCCLXXV. 8. mai. plagg. 14½ c. praefatione.

Accedit huic libro ſuppellex anatomica. Pars prior rerum anatomicarum, quae phialis continentur in liquore limpido; pars altera rerum anatomicarum, quae ſiccatae conſeruantur. Haec igitur praeparata anatomica, quorum nonnullorum iam BERNHARDVS SIEGFRIED ALBINVS in academicis an-

annotationibus ſuis aliisque ab EODEM ſcriptis libris mentionem fecit, tredecim plagulis accurate hic deſcribuntur. Atque ipſa haec ſuppellex anatomica licet ſat magna, tamen in titulo libri ipſius, de quo nunc videbimus, non eſt indicata, et quoniam nouus numerus paginarum eſt inceptus, plagulas tredecim ſuppellectilis, cum plagulis quatuordecim et dimidia ipſius libri in inſcriptione libri non ſimul ſupra indicauimus.

Neglectis coniecturis ex ſectis artificioſe cadaveribus, ex oeconomiae humanae tum integritate, tum ab aegritudine, recreatione attento perſpectis animo, hominem deſcribit totum Cl. ALBINVS, nec nouam vult, vti in praefatione Ipſe profitetur, proferre doctrinam. Cum quaſi eorum ſit compendium, quae frater Noſtri, in anatome olim et chirurgia, dein et in phyſiologia ductor ac praeceſſor docuit in ſcholis: quin etiam complectatur cogitata, familiares inter ſermones ab eo accepta, aliaque, aut in manuſcriptis obuia, aut impreſſis in operibus definita. Haec omnia in praefatione ipſa inueniuntur.

Conciſo dicendi genere has inſtitutiones Noſter conſcripſit, ideoque breuitati ſtuduit. Ordo huius rei tractandae, quem ſequutus eſt Cl. Auctor, placebit. Nomina vero interdum occurrunt, quae nouitatem produnt, vti ſunt *nutricatio*, *burſula*, *virginal*, *cadurdae*, *receptaculum venoſum dextrum*, *ſpiritualis fiſtula*, quae excipit pulmones.

Praeterea et index locuples rerum in hoc libro contentarum eſt a Noſtro additus duplex, quorum vnus res de natura hominis indicat, alter ſuppellectilem anatomicam recenſet.

Haec, quae ſequuntur exempli loco addimus.

p. 3. *Principia hominis.* Sunt in homine corpus; vis actuoſa; mens.

p. 5. Siue *actuoſa vis*, ſiue impetum faciens, ſiue ſenſilitas, ſiue irritabilitas, ſiue vitalis dicta, natura ſua non cognoſcitur.

*Coniunctio corporis, vis actuoſae, mentis.*

p. 7. Conſpirant corpus, vis actuoſa et mens.

Phaenomena vnionem docent, cuius modus ignoratur.

p. 8. *Poteſtas agendi principiorum hominis in ſe inuicem.*

Actuoſa vis multis modis corpus afficit; ab eoque afficitur.

Vix veroſimile coniunctas inter ſe vim actuoſam et mentem vnam conficere naturam, quae pro conditione partium corporis, quibus ineſt, alia efficit, aliaque; atque alio alioque modo ab iis afficitur.

Determinare vetat ignota vtriusque natura.

Dubium faciunt proprietates vis actuoſae in brutis ſimiles ac in homine, illaeque mentis in homine ſolo perfectae; imperfectae, ſi vllae in brutis.

p. 11. *Oeconomia hominis.* Corpus viuum agit, multisque defungitur.

Eſt *functio* agendi poteſtas, quae efficere apta, quamuis non efficiat.

*Actio* re ipſa efficit.

*Functio* eſt *vitalis*, *naturalis*, *animalis*, *genitalis*.

## XXIV.

## Noua phyſica medica.

Academia Regia chirurgica *Pariſienſis* ſequentem cum viris eruditis communicauit quaeſtionem: *Exponere regulas diaeteticas reſpectu inprimis alimentorum in curatione morborum chirurgicorum.*

( *Expoſer les regles diététiques relatives aux alimens dans la cure des maladies chirurgicales* ).

Praemium erit nummus aureus quingentarum librarum Gallicarum pondere. Tractatus ſunt ſcribendi vel Gallica vel Latina lingua et Cl. LOVIS, qui ab epiſtolis perpetuo eſt Academiae, ſolutis vectigalium pecuniis, ante finem anni 1776. tradendi.

Inter ea problemata a Societate Regia ſcientiarum *Hafnienſi* propoſita, indicamus hoc, quod claſſem eiuſdem phyſicam attinet et ita ſeſe habet: *explicare geneſin acidi nitroſi exquiſitis experimentis.*

Qui hancce rem optime expoſuerit, nummum aureum centum thaleros Danicos aequantem praemii loco accipiet. Elaborationes ipſae Gallica, Latina, Germanica vel Danica lingua ſcriptae mittantur ante Maii 1777 finem Ill. DE HIELMSTIERNA.

Regia *Gottingenſis* ſcientiarum ſocietas repetit quaeſtiones, quae et a nobis partim ſunt memoratae.

Ad Nouembrem anni 1776.

*Quaenam vegetabilia in Hannouerano territorio ſine cultura creſcant cet* *).

Ad Iulium anni 1777.

Haec quaeſtio attinet *vſum vitrioli albi oeconomicum* **).



*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 552.

**) v. ib. Vol. XXI. p. 168.

Ad Nouembrem anni 1777.

Quaerit ſocietas: *num coryza equorum ſit contagioſa?* *)

Ad Iulium anni 1778.

*Solida inſtructio pro ruſtico, qua tempeſtatum viciſſitudinum, quoad rura, per omnia anni tempora habere poſſit rationem.*

Commentaria ante Maium et Septembrem ſemper ſunt tradenda. Praemii valorem et alias cautiones mittendorum commentariorum ex locis hic laudatis intelligere poſſunt Lectores.

Societas oeconomica *Petropolitana* hanc theſin propoſuit:

*Dare et deſcribere modum, facile, nec adeo ſumtuoſe ſalis culinaris praeparandi, idque ex diuerſis ſalſis lacubus, quos Academici in itineribus ſuis ultimis per Ruſſiam detexerunt, ipſum ſeparandi ſolo adiuuante calore ſolis, quod ita purificetur et a ſale amaro et ab imperfecto culinari, quae fere ſemper mixta inter ſe inueniuntur, vt vſurpari poſſit ad omnia alimenta ſale condienda.*

(*Donner et decrire vn moyen aiſé et peu couteux de preparer le ſel de cuiſine, qu'on peut tirer des diuers lacs ſalés, que les Academiciens ont decouverts en Ruſſie, dans leurs derniers voyages, de façon que ce ſel ſe depoſe de lu même, et par la ſeule chaleur du ſoleil, qu'il ſoit purifié tant du ſel amer, que du ſel de cuiſine imparfait qui ſ'y trouve ordinairement mélé, et qu'on puiſſe l'employer pour ſaler les alimens quelconques*).

Qui hoc problema definiuerit, accipiet monetam viginti et quinque numos aureos Hollandicos aequantem, ſi quidem ante Octobrem 1776. acceperit Societas. Conſcribantur tractatus Ruſſica, Ger-

*) v. comm. n. Vol. XXI. p. 344. ſeqq.

Germanica vel Gallica lingua et inſcribanrur: *à la Societé économique libre de St. Peterſbourg.*

Excellentiſſimus CHRISTIANVS GODOFREDVS GRVNER Profeſſor medicinae in Academia, quae *Ienae* floret, celeberrimus, die 6. Februarii 1776. inter ſodales Academiae Naturae curioſorum eſt receptus, atque etiam nuper Conſiliarii Aulici munere a Sereniſſimo Duce Saxo-Vimarienſi ornatus eſt.

Experientiſſimus CONSPRVCH in Academia militari *Stuttgardina* Profeſſor medicinae ordinarius creatus, nec non Cl. MORSTATT *ibidem* deſignatus eſt Profeſtor.

Cl. I. W. GVLDBRANDT medicinae Doctor Hafnienſis Conſiliarii Aulici honore eſt condecoratus.

Maxima cum voluptate relatum legimus Cl. IGNATIVM DE BORN *) muſeum quod Vindobonae ſeruatur, deſcripturum eſſe. Quotannis volumen eius deſcriptionis pollicetur.

Cl. CHRISTOPHORVS GOTTLIEB BÜTTNER medicinae doctor et anatomiae profeſſor publicus ordinarius, tunc temporis Rector Academiae Regiomontanae die 10. Aprilis 1776. anno aetatis ſexageſimo octauo eſt mortuus.

Cl. IOANNES PIPER Archiater Regius et Conſiliarius Aulicus**) *Hafniae* aetatis anno ſeptuageſimo tertio diem ſupremum obiit.



*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 170.

**) v. comm. noſtr. Vol. II. p. 543.

Cl. CAROLVS PHILIPPVS BRANDES Medicinae Doctor, chemiae profeſſor cet. *) anno aetatis quinquageſimo ſexto *Berolini* vitam cum morte commutauit.

Experientiſſimus I. F. LENTNER Phyſicus Brigenſis die 21. Maii 1776. deſiit viuere.

Experientiſſimus SEIP, qui *Hamburgi* cum nominis celebritate medicinam fecit, ſumma ſenectute preſſus ad finem praeteriti 1775 anni ibidem ex hac vita diſceſſit.

Quae beatus Illuſtris LIEBERKÜHN olim induſtria laborum ſibi comparauerat praeparata anatomica, hucuſque apud haeredes viri celeberrimi optime conſeruata, venalia nunc offeruntur, vna cum iconibus quarundam praeparationum ſub auſpiciis Illuſtris Poſſeſſoris a peritiſſimo pictore *Balbe* ad viuum dexterrime delineatis. Collectio praeparatorum vt plurimum ſelectiſſimorum, ſtructuram membranarum, glandularum, vaſorum et viſcerum praecipue illuſtrantium, partim artificioſiſſimis iniectionibus coloratorum, continetur duobus thecis nitide exſtructis et ornatis.

No. 1. In prima cyſtide continentur CXIV. praeparata. Quodlibet eorum capſulae ſingulari ex aurichalco confectae incluſum eſt, in cuius fundo, nigro colore obducto, praeparatum repoſitum ope vitri politiſſimi a latere oppoſito affixi optime ſeſe conſpiciendum dat. Omnes capſulae numerum indici reſpondentem inciſum habent, et microſcopio tam ſimplici, quam compoſito immitti poſſunt, quod ex argento totum confectum tam artificioſe con-

*) v. ibid. Vol. III. p. 351. Vol. IV. p. 725.

conſtructum eſt, vt non ſolum vſui anatomico, ſed omnibus, vbi microſcopio opus eſt, ſeruire poſſit. Lentes multaque ad apparatum microſcopicum pertinentia, omnia ex argento confecta, in patinis aureis repoſita inueniuntur.

N. 2. In altera cyſtide XLVIII. praeparata repoſita iacent tabulis vitreis planis laeuigatis, hermetice ſigillatis incluſa. Vnumquodque ex his praeparatis ſingulari machinae microſcopicae ex aurichalco confectae et neceſſario apparatu inſtructae adaptatum eſt.

N. 3. Icones XIX. et duae tabulae aeneae.

Beati LIEBERKÜHNII *vidua* *Berolini* degens, *primam* offert thecam pretio *centum et ſexaginta* nummorum aureorum Fridericianorum: ſecundam pretio *octoginta* eorum nummorum aureorum, ſic vti *icones* pretio *quadraginta* nummorum aureorum venales ſunt.

In theatro anatomico *Gothano* Cl. SVLZER per hyemem 1776. cadauer equinum, praeſentibus multis artis veterinariae amicis diſſecuit, vt chirurgi atque medici veterinarii iuniores diſcerent internarum partium ſtatum.

## XXV.

## Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1771. prodierunt.

Giornale d' Italia ſpettante alla ſcienza naturale e principalmente all' agricoltura, alle arti, ed al commercio. Tomo ſettimo in Venezia 4. c. f. (*Plurimae, quae in hoc opere continuato inueniuntur res, ſpectant oeconomiam, artes, commerciaque, pauca ad hiſtoriam naturalem pertinent.*

 *Ela-*

*Elaborationum nimirum nouarum, quae potiſſimum laudantur, recenſionum ex vtilibus Italicis libris et breuium relationum de libris exteris viciſſitudo in eo opere occurrit. In hoc ſeptimo, quem hic indicamus, tomo de turfa, de morbis mororum albarum et index botanicus plantarum pabularium continetur.*

Noui commentarii Academiae Petropolitanae Tom. XVI. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 13.

*Auserleſene mediciniſche, anatomiſche und botaniſche Abhandlungen der Römiſch Kaiſerlichen Academie der Naturforſcher 10ter Theil Nürnb. 4. m. K. (Eſt Continuatio epitomes Actorum Academiae Naturae curioſorum.)*

*Wittenbergiſches Wochenblatt ſ.* TITIVS.

*Der Eklektiker eine mediciniſche Wochenſchrifft 1ſtes Vierteliahr Hamb. und Bremen 8.*

*Stralſundiſches Magazin oder Sammlungen auserleſener Neuigkeiten zur Aufnahme der Naturlehre, Arzneywiſſenſchafft und Haushaltungskunſt, 2ten Bandes 1ſtes Stück. Berlin und Stralſund 8.*

Ephemerides du citoyen, ou bibliotheque raiſonnée des ſciences morales et politiques Tom. VIII. Paris. 12. ( *Hoc opuſculum coepit vulgari anno 1767. et continet oeconomicorum, politicorum et moralium nouorum ſcriptorum, narrationum et contemplationum iudicium. Primos tomos curauit Abbas* BOVDEAV, *ſequentes Cl.* DVPONT. *Varia ſcripta vero, quae hic continentur, ſunt eodem tempore ſeu non diu poſt ſeorſim edita. In hoc tomo de cultura rubiae tinctorum, et quidem optimae partis eius, quae dicitur* Crap, *agitur, de oryza ſicca* ( riy ſec ) *cet.* )

*Allgemeines Künſtler Lexicon zweytes Supplement. Zürch* 4. ( Auctore Cl. FÜESLIN. )

Ency-

Encyclopedie ou dictionnaire univerſel des arts et des ſciences, françois, latin et anglois, Tomm. II. Londres et à Dreſde 4.

*Der kluge Hausvater beym wirthſchafftlichen Geſchäffte der Aufbehaltung verſchiedener wirthſchafftlichen Producte. Neue Auflage Leipzig* 8.

Les économiques ( Par L. D. H. ) a Amſterdam Tom. III. et IV. 12 Mai. ( *Eſt ſyſtema oeconomiae a* Cll. DE LA RIVERE et DES QVESNAY *captui vulgi accommodatum. Duo priora volumina iam* 1769 *prodierunt* ).

*Kurze Inſtruction den Ackerbau betreffend Wien* 8. ( *Res non adeo notatu dignas nec vbique veras in ſe continet hic liber* ).

*Neues Färberbuch oder kurzer Vnterricht Wolle, Seide und Leinewand zu färben. Kopenhagen* 8. ( *Nova editio atque emendata a* Cl. ABILDGAARD ).

*Neuentdeckter Cotton: oder Indianerdruck nebſt der Sächſiſchen Schönfärberey. Neue Auflage. Carlsruhe* 8.

*Gedanken über die gegenwärtige theure Zeit mit angehängten untrüglichen Mitteln ſich ſolche erträglich zu machen. Vlm* 8.

*Vnterricht für den Naſſauiſchen Landmann wegen der Bienenzucht in Magazinen. Fr. und Leipzig* 8. *m. K.* v. infra ſub nomine IO. IAC. REINHARD.

Dizionario del filugello o ſia baco da ſeta che contiene le regole pratiche per la buona educazione di eſſo, ſecondo le piu 'recenti ſcoperte. In Torino 8. ( *Eſt vocabularium et attinet educationem laruae* phalaenae bombycis mori L. *Pauca noua hic inueniuntur* ).

*Briefe an das ſchöne Geſchlecht über verſchiedene Gegenſtände aus der Naturlehre. 3ter Theil. Iena* 8. *m. K.*

*Anfangsgründe der Naturlehre für Kinder. Arnſtadt.* 8.

Storia naturale degli vccelli cet. Tom. III. v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 293.

*Sammlung ausländiſcher und ſeltner Vögel des* 7. *Theiles* 1-12. *Stück Nürnb. fol,* mai (Eſt continuatio auium ex EDWARDO et CATESBY operibus ſumtarum, quae ſumtibus SELIGMANNI prodeunt).

Flora Danica Faſciculus X. v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 217. *de quo dicemus, cum XII. faciculum, quam proxime exſpectamus, receperimus.*

Recueil de plantes deſſinées et grauées anciennement â Francfort par la celebre famille DE MERIAN Tom. 1. a Francfort fol. av. fig. 383.

*Beyträge zur Waſſergeſchichte Böhmens* v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 507.

*Vnterſuchung die Weſenheit des Magneten und deſſen Anziehungskrafft betreffend. Berlin* 8.

*Die Kunſt Thürme vor den ſchädlichen Würkungen des Blitzes durch Ableitungen zu bewahren. Sagan* 8. ( Confer. inferius ſub FELBIGER ).

*Allgemeine Reiſegeſchichte von allen Ländern Völkern und Zeiten von einer Geſellſchafft gelehrter Leute* 29. *Theil Franckf.* 4. mai. m. K.

*Derſelben Fortſetzung als Beyträge, als Anleitung zur Reiſegeſchichte neuerer Zeiten.* ib. m. K.

Hiſtoire generale des voyages par mer et par terre. XIX. Vol. à Dresde 4. c. f.

*Anweiſung für diejenigen, die ſich der Theologie, Rechtsgelehrſamkeit, Philoſophie und der Arzneygelahrtheit wiedmen, wie ſie ſolche auf der Vniverſität treiben ſollen. Königsberg.* 4.

Phar-

Pharmacopoea Wirtenbergica in duas partes diuiſa edit. noua, reviſa, aucta et emendata. Stutgard. fol.

*Spiegel der Alchymie des vortreflichen Philoſophen* Ioh. von Mehvn *aus dem Lateiniſch-franzöſiſchen; dem noch beygefügt* Ben. Adams *Traumgeſicht nebſt* Friedrich Galli *Reiſe nach der Einöde St. Michael. Ballenſtädt und Bernburg* 8.

*Neue Sammlung von einigen alten und ſehr rar gewordenen philoſophiſch und alchymiſtiſchen Schriften. 3ter Theil. Wien* 8.

*Das Geheimnis von dem Salze, als dem edelſten Weſen der höchſten Wohlthat Gottes in dem Reiche der Natur von* Elias Artista Hermetico. *Wien*. 8. (Idem liber Manhemii quoque venditur apud *Tobiam Löfflerum*).

*Der Triumphwagen des Vitriols oder Beſchreibung von der Generation und Wundern dieſes groſen Subiectts der Alchymie Franckf.* 8.

*Gegründeter Beweiß, daß Galmey die wahre* minera vitrioli philoſophici *ſey. Iena* 8.

*Kunſt Butter und Käſe zu machen, nebſt einigen Gedanken über die Vrſachen des Eckels vor dem Käſe bey einigen Perſonen. Leipzig* 8.

*Wieneriſches Kochbuch: neue und mit einem Regiſter über die unbekannten öſterreichiſchen Wörter vermehrte Auflage. Bamberg und Würzburg* 8.

*Betrachtungen über den Gebrauch des Rauchtabackes. Königsb.* 8.

*Vnterricht fürs Volck gegen die Peſt. Dantzig* 8.

*Der Arzt der Frauenzimmer. Eine mediciniſche Wochenſchrifft 2ter Band. Leipzig* 8. (Eſt liber parvi momenti.)

Be-

*Beſchreibung von dem vortrefflichen Nutzen und der Würkung verſchiedener Arzneymittel. Hamburg und Güſtrow.* 4.

*Die edle Reitkunſt nebſt einem Anhange von der Roſsarzney. Eiſenach.* 8. *m. K.* (Editio noua.)

Chirurgie complette ſuivant le ſyſteme des modernes, contenant les maladies chirurgicales et les vertus des drogues ſimples 2. Voll. à Paris et à Dreſde 12.

*Neueröfneter Schauplatz geheimer philoſophiſcher Wiſſenſchafften, darinnen ſo wohl zu der Chiromantie, Metopoſcopie, Phyſiognomie, Ophthalmoſcopie, der Punctirkunſt, Onomantie, Nativitätkunſt, Cabala, Cryptologie, Cryptographie, Steganographie und Dechifrierkunſt Anleitung gegeben wird* etc. *Regensb.* 8. *m. K.* (Noua editio libri parui momenti).

Enumeratio ſuppellectilis librorum praeſtantiſſimorum atque rariorum omnium facultatum latina aliisque doctioribus vſitatis linguis conſcriptorum, adiectis annotatiunculis litterariis et indice materiarum locupletiſſimo. Dresdae 8.

IO. FRID. ACKERMANNS *Nachricht von der ſonderbahren Würckung eines Wetterſtrales. Zweyte vermehrte Auflage. Hamb. und Güſtrow.* 8.

ADAM's of the ſtone v. comm. noſtr Vol. XXI. p. 269.

AVBENTON V. d' AVBENTON.

ERNEST. GOTTFR. BALDINGERS *Biographien jetztlebender Aerzte und Naturforſcher 1ſtes Bandes 3tes Stück Iena* 8.

EIVSD. *Auszüge aus den neueſten Diſſertationen über die Naturlehre, Arzneywiſſenſchafft und alle Theile derſelben. 1ſten Bandes 3 und 4tes Stücks. Berlin und Stralſund* 8.

Erneſt.

ERNEST. GOTTFR. BALDINGER progr. ſecale cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberatum Ien. 4.

BAVME' *Abhandlung vom Thon.* v. Vol. XVII. p. 436. Vol. XIX. p. 725.

BERENS de dracone arbore CLVSII. ( *Haec diſſertatio primum Gottingae prodiit.* v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 448. *Ibidem* VANDELLI et CRANTZ *quoque ſcripta de eadem re ſunt recenſita. Hoc vero anno Cl.* BERENS *diſſertatio iterum prodiit Rigae in forma octaua apud.* I. Fr. Hartknochium ).

I. E. BODENS *monatliche Anleitung zur Kenntnis des Standes und der Bewegung der Planeten und des Mondes von Monate May* 1771. *bis April* 1772. *nebſt kurzgefaſster Abhandlung und deutlichen Entwurfe der partialen Mondfinſterniß* 1771. *den* 29. *April, mit einen Kupfer. Hamburg* 8.

HERRMANN BOERHAAVE rariorum morborum hiſtoriae prior et altera, recudi curauit ERNESTVS GODOFRED. BALDINGER Frfti et Lips. 7.

BOLTEN de nouo quodam zoophytorum genere v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 466.

M. BOSSV *neue Reiſen nach Weſtindien aus dem Franzöſiſchen Magdeburg.* 8. ( Pauca ad hiſtoriam naturalem continet ).

HEINR. CHRIST. BROCKENS *wahre Gründe der phyſicaliſchen und Experimental allgemeinen Forſtwiſſenſchafft.* 3. *Theile Leipz.* 8.

LVDOV. BVXTORFII cura valetudinis religioſorum ad normam naturae ſecundum rationis et experientiae dictamen delineata. Ed. 2da Baſil. 8.

Tractatus medicus de morbis infantum ex mechanica ſolidorum ſtructura fluidorumque genio demonſtratis a G. G. C. Hamburg. 8.

PETR. CAMPER *Vorleſungen über das herumgehende Viehſterben auf der anatomiſchen Schaubühne zu Gröningen* 1769 *gehalten. Aus dem Holländiſchen. Kopenhagen* 8.

ANDR. CHRIST. CHRISTENS *neues Kochbuch nebſt einem Unterrichte, wie man die Speiſen bey verſchiedenen Geſundheitsumſtänden nützlich anwenden ſoll. Quedlinburg* 8.

IO. DEGENDESCH *nützliches und aufrichtiges Pferde oder Roſsarzneybuch nebſt, einem Anhange von Rindvieharzeneyen und Regiſtern. Tübingen* 12.

DANI *aufrichtige und bisher in Schrifften verborgen gebliebene Entdeckung von der wahren Beſchaffenheit der hermetiſchen Kunſt. Hamb.* 4.

D' AVBENTON planches d' hiſtoire naturelle. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 11.

Supplément au traité de la conſervation des grains; nouvelle edition augmentée de la conſervation des farines, par M. DVHAMEL DV MONCEAV, á Paris. 8.

ARTH. CONRAD ERNSTING nucleus totius medicinae *oder des vollkommenen und allezeit fertigen Apotheckers* 2 *Bandes* 2 *und letzte Abtheilung. Lemgo.* 4 *mai.*

IO. LEOHNH. EYRICHS *der fränkiſchen Geſellſchafft Vernunfft und Erfahrungsmäßiger Entwurf zur vollkommenſten Bienenpflege für alle Landesgegenden. Vierte vermehrte und verbeſſerte Auflage. Nürnb.* 8.

10. IGNATIVS VON FELBIGER *die Kunſt Thürme oder andre Gebäude vor den ſchädlichen Würkungen des Blitzes durch Ableitungen zu bewahren. Breslau* 8. *mai.*

10. FLOYERS *Verſuch zu beweiſen, daß kaltes Baden geſund und nützlich ſey. Breſslau* 8. (Verſio germanica noti libri).

10. LVDOLF FOCKENS *Verſuche und Beobachtungen Erfahrungen und Curart in der ſogenannten Kriebelſucht. Zelle* 4.

Saggio d' oſſervazioni ſopra l' iſola di Cherſo ed Oſero d' ALBERTO FORTIS, della ſocietà Imperiale e Reale di Siena etc. In Venezia 4. pagg. 169 c. fig. et chart. geographic.

*Hae duae inſulae* Cherſo *et* Oſero *multas res ad hiſtoriam naturalem pertinentes, nec hactenus notas, in ſe continent. Meretur itaque hic liber* Cl. FORTIS *omnem attentionem: quapropter verſio Germanica, quam proxime vulgari accepimus, omnibus erit accepta. Iacent hae inſulae iuxta Iſtriam et Dalmatiam et per canalem quendam ab iis ſunt ſeparatae. Media earum pars eſt ſaxoſa et montoſa.*

*Ex regno vegetabili haec producta notabiliora huius inſulae notanda ſunt.* Coronilla cretica; Vitex agnus caſtus; Phyllirea latifolia; Onoſma echioides *quod Cerinthae eſt affine.* Arethuſa Neapolitana *habitat hic et circa Neapolin, praeterea per Italiam non reperitur.* Saluia *copioſiſſime hic creſcit.* Maſtichen *admodum colunt et ex ſeminibus oleum premunt incolae, quo Turcae, tam vt medicamine vtuntur, quam ad vſum domeſticum illud praeferunt oleo oliuarum.* p. 68

*Ex regno animali inprimis huc pertinet quod* oues *ſint vilioris generis et ſemper ſub diu viuant. Pereunt itaque multi, et per annum, etiamſi nulla graſſetur lues, ad* 4000 *vſque. Piſcium magna adeſt copia.* p. 72.

p. 79. *Praeterea reperta ſunt varia oſſa animalium, inter quae et humana, maiora tamen, vt ſolent, cernebantur, cum ſcilicet cortice ſpatoſo ſuperinducta eſſent, calcinata et alba. Caua oſſa impleta erant ſpatoſa cryſtallo. Maxillae reperiebantur cum dentibus, qui lamina ſua vitrea adhuc gaudebant.* cet.

p. 91. *Non poſſumus non quin commemoremus hic relationem de fatis* VITALIANI DONATI, *qui nimis praemature mortem cum vita commutauit et hiſtoriae naturali inprimis maiorem in modum multaque cum moleſtia ſeruiuit. Id quod inprimis ex tentamine ſuo de hiſtoria naturali marina Adriatici maris,* v. comm. noſtr. Vol. I. p. 475. *et de terrae motu, quod inſeruit Philoſophicis Transactionibus* v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 164. *elucet. Pataui die octavo Septembris MDCCXVII.* VITALIANO DONATI *natus eſt. Duodecimo aetatis anno accurata rei herbariae cognitione inſtructus coepit herbarium colligere, qua in re ſtudium* PONTEDERAE *et* VALLISNERI *multum iuuabat eum. Anno* MDCCXLIII. *profectus eſt in Dalmatiam et multas profecto nouas obſeruationes interea collegit* v. comm. noſtr. l. c. *Quo itinere facto Profeſſor botanices et hiſtoriae naturalis Taurinenſis eſt electus. Non diu autem poſt, eum oportebat Aegyptum, Arabiam, Perſiam, Indiamque Orientalem cum tribus iuuenibus peragrare ad naturae cognitionem augendam,* v. comm. noſtr. Vol. VII. p. 367. et Vol. X. p. 727. *Baſſorae ſeu Balſorae autem febre putrida periit Noſter, vbi et* GRANGERVS *anno* MDCCXXXIV. *eodem modo vitam ſuam amiſit. Relatio de* DONATI *morte menſe octobri* MDCCLXIII *Taurinum allata eſt. Londinenſis et Holmienſis ſcientiarum Academiarum ſocius quoque erat* Cl. DONATI. *Reliquit plurima manuſcripta, quae ut vulgentur optant et optabunt omnes profecto naturae amici. Varia*

*quoque, quae ad ſata* Cl. DONATI *eiusque manuſcriptorum ſpectant, in* Cl. NIEBVHR *deſcriptione Arabiae occurrunt.*

GARDANE *neue practiſche Vnterſuchungen über die verſchiedenen Arten die veneriſchen Krankheiten zu heilen. Aus den Franzöſiſchen. Augsburg* 8. v. librum Gallicum in comm. noſtr. decad. IIdae Suppl. III. p. 519.

IO. PHILIP. AVGVST. GESNERS *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit. Erſter Band. 2te Auflage.* v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 423.

Naturlig og oeconomisk Beskrivelſe over Hoelands Praeſtegield i Aggerhuus Stift i Norge af REIERO GIELLEBÖL. Kiöpenhave 8. c. fig. (*Plurimae res hic ſpectant oeconomiam*).

THOM. GLASSI commentarii XII. de febribus ad HIPPOCRATIS diſciplinam accommodati: denuo edidit ERNEST. GODOFREDVS BALDINGER Ien. 8. mai.

GMELINI flora Sibirica. TOM. IV. v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 37.

ADAM. IVL. GÖTZENS *kurzer Beytrag zur Geſchichte von den hyſteriſchen Krankheiten. Meinungen* 8.

IO. GORDACKS *Geſchichte der Krankheit und Cur eines 27. Iahre hindurch mit der Epilepſie geplagten Frauenzimmers. Königsberg* 4.

BERNH. GRANT praelectiones encyclopedicae in phyſicam experimentalem et hiſtoriam naturalem. Erford. 8.

IO. FRID. GRIMMS *Abhandlung von dem Mineralwaſſer zu Ronneburg. Altenburg* 8. *mai.*

IOACH. CHRIST. GROTS *zweyte Kanzelrede von der Rechtmäßigkeit der Blatereinnimpfung aus beſondern Gründen. Mietau und Haſenboth* 8. *mai.*

GRVNERI cenſura librorum Hippocrateorum, v. comm. noſtr, Vol. XX. p. 127.

L. D. H. les économiques v. anonymos ſupra p. 171.

ALB. VON HALLER *Abhandlung über die Futterkräuter der Neuern. Bern.* 8. ( Inſerta eſt haec commentatio nouis commentariis Göttingenſibus. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 255. )

A compleat body of planting and gardening. By WILLIAM HANBVRY. Vol. II. London. Fol. c. f. ( *Pleniorem titulum reperiunt Lectores* in comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 555, *ex quo et inſtituti huius ratio intelligi poteſt. Primum volumen prodiit anno* 1770. *et conſtat* 885 *paginis, alterum habet paginas* 832. *Index praeterea duplex eſt additus, quorum vnus latina, alter Anglica complectitur nomina. Tabulae aeneae ſunt XX. paucae vero earum botanicis poſſunt ſeruire. Aloes margaritiferae tamen icon laudatur* ).

GVSTAV. HARMENS de febre epidemica in et circa Chriſtianſtadium anno proxime praeterlapſo, graſſante. Reſp. *Carol. Saur.* Lund. Goth. 4.

FRANC. XAV. HARTMANN formulae remediorum in materiam medicam et chirurgicam Cl. Viri CRANTZ. Vienn. 8. mai.

LAVR. HEISTERS Compendium *der Anatomie. Neue Auflage Wien* 8. *m. K.*

C. F. C. HENNEMANN diſſ. inaug. de obliquitate vteri et poſitura infantis obliqua et iniqua. Gotting 4.

CHRIST. PHILIP. HERWIG ſelectus medicamentorum cet. v. comm. noſtr Vol. XIX. p. 69.

L. E. HIRSCHELS *mediciniſcher Briefe* 3*ter Theil Berlin* 8.

FRID.

FRID. HOFFMANN de morbis infantum. Oxoniae et Francof. 8.

IO. HORN *die durch Fragen und Antworten treulich anweiſende Wehemutter. 6te mit neuen Anmerkungen vermehrte Auflage. Leipz.* 8. ( Parui momenti ſunt, quae addita fuerunt. )

HYGIANDERS *Regeln zum Vrinbeſehen. Neue Auflage Nürnb.* 8.

NIC. IOS. IACQVIN obſeruationum botanicarum Pars IV. v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 298.

*Eiusd.* Hortus botanicus Vindobonenſis ſeu plantarum rariorum in illo cultarum deſcriptio ib. Fol. reg. (*Sumtibus Auctoris hic ſplendidiſſimus liber, quem proxime indicabimus, editus eſt.* )

Eiusd. *chymiſche Vnterſuchung der Mayeriſchen Lehre von der fetten Säure und der Blackiſchen Meinung von der fixen Luft.* ib. 8. ( Librum hunc latine primo ſcriptum recenſuimus in comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 481. Ibidem et CRANTZII, WIEGLEBII, WELLII, BVCHOLZIIQVE ſcripta de eadem re indicauimus.)

ENGELBERT IORLIN diſſ. inaug. ſiſtens partes fructificationis ſeu principia botanica illuſtrata. Reſp. *Eric. Rumberg* Lund. Goth. 4.

IO. GOTTFRIED IVGEL *Bergwerkskunſt* v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 572.

MELCHIOR CHRIST. KAEPLERS *überzeugender Beweiß, bey welcher Abholtzungszeit die Laubholzſtücke am beſten wieder ausſchlagen. Eiſenach.* 8.

NICOL. KAMPENS *und Sohnes genaue und richtige Beſchreibung der Hyacinthen und Tulipanen. Aus dem Holländiſchen überſetzt. Quedlinburg* 8.

ADRIAN. KEMBTERI veterum diſciplina in re ruſtica. Tom. I. Lindauiae 4. c. fig. aen.

LVDOV. GODOFR. KLEINII interpres clinicus ſiue de morborum indole exitu in ſanitatem cet. v. comm. noſtr. Vol. III. p. 272. ( *Ibidem ſumma huius libri, qui tum temporis anno 1753. prodierat, eſt a nobis indicata. Iam ille locis et forma iisdem iterum vulgatus eſt ita, vt ne vllam quidem mutationem intellexerimus.* )

S. H. A. KLEINII enarrationes quorundam morborum. Lemgouiae et Giſſae. 8. mai.

M. KVRELLA *kurzer Entwurf der alten und neuern Bienenzucht in Preußen, nebſt einer Anweiſung wie die Bienenzucht in Preußen verbeſſert werden könnte. Königsberg* 8.

IO. LVDW. LEBERECHT LÖSEKE *Phyſiologie oder Lehre von dem geſunden Zuſtande des menſchlichen Körpers 3te Auflage. Dreſden* 8.

HENR. MATTH. MARCARDI diſſ. inaug ſiſtens ſpecimen examinis rigoroſioris malignitatis febrilis. Götting. 4.

PETR MASCATI *Rede von dem körperlichen und weſentlichen Unterſchiede zwiſchen der Structur der Thiere und des Menſchen. Aus dem Italiäniſchen von* I. BECKMANN ib. 8.

IO. FRID. MAYERS *Beyträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Land und Hauswirthſchafft 3ter Theil. Fr. am Mayn* 8.

PHILIP. MILLERS *Abbildungen der ſchönſten nützlichſten und ſeltenſten Pflanzen. Aus dem Engliſchen Erſter. Theil. Nürnb. fol. mit illuminirten K.* ( Eſt verſio et noua editio iconum earum, quae MILLERVS in vſum dictionarii ſui edidit, et quas in comm. Noſtr. Imae decad. ſuppl. IV. p. 667. recen-

recenſuimus. De dictionario ipſo v. comm. noſtr. Vol. III. p. 153.)

GOTTFR. WILH. MÜLLERS 15. *Kupfertafeln, welche die meiſten kleinen und zarten Mäuslein an dem menſchlichen Körper vorſtellen. Franckf.* 4. (Nova editio boni libri.)

I. E. NEVBAVER diſſ. inaug. ſiſtens obſeruationes anatomico-chirurgicas de epiploo-oſcheocele. Ien. et Francof. 4. (*Erat hernia congenita.*)

C. C. OEHLHAFENS *Abbildung der wilden Bäume Stauden und Buſchgewächſe etc.* 1-*6te Abhandlung Nürnb.* 4. *mai. m. illum. K.* (Tractatio, quae ad foreſtalem cognitionem ſpectat, ſatis bona, icones vero vix mediocres.)

PETR. SIMON PALLAS ſpicilegia zoologica Faſciculus VIII. v. comm. noſtr Vol. XVII. p. 418.

*Eiusd.* ſpicilegia. Faſciculus IX. v. ib. Vol. XIX. p. 668.

PARACELSI AVR. PHIL. THEOPHR. BOMBAST AB HOHENHEIM *Geheimniß aller ſeiner Geheimniße, welches noch niemahls gemein gemacht, ſondern allezeit geheim behalten worden. Franckf.* 8.

Eiusd. *natürliches Zaubermagazin, Fr. und Leipz.* 8.

RICH. PEARSALLS *Geſpräche zwiſchen einem Vater und ſeinen Kindern aus der Naturlehre nebſt einigen moraliſchen Abhandlungen von* IO. WATTS. *Aus dem Engliſchen. Flensburg* 8.

D. POERNERS *phyſicaliſche Nachricht von dem Mineralwaſſer zu Stecknitz. Prag.* 8.

IO. HEINR. PRATIE *Beantwortung der Frage: ob unſer Erdboden von einem Kometen etwas zu befürchten habe. Altona* 8. *mai.*

IO. HEINR. PRATJE *Landwirthſchafftliche Erfahrungen zum Beſten des Landmannes. 4tes Quartal Altona. 8. mai.*

BEGVE DE PRESLE *Zuſätze zu* DONALD MONRO'S *Beſchreibung derer Krankheiten, welche in dem Brittiſchen Feldlazarethen in Deutſchland von Ian.* 1761. *bis Mart.* 1763. *am häufigſten geweſen. Altenburg* 8. *mai.* ( Cl. MONRO librum indicauimus cui ex PRINGLIO, SWIETENIO cet. ſcriptis varia addita ſunt, vid. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 50.)

IO. IAC. REINHARDS *correſpondirender fränkiſch badendurlachiſcher Bienenvater mit practiſchen Anmerkungen von der fränkiſchen Bienengeſellſchafft. Anſpach* 8. ( Hic liber quoque anno et forma iisdem, alio loco autem et titulo ſupra a nobis indicato: *Unterricht für den Naſſauiſchen Landmann.* v. ſupra p. 171. prodiit ).

ADAA DAN. RICHTERS *Lehrbuch einer für Schulen faßlichen Naturlehre. Zweyte verbeßerte Auflage Budißin* 8. *m. K.* ( Erroribus nonnullis exceptis, liber eſt vtilis ).

CHRIST. RICKMANN *von dem Einfluße der Arzneywiſſenſchafft auf das Wohl des Staates und den beſten Mitteln zur Rettung des Lebens. Iena* 8.

IO. FERD. IVNGSCH. DE ROEBEREN de praecipuis cautionibus venaeſectionis in febribus inſtituendae. Götting. 4.

D. EBERHARD ROSEN diſſ. inaug. de doloribus ſpaſtico flatulentis primarum viarum. Reſp. *Io. Adolph. Wadſtroem* Lond. Goth. 4.

*Eiusd.* diſſ. inaug. de ſanatione epilepſiae per imminutum vitium irritabilitatis neruorum Reſp. *Paul Bånge* ib. 4.

NILS

NILS ROSEN VON ROSENSTEIN Vnderrättelſer om barn Siukdomar och deras bote Medel: cet. *Anweiſung zur Kenntnis und Cur der Kinderkrankheiten aus dem Schwediſchen mit Anmerkungen von* IO. ANDR. MVRRAY *3te vermehrte Auflage. Göttingen und Gotha.* 8. ( Verſio Germanica 1774. prodiit. Suecica huius libri prima ac genuina editio a nobis recenſita eſt in comm. noſtr. Vol. XIV. p. 511. Dein in varias linguas translatus eſt hic liber, et annotationibus auctus emendatusque, quarum verſionum ratio atque diuerſitas ex eodem loco laudato commentar. noſtr. intelligi poſſunt. Haec vltima Cl. MVRRAY editio, cuius hic mentionem facimus, haec inprimis habet augmenta: primum Cl. ROSEN DE ROSENSTEIN vitae deſcriptio, quae quoque in comm. noſtr. Vol. XXI. p. 348. legi poteſt, eſt addita. Dein morbi infantum ſtrangulatorii hiſtoria eſt narrata, quae Germanice a Cl. MVRRAY appellatur *die häutige Bräune* et a nobis quoque hic Lipſiae obſeruata eſt. Non opus autem eſt huius morbi noui vlteriore explicatione, quoniam Cll. E. D. SALOMON et A. BAEK hiſtoriam eiuſdem quam inſeruerunt actis Academiae Regiae ſcientiarum ſuecicis anni 1772. Tom. 33. pag. 332, accurate excerpſimus. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. *645* et *646*. Praeterea verſionem Cl. MVRRAY curavit ſecundum hanc editionem tertiam ſuecicam, quae prodiit 1771. et a b. ROSENSTEIN ipſo inſigniter aucta atque emendata eſt. Huc acceſſit Cl. MVRRAY ſtudium profecto vtile atque omnibus medicis carum et acceptum, quod potiſſimum cernitur in variis annotationibus doctiſſimis; quas hic vlterius perſequendi ipſa huius libri vetat vtilitas, cuius ipſius lectio cuilibet placebit. )

Stads-Maiorens ANDERS ROSENSTENS gründeliga Vnderwiſning om Skogars Skötſel, eller wilda Trånsoch Buskars, plantering, Natur och Egenskaper iämte bihang om allahanda fruktbärande träns wård hwilka höra til Trägården; på hög Befallning det Allmänna til Tienſt, tredje Uplagan med förnyat Företal och behörige anmerkningar tilökt och förbättrad af D. CLAS BLIECHERT TROZELIVS Profeſſor wid Academien i Lund. Stockholm. 4. ( *Agitur hic potiſſimum de conſeruatione ſyluarum et pomariorum et maxima pars tractatuum ex aliis Auctoribus eſt deſumta et hic collecta. Finit hunc librum vtilis index, ſatis accuratus, inſectorum, quae arboribus officiunt. Prima huius libri editio prodiit iam anno* 1752. )

LVDOV. ROVSSEAVS *Rede von dem wechſelsweiſen Einfluße der Naturkunde und Chymie auf die Wohlfahrt eines Staats in Erweiterung der Künſte und Wiſſenſchafften. Nürnb.* 8.

Obſervations ſur la phyſique cet. Par M. L' Abbé ROZIER. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 272.

M. SARCONE *Geſchichte der Krankheiten, die durch das ganze Iahr* 1764 *in Neapel ſind beobachtet worden. Aus dem Italiäniſchen* 1. *Theil. Zürich* 8.

AVG. SCHAARSCHMIDT *kurzer Begrif der allgemeinen Curmethode in der practiſchen Medicin. Berlin* 8.

Eiuſd. *nützliche Nachricht von der Natur und Cur der Krankheiten, die mit den Bewegungen, auf die güldene Ader unmittelbar verbunden zu ſeyn pflegen. ib.* 8.

Eiuſd. *erſtere und fernere Verſuche mit Schnekcen nebſt einem ſchwarzen und 7 ausgemahlten Kupfern. 2te Auflage ib.* 4.

IAC. CHRIST. SCHAEFFERS *Nachtrag zu dem erſtern und fernern Verſuchen mit Schnecken. Leipz.* 4. *m. K.*

Eiuſd. *wiederhohlte Verſuche auf ordentlichen Pappiermühlen aus allerhand Holzarten und Pflanzen Pappier zu machen. Nebſt zehn Muſtern ſolches Pappieres ib.* 4.

*Eiuſd.* fungorum icones. Vol. III. ibid. 4. ( De primo ac ſecundo volumine v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 99.)

IO. CHRIST. SCHLEGEL diſſ. de metaſtaſi in morbis Ien. 4. Acc. BALDINGER progr. de ſecale cornuto v. ſupra p. 175.

C. C. SCHMIDELS *Erzſtufen und Bergarten nicht nur mit Farben fein abgebildet, ſondern auch in Lateiniſcher und deutſcher Sprache beſchrieben* 27. *und* 28. *St. Nürnb.* 4. *gr.*

*Eiusd.* icones plantarum et analyſes partium aeri inciſae atque viuis coloribus inſignitae, adiectis indicibus nominum neceſſariis, figurarum explicationibus et breuibus animaduerſionibus. Norimb. Fol. max.

CHRIST. HEINR. SCHOBELTS *Betrachtungen über die Cur der veneriſchen Kranckheiten Magdeb.* 8. *mai.*

I. S. SCHROETERS *lithologiſches Reallexicon von Steinen und Verſteinerungen. Erſter Theil Berlin* 8. *mai.* ( Liber compilatus ).

M. STEPH. SCHVLTZENS *Beſchreibung ſeiner Reiſen in Europa, Aſia und Afrika. Erſter Theil, betreffend die Reiſen in Europa Halle* 8. *mai.* ( Nullas

con-

continet obſervationes hiſtoriam naturalem illuſtrantes ).

** SCHWEIZERS *richtige phyſicaliſche chimiſche Verſuche und neue Beſchreibung eines vortreflichen Stahlbrunnens zu Langenſchwalbach. Eiſenach.* 8.

Eiuſd. *vollſtändige Geſchichte einer ſehr merkwürdigen Krankheit, welche mit dem heftigſten kalten Brande an gewiſſen äuſerlichen Theilen des Leibes begleitet worden. ib.* 8.

** SCOPOLI flora Carniolica v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 619.

IO. CHRIST. SENKENBERGS *Stiftungsbriefe zum Beſten der Arzeneykunſt und Armenpflege ſamt Nachricht wegen eines zu unternehmenden Hoſpitals zum Behufe der Stadt Franckfurt. Frankf. Fol. m. K.* ( Huius fundationis mentionem fecimus in comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 544 ).

THOM. SIMSONI de re medica diſſertationes IV. Ed. noua, curante I. C. F. SCHLEGEL. Ienae 8.

I. C. SOMMERS *Beobachtungen und Anmerkungen über die in der Gebährmutter zurückgebliebene, und in einem Sacke eingeſchloſſene Nachgeburt. Göttingen und Kiel* 4.

GEORG. WILH. STEINS *theoretiſche Anleitung zur Geburtshülfe* v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 422. ( *Ibidem* et de practica inſtitutione in artem obſtetriciam eiusdem Auctoris, quae anno 1772. prodiit, quaedam Lectores poſſunt reperire ).

ANTON STÖRKS *Abhandlung von dem heilſamen Gebrauche der ſchwärzlichen Küchenſchelle Nürnb.* 8. *m. K.* ( Hic liber de pulſatilla nigricante primum latine ſcriptus a nobis indicatus eſt in comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 530.)

S. A. TISSOT *Verſuch von denen Krankheiten, welche aus der Selbſtbefleckung entſtehen. Aus dem Lateiniſchen überſetzt Frankf.* 8.

Eiuſd. *Verſuch von dem Krankheiten vornehmer und reicher Perſonen an Höfen etc. Nürnb.* 8. *mai.* v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 734.

Eiuſd. *Abhandlung von der hinfallenden Sucht. Aus dem Franzöſiſchen Leipzig* 8. (Idem liber et Germanice prodiit Berolini eodem anno et forma apud *Haude et Spener.* De prima Gallica huius libri editione v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 698.)

*Wittenbergiſches Wochenblatt zum Aufnehmen der Naturkunde und des oeconomiſchen Gewerbes aufs Iahr* 1770 *von* I. D. TITIVS 3*ter Band. Wittenberg* 4.

T. TRONCHINI de colica pictonum tractatus. Denuo edidit I. C. T. SCHLEGEL Ienae. 8. mai.

RVD. AVG. VOGELS *Neue mediciniſche Bibliothek.* 8*ten Bandes* 3 *und* 4*tes Stück. Göttingen.* 8. (Hic liber hactenus continuatus, mortuo Auctore, hoc octauo volumine ad finem perductus eſt. Coepit autem Cl. MVRRAY medico practicam bibliothecam vulgare, cuius inſtituti vtilitatem iam laudauimus v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 152.)

Della utilità morale, économica et politica delle Academie di agricoltura di ANTONIO ZANONI, Cittadino et Accademico d' Vdine Tomo octavo. In Vdine 8. pagg. 334.

*Hic huius continuati operis Tomus vltimus poſt mortem Cl.* ANTONII ZANONI, *quae accidit menſe Decembri* 1770, *prodiit, cui praemiſſa quoque eſt memoria b.* ZANONI *cum quibusdam Eius ſcriptis. Explicatur hic potiſſimum origo ſocietatum atque academiarum ſcientiarum, inprimis oeconomi-*

*nomicarum. Ac cum omnium omnino ſocietatum et academiarum ſcientiarum, artium, litterarum elegantiorum, oeconomiae, cet, quae a ſeculo decimo et tertio in Italia ſubinde ſunt fundatae, index ſat magnus ſit adiectus, magnam profecto meretur hic Tomus attentionem doctorum virorum.*

*Septem praecedentes Tomi annis* 1763. 1764. 1765. 1766. 1767. *Venetiis forma octaua prodierunt, et ſpectant commercium, artes, textrinas et agriculturam. Plurimi tractatus ex aliorum Auctorum quidem hic collecti ſunt ſcriptis, attamen fontes hi boni ſunt, nec adeo multum noti. Rebus ita ſeſe habentibus miramur nullam verſionem Germanicam huius libri eſſe curatam, quae, quantum nobis conſtat, hactenus non proſtat.*

10. FRID. ZÜCKERTS *Abhandlung von der diäteti-ſchen Erziehung der entwöhnten und erwachſenen Kinder bis in ihr mannbares Alter. Neue verbeſſerte Auflage Berlin* 8.

*Eiuſd. Vnterricht für rechtſchaffene Aeltern zur diätetiſchen Pflege ihrer Säuglinge 2te Auflage* (Prima huius libri editio indicata eſt in comm. noſtr. decad. IIdae ſuppl. I. p. 116.)

---

Con-

## Contenta in hac parte.


I Acta Academiae Theodoro Palatinae. Tom. III. p. 3

II L'art du deſtillateur des eaux fortes. Par M. DE MACHY 22

III VOGELS *Lehrſätze der Chemie von* WIEGLEB. 27

IV PLENCK primae lineae anatomes 34

V LOBSTEIN diſſ. nonnulla de liene ſiſtens 37

VI Experiments upon the human bile and reflections on the biliary ſecretion cet. By MACLVRG 42

VII VON BORN *Abhandlung einer Privatgeſelſchafft in Böhmen. Zweyter Band* 50

VIII VAN DOEVEREN primae lineae de cognoſcendis mulierum morbis 61

IX OEHME diſſ. inaug. de morbis recens natorum chirurgicis 65

X STEIDELE *Abhandlung von dem unvermeidlichen Gebrauch der Inſtrumente in der Geburtshülfe* 70

XI A treatiſe on the puerperal fever. By HVLME 73

XII Practical obſeruations on the child bed fever. By LEAKE 79

XIII A treatiſe on the management of pregnant and lying in women and the means of curing them. By WHITE 90

XIV Obſervations on epidemic diſorders with remarks on nervous and malignant fevers. By SIMS 101

XV MARX obſeruationes medicae. Pars Ima p. 122
XVI LANGE *von dem Waſſerfenchel oder Peerſaat* 127
XVII *Abhandlungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit von einer Geſellſchaft von Aerzten in Hamburg durch*, GISEKE 131
XVIII BONANNII rerum naturalium hiſtoria per BATARRAM 141
XIX Recueil de cente trente trois oiſeaux des plus belles eſpeces cet. 148
XX WIRSINGII marmora et adſines aliqui lapides 155
XXI FERBERS *Beſchreibung des Queckſilber-Bergwerks zu Idria in Mittel Cräyn* 156
XXII HÜBNERS *curioſes und reales Natur-Kunſt-Berg-Gewerk und Handlungs Lexicon* 160
XXIII ALBINVS de natura hominis 162
XXIV Noua phyſico medica 165
XXV Supplementum indicis phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1771 prodierunt. 169

# COMMENTARII
# DE REBVS
# IN
# SCIENTIA NATVRALI
# ET
# MEDICINA
# GESTIS.




## VOLVMINIS XXII. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXVII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Lugduni Batauor. apud Fratres Luchtmann, Londini apud Fr. Elmsly,
Venetiis apud I. B. Paſcali, Romae apud St. Richard, Aug.
Taurinor. apud Giraud et Gravier.

I.

Iournal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. A. ROUX. Année 1773. Tome XXXIX. à Paris, chez Vincent. 8. 1. Alph. 13 pll. 1 tab. aen. et Tome XL. ib. eod. 1. Alph. 13 pll.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam et pharmaciam pertinens, Auctore Cl. ROUX. Vol. XXXIX et XXXX.

E Menſe Ianuario 1773 ſequentia continentur: Vol. XXXIX.

1. *Epitome voluminis ſecundi tranſactionum medicarum Londinenſium* *). p. 3.

2. *Deſcriptio fetus monſtroſi*, Auctore Cl. IASTELIER. p. 27. Femina 22 annorum, quinque cum dimidio menſes grauida, abortum gemellorum patiebatur, quorum alter, ſexus ſequioris, naturali gaudebat conformatione, alter vero corpore mire conuoluto, ita, vt facies os ſacrum reſpiceret, bra-



*) Vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 195 ſeqq.

chiis ad longitudinem corporis extenſis, femoribus in dorſum replicatis cruribus et pedibus extremis planis, et occipiti appoſitis, halluce in vtroque pede verſus tempora flexo; placenta propria alterius infantis non adiuncta, funiculus vmbilicalis nullus (vbi tamen haec placenta cohaeſerit cum corpore, nullibi notat Cl. Auctor, quod tamen vehementer optaſſemus, praeſertim quum in ſectione ipſa moneat, ſe nullibi vaſorum vmbilicalium veſtigia vidiſſe): caput monſtroſae magnitudinis, facies itidem conſolito latior, collum fere nullum: pectus et abdomen in vnicam cauitatem coeuntia, quam ſaccus membranaceus, antrorſum multum prominens, adeo ſubtilis et pellucidus efficiebat, vt motus cordis in regione iliaca ſiniſtra per horam, qua viuebat, diſtinctiſſime conſpici poſſet; nates anterius et inferius ſitae, ad latus appendice criſtae ſimili inſtructae, quae quodammodo nymphas referebat, et in medio tuberculum carneum habebat; poſterius, vbi debebant eſſe nates, protuberantia carnea, a natibus per ſulcum tranſuerſalem ſeparata, et ad latus eiuſdem cicatrix, varias plicas cutis efficiens: extremitates inferiores, quum extendebantur, ſitum inuerſum obtinebant, ita vt criſta tibiae poſterius poſita eſſet; anus et genitalia prorſus deficiebant. Sectione inſtituta, ſaccus iſte membranaceus, qui nihil erat, niſi peritoneum, continebat omentum exiguum, hepar inſignis molis, cui veſicula fellea ſitu naturali iuncta erat; ſub hepate ventriculus exiguus, huicque adhaerens lien magnitudine ſeminis phaſeoli, ſub hoc capſula atrabiliaria, magnitudine nucis auellanae; meſenterium ſtructurae ſubtiliſſimae inteſtina cingebat, quae ſuperius per pylorum cum ventriculo connectebantur, inferius autem intra meſenterii duplicaturam libere in contextu celluloſo fluctuabant;

oſſi

oſſi ſacro et coccygis anterius incumbebant thymus, pulmones et cor, haec tamen viſcera diaphragmate quodam ab ipſa membrana inueſtiente efformato, ab abdominalibus diſtinguebantur; cor pericardio, ſimilis vt diaphragma ſtructurae, cinctum, apice verſus criſtam oſſis ilei ſiniſtri directum; pulmones contracti, coloris rubro fuſci, qui et integri et diſſecti aquae iniecti fundum petebant. Nates anterius ſitae muſculos gluteos naturales offerebant: maſſa carnea poſterior maximam partem muſculorum femoris et nonnullos dorſi, reliquis ( vt probabile erat, et cicatrix exterius conſpicienda quodammodo euincebat ) ſuppuratione conſumtis; ſub hac protuberantia prodibat cauitas inſignis, deſtructis ab vltimis vertebris dorſi vſque ad finem oſſis coccygis omnibus apophyſibus ſpinoſis, ipſaque medulla ſpinali ſurſum quoque ad primas vſque vertebras colli abſumta, ita vt ſolummodo ſupereſſet membrana laeuis, cauitatem inueſtiens, nullo tamen ſuperſtite praegreſſae putrefactionis veſtigio. Inferior peluis pars, cum qua haec cauitas communicabat, in fundo, ſub ſulco tranſuerſali exterius conſpiciendo, veſicam vrinariam, collo inflexo, et extremitatem inferiorem muſculorum abdominalium offerebat, adhaerentem ſymphyſi oſſium pubis, poſterius ſitae; nam tota peluis ſitum naturali prorſus oppoſitum habebat. Denique ſceleton oſſeum deſcribitur: in latere dextro ſex coſtae verae et quinque ſpuriae, quarum vltima criſtae oſſis ilei incumbebat; in ſiniſtro nonniſi ſex verae, et loco vltimae ac ſpuriarum lingula oſſea, cartilagini xiphoideae ſimilis; coſta ſecunda huius lateris ad vertebras duplici capitulo gaudebat, in progreſſu vnito. Spina dorſi in medio antrorſum flectebatur, aeque ac os ſacrum et coccygis. Praeter deficientes itaque coſtas, vertebra-

tebrarum apophyſes ſpinoſas et medullam ſpinalem, nullibi pancreas, renes cum vaſis ipſorum atque vreteribus, capſula atrabiliaria dextra, et organa generationis, conſpici potuere. Tranſimus iam corollaria, et notamus tantum, quod Cl. Auctor ſub finem addit, ſe infantem viuum noſſe ſeptem digitis in ſingulo pede, et ſex in ſingula manu natum.

p. 42. 3. *Alius fetus monſtroſi deſcriptionem*, ſed externam tantum, exhibet Cl. IACON. Duo capita, ſiniſtrum maius dextro, hoc tamen per dimidiam horam, illud per pauca tantum minuta vitae ſigna exhibuit; thorax, quantum exterius iudicari poterat, vnicus quidem, ſed duplex ſternum, in vnam cartilaginem xiphoideam terminatum: reliqua, fetu antrorſum ſpectato, prorſus naturalia; ſed retrorſum duo alia brachia inter ſe implexa, ita vt quatuor brachia conſpicerentur; quatuor ſcapulae, duae ſpinae dorſi, quatuor coſtarum ordines; ſpinae dorſi in regione lumborum inter ſe vnitae.

p. 45. 4. Cl. BOVRIENNE in cadauere militis continuationem muſculorum ſternomaſtoideorum vidit, quae ſtratum muſculoſum tres pollices latum, apophyſi maſtoideae, ſterno et clauiculae adhaerens, et a ſimili muſculo alterius lateris duorum pollicum interſtitio diſtans, efficiebat: vterque ſuper ſternum vſque ad muſculos rectos abdominales decurrebat, in quibus ſine tendinis cuiuſdam veſtigio inſerebatur.

p. 309. Poſtea Cl. IVPPIN in epiſtola ad editorem diarii huius directa narrat, Cl. PORTAL in cadauere quodam vidiſſe duos muſculos planos, ſuperius, vbi ſternum tegebant et muſculis ſternomaſtoideis inſerebantur, tendineos, poſtea latiores redditos et ſitum cum ſterno parallelum ſeruantes,

carti-

cartilaginibus coſtarum verarum adhaerentes, ac demum in extremitatibus ſuperioribus muſculorum rectorum terminatos; de reliquo, aeque ac hi muſculi duabus interſectionibus tendineis diſtinctos: putatque, eiuſdem conditionis continuationem ſterno maſtoideorum fuiſſe, quam Cl. BOVRIENNE obſeruauerat.

5 Cl. TABARY ſeptuagenariam poſt febrem acutam anaſarca laborantem breuiſſimo tempore puluere ex ſcillae gr. vi nitri gr. xii et cinnamomi gr. ii, mane et veſperi cum ptiſana aperiente ſumto, ſanauit. p. 47.

6. *Noua experimenta* Cl. D'ARCET et ROVELLE *de deſtructione adamantis in vaſis clauſis* *). Adamantes globulis ex porcellana confectis et hermetice clauſis, hoſque crucibulis eiuſdem fabricae, tali modo, qualem adiuncta tabula aenea monſtrat, indiderunt, admotoque igne vehementiſſimo, ad octo interdum integros dies ſuſtentato, tractauerunt: pro varietate experimentorum lapides iſti vel prorſus diſparuerunt, vel inſignem ponderis iacturam paſſi ſunt; puluis cornu cerui vſti et pyromachi, iiſdem circumiectus, quo immediatus contactus parietum internorum vaſorum impediretur, iacturam potius accelerauit, quam retardauit. In igne aperto vera flamma vndulans ſuperficiem adamantis lambere conſpiciebatur, iſque paullo citius, quam argentum fluere inciperet, flammam concipiebat; puluis quoque illius flamma viua celerrime deflagrabat, paucis ſordibus in vaſe relictis, nullo tamen animaduertendo vapore; ſed ipſam p. 50.

 defla-

*) Vid. Obſeruations ſur la phyſique cet. par M. l'Abbé ROZIER Vol. VII. p. 131. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 278.

deflagrationem antecedebat ſplendor quidam, in nullo alio lapide, neque in metallis liquefactis detegendus. Adamantes Braſilienſes et Orientales iisdem mutationibus obnoxii ſunt, ſicut ex vtraque regione aeque melioris ac deterioris conditionis depromi gemmarius apud Pariſienſes celebris CARNAY Noſtros docuit; dignum tamen notatu, in vtraque India hucdum ſub eadem tantum ab aequatore diſtantia adamantem inueniri, ſed in Orientali ſeptentrionem, at in America meridiem verſus. Puluis carbonum deſtructionem adamantis retardat, ſed non plane impedit, ſi ignis maxima violentia diutius applicatur; an, quia puluis iſte leuis et ſpongioſus non adeo facile, quam puluis cornu cerui aut pyromachi, intenſiorem ignis gradum recipit et retinet? Adamas ipſe in vaſis clauſis, interius perfectam albedinem ſeruantibus, nigrum colorem adeptus eſt, quem ergo in interſtitiis ſeu inter laminas ipſius haeſiſſe oportet; inde difficultas lapides iſtos depurandi, quod ſaepe caſus praeſtitit, arte fruſtra adhibita. Ad experimenta haec adamantes minores praeſtant maioribus. Tandem Cl D' ARCET ad obiectiones quaſdam reſpondet, experimentis gemmarii MAILLARD, quae hic adductis contraria ſunt, innixas; quae experimenta in conſeſſu Academiae Regiae ſcientiarum capta ſunt, et vti nonnihil videtur, aſſenſum Celeberrimi MACQVER obtinuerunt *). Sub finem Auctores noſtri, prouocati quaſi a Cl BAVME **), qui calcinationem metallorum ac deſtructionem adamantis in vaſis porcellanis, aquae et acido vitriolico ſemper in argillis praeſenti adſcribit, experimenta ſuper calcinatione vaſorum in vaſis clauſis promittunt.

7. Cl.

*) Enarrata ſunt in diario illo notiſſimo Gazette de france, lundi 11 Maii 1772.

**) Avant-coureur, lundi 4. Mai 1772 n. 18.

7. Cl. ROVELLE *de praeſentia alcali mineralis* p. 86.
*in vegetabilibus*, *et de modo idem abſque ignis ope obtinendi*, qui ſatis ſimplex eſt, et nonniſi maceratione ac digeſtione ſufficientis copiae plantae cuiuſdam in gradu caloris, qui minor ſit quam aquae ebullientis, addita aqua cum minima portione acidi mineralis cuiuſcunque abſoluitur; ſuccus expreſſus, euaporationi relictus, cryſtallos praebet iis ſimiles, quas coniunctio ſodae cum acido quodam minerali largitur. Hunc mineralem aeque ac vegetabilem ſalem alcalinum fixum, itemque acidum triplex minerale, quae omnia regnum vegetabile ſubminiſtrat, non heterogenea eſſe, ſed aeque ac reliqua principia vegetabilium, opus vegetationis ipſius, cum propria experientia tum aliorum Auctorum teſtimoniis Noſter compertum habet.

Inferius inuentionis huius alcali fixi ſine igne p. 265.
gloriam Cl. MONTET ſibi vindicat, qui illud in *Salſola kali* detexit et in ſcriptis academiae regiae ſcientiarum propoſuit *).

Menſe Februario:

1. *Continuata epitome tomi ſecundi tranſactio-* p. 99
*num Londinenſium.*

2. Cl. IADELOT auctorem anonymum **), p. 122.
qui ſyſtema Cl. DE LAMVRE defendit, refutat.



*) Mém. de l' Acad. Roi. des ſciences, Année 1762. Idem detexit Cl. MARCORELLE vid. mém. de Math. et de phyſ. préſentés à l'Acad. par des Sc. v. p. 13. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 25.

**) Reflexions ſur le ſyſtême de M. DE LAMVRE, touchant le battement des arteres, qui tractatus ſubiunctus eſt libro: Obſeruations ſur le cacao et le chocolat cet. à Paris 1772. 12. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p 314.

Hanc hypotheſin et quae Noſter eidem obiecerit, aliis locis commemorauimus *). Defenſor Cl. DE LAMVRE eius quidem ſyſtema amplectitur, ſed conuerſionem cordis cauſſam eſſe motus arteriarum, negat, hancque in ſolo motu ſpaſtico membranarum neruearum et muſculoſarum vaſorum arterioſorum, ab actione ſanguinis ceu ſtimuli orto, ponendam exiſtimat. Noſter autem regerit, ſi haec ſubeſſet cauſſa, ſpaſmum hunc non niſi per interualla agere debere; praeterea, licet actio organica his partibus aeque ac aliis mollibus corporis viui nequeat denegari, tamen nec fibras muſculares in iiſdem vmquam detectas eſſe, nec irritabilitatis eſſentialis fibrae muſcularis characteris, veſtigia quaedam apparuiſſe: ſolum igitur impulſum ſanguinis ad latera vaſorum ſenſum pulſationis digitis percipiendum producere.

p. 129. 3. Cl. EMMANVEL *de vſu vomitoriorum in grauidis*, aduerſus Cl. BONNAVD **). Exempla ab hoc adducta id vitii habent, quod aegrae omnes, ſeu nuptae fuerint, ſeu innuptae, grauiditatem diſſimulauerint, ideoque emetica largius exhibita, quid quod ab aegris ipſis vehementiora adhuc remedia ad abortum ciendum vſurpata fuerint. Monet autem Noſter, vomitum non niſi tunc iuuandum eſſe, quum ventriculus impuritatibus ſcatet: ſymptomaticum vero vel ſanguinis miſſione, vel ſedantibus cet. compeſci oportere. Addit exempla nonnulla felicis effectus vomitoriorum in grauidis; aliquando tamen, ſynocho putrida in ſeptimo vel octauo grauiditatis menſe accedente, abortus motus

*) Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 275. ſeqq. et Vol. XIX. p. 541. ſeqq. 314.

**) Iournal de médecine ſupplément à l' année 1770, deuxieme cahier 127. comm. noſtr. Vol. XX. p. 65.

tus eſt, matre tamen ſeruata. In quadam, quae grauiditatem occultauerat, non tantum vena crebrius ſecta, ſed etiam emetica et emmenagoga fortiora adhibita, fetui tamen non obfuerunt. In alia femina, dyſenteria laborante, ipecacuanhae doſes minores per quatuor vel quinque dies continuos exhibitae effectum ſperatum ediderunt. Tandem aſſerto Cl. BONNAVD, vomitum ſemper eſſe motum conuulſiuum ventriculi, muſculorum abdominalium et diaphragmatis, effatum Cl. LIEVTAVD opponit, ſolummodo ventriculum et inteſtina eodem affici.

4 et 5. *Epiſtola* Cl. LE BLANC *ad* Cl. BEAVSSIER DE LA BOVCHARDIERE *de lithotomia*, huiuſque ad eam reſponſio. Cl. BEAVSSIER ſuperiore anno *) ſiniſtrum euentum lithotomiae, quam ipſe reformidauerat, a FRATRE COSMO ſuſceptae, enarrans, interrogauerat, vtrum ſectio calculi tunica incluſi ſub quacumque rerum conditione tentanda, an potius aeger ſuo fato relinquendus ſit? Cl. LE BLANC diſtinguit calculos tunicae tantum inhaerentes, vti gemma palae (*pierres chatonnées*), ab iis, qui cum tunica ambiente et veſica ipſa coaluerunt (*enkyſtées*). Differentiam hanc tactus, exploratione per ſpecillum inſtituta, atque adeo ſonitus, ſpecillo in calculum nudum impingente, euincunt. Si porro digitus ano vel vaginae immiſſus ſuperficiem calculi inaequalem detegit, probabile eſt, illum productionibus (*brides*) membranaceis ſuper eum decurrentibus firmari, ideoque extractio tentari cum ſucceſſu non poteſt. Idem iudicium ferri oportet, ſi digitus explorans calculum attingere nequit, verſus fundum veſicae collocatum p. 147.

catum

*) Tom. XXXVIII. p. 350. comm. noſtr. Vol. XX. p. 653.

catum. Cl. Auctor, per viginti quinque iam annos lithotomiam exercens, ſe propediem ſynopſin operationem chirurgicarum editurum pollicetur, in qua deſcriptio huius operationis et inſtrumentorum, quibus ipſe in eadem vtitur, vberior contineatur.

p. 341. Poſtea FRATER COSMVS ipſe hanc quaeſtionem dilucidandam ſibi ſumſit. Primo ipſe operationem a ſe factam enarrat, monetque, in prima operatione, a qua deſtiterat Cl. BEAVSSIER, ſine dubio viam falſam electam fuiſſe, quia per 48 minuta quaeſitus calculus detegi non potuerat, quum deinceps FRATER COSMVS duos calculos apparatu alto adhibito extraxerit; ſuppuratio acris diutius iuſto perdurans euentum ſiniſtrum praedicebat. Exempla calculorum tunica incluſorum vel veſicae accretorum adeo rara putat, vt tria exempla, quae enarrat, vnica ex plus quam mille calculoſis, quos ſecuerit, fuiſſe pronunciet. Vidit Cl. BASEILHAC ex iuuene tres fungos exſcindentem, qui ſoliditate, odore et colore lycoperdon referebant, intus grana ſabuli cretaceae conſiſtentiae continebant doloresque acerbiſſimos creabant. Ipſe in infante eiuſmodi fungum veſicae adhaerentem, calculumque liberum felici cum ſucceſſu exſcidit. In alio viro iuniore calculos tres exemit tunicis incluſos et fibris carneis obſitos, ſine haemorrhagia, et aeger poſt inſignem ſuppurationem perfecte conualuit. Alius aeger chirurgo exploranti iam calculos perſentiſcendos, iam non detegendos, obtulit; poſt mortem inuenti ſunt plus quam triginta, ſuperficiei politae, quorum vnus ouum columbinum, reliqui fabam magnitudine aequabant; hi omnes liberi pone proſtatam haerebant, expanſione fungoſa obtecti, quae impediebat, quo minus illi ad collum

veſi-

veſicae delabi poſſent. Rurſus de operatione Cl. BEAVSSIER: vſus ille eſt lithotomo occulto, ſed acie obtuſa, quod FRATER COSMVS reprehendit, ſicque inſtrumentum hoc nec collum veſicae, nec proſtatam attingere potuiſſe monſtrat, ſed tantum in contextum celluloſum ſub proſtata egiſſe, et forcipem hunc et partem inteſtini recti arripuiſſe, quod corpus Cl. BEAVSSIER pro calculo tunica incluſo habuerit et quum illud immobile deprehenderit, ab vlteriori operatione deſtiterit: Inde ſymptomata grauia, poſt operationem accedentia, et aegre tantum ſuperata; et eidem quoque cauſſae euentum ſiniſtrum repetitae operationis adſcribit. De reliquo ſectionem per apparatum altum plane periculo carere aſſerit, refertque ſe hecticum, iam per annum lecto affixum, eodem modo a duobus calculis oui gallinacei magnitudine liberaſſe, eumque ſedecim poſt operationem diebus perfecte ſanatum eſſe; vulnus veſicae cito coaleſcere, et hoc glutinato inciſionem in linea alba et integumentis breui et feliciter curari. Quae vero in ipſa operatione attendenda ſint, ex praeceptis a Cl. BASEILHAC datis *) optime ediſci. Praeterea Cl. BEAVSSIER operationem ſecundariam, cui ipſe non adſtiterit, veritati non conſentiente modo retuliſſe cet. Acriter in Academiam chirurgicam inuehitur, quae lithotomum occultum, a ſe inuentum, reiecerit, et correctiones a Cll. LE CAT et CAQVÉ propoſitas laudibus et praemiis condecorauerit **), quum tamen lithotomus ad mentem Cl. LE CAT globulo in apice

*) Iournal de Médec. Tom. XXVI. p. 528. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 326.

**) Mém. de l'acad. Roy de Chirurgie T. III. p. 623. comm. noſtr Vol. VIII. 224.

apice munitus *) a nullo practico in vſum ducatur.

p. 157. 6. Cl. LE FEBURE chirurgus obſeruationem ſimilem ei, quam Cl. AVRRAN communicauerat **), exhibet, doloris, in vertebris dorſi ſubito ſine cauſſa manifeſta apparentis, in homine ſaepius pondera grauiora geſtante; poſt aliquod tempus tuberculum in medio dorſo, nucis auellanae magnitudine, naſcebatur, ſenſim increſcens, quod Noſter poſt aliquot menſes inſtituto examine ab apophyſi ſpinoſa vertebrae ſeptimae dorſi formatum inuenit; tunc tantum extremitates inferiores paululum languebant, ſed ſucceſſiue, intempeſtiue adhibitis remediis, acceſſit paralyſis earum aeque ac veſicae et inteſtini recti, decubitus ad regionem oſſis ſacri, et alius ad partem ſuperiorem et internam femoris, multum ſeri rubelli fundentes, et aeger poſt biennium ab initio morbi maraſmo periit: ſectionem Cl. Auctor adminiſtrare non potuit.

p. 158. 7. IDEM ex inteſtino recto viri particulam oſſis bouis, ſpongioſae fabricae, 13 lineas longam et 7 latam, felici cum ſucceſſu excidit.

p. 160. 8. Cl. PEVFFIER *de fractura complicata oſſium faciei* in octogenario ab equo percuſſo, quae os maxillare vtriusque lateris, zygomaticum ſiniſtrum, vomerem, naſum, et vtrumque oculum tangebat; aeger, vulnere fere conſolidato, ex accidente ſingulari die poſt laeſionem vigeſimo ſexto moriebatur. Mirum erat, inde a momento laeſionis ſaliuam plane defeciſſe, vnde tanta oriebatur linguae gulaeque ſiccitas, quae vel liquidorum ad-

eo

*) Deſcriptus in EIVSDEM ſecond recueil, qui contient la deſcription de pluſieurs lithotomes compoſés cet. à Rouen 1752. 8. p. 405.

**) Journal de Médic. Tom. XXXVII. p. 250. Comm. noſtr. Vol. XX. p. 649.

eo alimentorum vſum prorſus non admitteret: quare clyſmatibus aeger nutriebatur. Hoc ſymptoma ſtupori, alias nonniſi in vulneribus ſclopetariis obſeruando, maximam partem Noſter adſcribit.

9. *Epiſtola* Cl. IOVRDAIN *ad* Cl. LEVRET *de labio leporino connato*, occaſione tractatus, quem hic antea in hoc diario exhibuerat*). Originem huius vitii in imaginationem matris coniicere, dubium videtur Noſtro, qui potius nimis compreſſum fetus ſitum in vtero, pugnis verſus os oppreſſis, illud efficere putat, ſiue is a nimis exigua extenſione vteri ipſius, ſiue a compreſſione per veſtimenta profectus fuerit. Labia proprie ſuctionem non praeſtant, ſed tantummodo lactis effluxum ex ore impediunt. Ergo in labio leporino ſimplici infans lacte ex mammis ſucto, ſi res rite peragatur, omnino ſuſtentari poteſt, quod numeroſis adultorum exemplis Noſter comprobatum vidit, operatione nulla ſubiectorum. Haec, ſi ſolam vnionem labiorum ſpectat, coniunctionem palati oſſei praeſtare nequit, quae potius a ſola expanſione maxillae per dentes ſecundarios inciſiuos, atque inprimis molares ſi non ſemper, ſaltem in quibuſdam caſibus, exſpectari debet. Ad corrigenda incommoda, a deprauato vomeris ſitu metuenda, commendat tenuem laminam auream hiatui imponendam, cui filum aureum adiunctum ſit in duas partes abiens per nares et exterius ſuper vtramque genam ducendum et iuſto modo firmandum; ſpongiam ſimplici filo inſtructam, fini propoſito ſatisfeciſſe et ſuctionem iuuaſſe, iam experientia didicit. p. 163.

Ad hanc epiſtolam poſtea Cl. LEVRET reſpondet. Situm fetus mutationem hanc praeternaturalem p. 543.

*) Journal de Méd. Tom. XXXVII. p. 246. comm. noſtr. Vol. XX. p. 646.

ralem efficere non poſſe ex eo patet, quod in primis grauiditatis menſibus compreſſio talis, qualem Cl. IOVRDAIN deſcribit, ob inſignem copiam liquoris amnii, embryonem minoris molis circumdantem, locum non habet, et ſitus in vltimis grauiditatis menſibus talis non eſt, qualem ille aſſumit: praeterea compreſſio aſſumta velum palatinum diuidere non poteſt, quod aliquando ſolum, ſine labio leporino aut diducto palato oſſeo, animaduertit Noſter. De officio labiorum in ſuctione conſentit cum Cl. IOVRDAIN. Sed de vſu faſciae vnientis ad vniendum palatum oſſeum plane conuictus eſt, neque, niſi labiis integris, ſoli naturae negotium hoc committi poſſe docet: meliorem etiam ſpem felicis curationis in infantibus teneris affulgere, quum lamina cartilaginea oſſibus maxillaribus interpoſita mollitie ſua gaudeat, quam quum, corpore perfectum incrementum adepto, eadem oſſeam naturam acquiſiuit; exempla, quibus innitatur Cl. IOVRDAIN, eius indolis eſſe, vbi labium leporinum ſimplex non adfuerit; auxilio ab hoc propoſito magis diſtendi oſſa maxillaria, ideoque vitium augeri magis quam corrigi, cet. Faſciam vero vnientem a Cl. GVESNAI inuentam, cuius applicationem Cl. DE LA FAYE deſcripſit *), et quam in antecedente iam commentario commendauerat, nunc iterum vt optimum auxilium laudat.

p. 178. 10. Cl. MOLMY *de puella, quae tertio aetatis anno ex infortunio genitalia torre ambuſſerat*, et cuius ſoror laeſionem modo ſatis ſimplici, ſed eo euentu tractauerat, vt non tantum labia externa inter ſe coaleſcerent, ſed etiam femora ipſa ſuperius liga-

*) Mém. de l' acad. Roy. de Chirurgie T. I. p. 605. ſeqq.

ligamento admodum elaſtico, pollicem lato coniungerentur. Clitoris multum prominebat, ſolito maior, nonnihil conſtricta, in lateribus quaſi depreſſa; ſuper hac orificium, paruum ſtilum admittens, ex quo vrina, adſcendere coacta, proſiliebat, vt in viris. Pone labia conglutinata paruus canalis erat, in fiſtulae ſpeciem prope foſſam nauicularem deſinens, per quam guttae aliquot vrinae effluebant. Octauo aetatis anno abſceſſus vrinarius, in perinaeo prope anum formatus opem Auctoris noſtri poſtulabat, qui ligamento cutaneo aeque ac labiis coalitis diſciſſis, iuſtam curationem praeſtabat. Canalis iſte aeque ac orificium vaginae ſabulo adeo ſcatebant, vt acies ſcalpelli prorſus inde obtunderetur.

II. Cl. BOVRIENNE *ſingularem effectum vulneris ſclopetarii* refert. Miles in praelio glande plumbea tangebatur, quae per medium partis ſuperioris muſculi deltoidei ſiniſtri vſque ad baſin acromii penetrabat: quae quum detegi eximique non poſſet, res ſucceſſui temporis relinquebatur. Tertio die febris vehementius accedebat, cathartico ſumto rurſus miteſcens, ſuppuratio rite ſuccedebat, et omnia aegrum ſeruatum iri promittebant, quum ſubito die duodecimo pleuritis cum ſymptomatibus funeſtis accederet, aegrum die decimo ſexto, omni licet adhibita opera, tollens. Sectione inſtituta detegebatur glans, ictu applanata, inter acromion, cuius baſis fracta erat, et apophyſin coracoideam inclauata, ac tertia coſta vera in medio diffracta, cuius fragmentum pleuram dilacerauerat et vna cum pulmone inflammauerat, ita vt in vtroque pectoris cauo ſatis inſignis copia puris haereret. p. 181.

Menſe martio:

p. 195. 1. *Epitome actorum philoſophico -- medicorum ſocietatis academicae ſcientiarum principalis Haſſiacae* *).

p. 215. 2. *Epiſtola* Cl. GVILLEMANN *filii, ſuper effectu morſus caniculae rabidae in aliquot hominibus obſeruato.* Quinque pueri et vna femina, quantum reſciſci poterat, mordebantur: femina laeſionem dentibus inflictam ipſa certe ſatis affirmare nequibat, neque auxilium exigebat; pueri autem protinus a cognatis in mare immerſi hoc remedio ſeruati putabantur, praeter vnum, qui eodem caruerat, et aeque ac alius, at regularum praeſcriptarum negligentiſſimus, ab Auctore noſtro frictionibus mercurialibus, ſingulo mane ad ʒj vnguenti, quod mercurii dimidiam partem capiebat, veſperi balneo tepido, et ſi opus erat, per noctem emulſione, per diem vero potu refrigerante copioſiore, ac verſus finem turpetho minerali parca doſi et rarius exhibito, ſeruabatur: vbi mirum erat, vulnera inflicta, licet omnia tentarentur ad ea aperta ſeruanda, tamen multo citius coaluiſſe, quam ſub alia quauis conditione expectari potuiſſet. Duo alii pueri quadrageſimo poſt laeſionem die, quum antea res plane neglecta eſſet, hydrophobia corripiebantur, et miſere alter tertio, alter quarto die ſuccumbebant. Quintus a vigeſimo quinto die febre affligebatur, Noſtrique auxilium quadrageſimo octauo die poſtulabat; qui vero quum cognatum conſiliis a ſe datis importune repugnantem flectere non poſſet, protinus a negotio abſtinebat, neque ergo euentum morbi reſciſcere poterat.

3. Cl.

*) v. comm noſtr. Vol. XIX. p. 370.

3. Cl. MARESCHAL DE ROVGERES *reflexiones quaſdam de variolis* communicat. Praemiſſis quibusdam cogitatis, iisque omnino veriſſimis, de damno, quod ex praeceptis popularis medicinae iam adeo ſollemnibus, quamquam praeter voluntatem Auctorum, redundat, tractatum Cl. TISSOT de variolis, ex notiſſimo illius libro, *Avis au peuple*, diiudicat, aſſertum eius, variolas numquam redire, multum limitat, ſeipſum plus quam viginti aegros in vnico oppido *Lamballe* iiſdem mortuos meminiſſe notat, et poſtmodum variis aliis exemplis Cl. TISSOT ſibi ipſe repugnaſſe monſtrat, quum nonniſi praecepta generalia exhibere voluerit, v. c. in praeparatione, in calidi vel frigidi regiminis vſu cet. In fine vero ipſum in editione tertia iſtius libri hinc illinc mentem ſuam mutaſſe concedit. p. 240

4. *Experimenta quaedam chemica a Cl.* ROVELLE *inſtituta.* Serum lactis absque cremore tartari paratum, ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſatum et in loco frigido repoſitum, ſaccharum lactis praebet; quae operatio ſi tertia vice repetitur, ſal iſte cryſtallos aliquot ſalis febrifugi SYLVII admiſtas largitur. Liquor remanens ſeu muria *(eau - mere)* multum ſubſtantiae mucoſae continet, facileque in gelatinam çogitur et adfuſo acido vitriolico parum concentrato, ſub leuiori efferueſcentia vapores acidi ſalis marini ſpargit, quod etiam euenit, ſi idem illud acidum ſaccharo lactis vltimae cryſtalliſationis ſuperfunditur. Saccharum lactis deſtillatum largitur parum phlegmatis, poſtea acidum oleum, remanente denique capite mortuo ponderoſo, ſimili ei, quod a deſtillatione mellis, mannae et ſimilium remanet, et calcinatum cineres paucos (ex libra vix drachmam dimidiam) nigros praebet, p. 250.

 qui

qui elixati ſyrupo violarum viridem colorem conciliant, ſed cum acidis non efferueſcunt. Saccharum lactis combuſtum et calcinatum ex libra integra non niſi grana viginti quatuor cinerum iſtorum praebet; cryſtalli vltimae cryſtalliſationis, aeque ac muria, itidem pauciſſimum alcali fixum, ſed praeterea partem aliquam ſalis febrifugi offerunt. Tandem experimenta quaedam ad demonſtrandam ſummam ſimilitudinem ſacchari lactis et communis ſacchari candidi. Lactis vaccini menſurae (*pintes*) viginti quinque ad ſiccitatem inſpiſſatae ac dein combuſtae, carbone elixato praebent materiam ſalinam ponderis nouem drachmarum cum quadraginta octo granis, ex quibus Noſter ſeſquidrachmam vel drachmas duas ad ſummum alcali fixi vegetabilis obtinuit: reliquum erat ſal febrifugus. Hae experientiae repugnant Cl. BAVMÉ, qui ex ſero lactis vaccini verum ſalem marinum ſe obtinuiſſe tradidit *).

De amylo Cl. BECCARI, qui primus illud chemice diſquiſiuit **), eo potiſſimum fine, vt illud cum ſubſtantia glutinoſa cerealium compararet, quodammodo deceptus eſt, quum in vtroque duplex oleum, leuius et grauius, ſe detexiſſe tradat, eo diſcrimine, vt in amylo acidum, in ſubſtantia glutinoſa alcali volatile adiunctum eſſet: ſiquidem, ex mente Noſtri amylum nonniſi oleum graue, et ſubſtantia gelatinoſa nonniſi leue, ſpiritui alcalino volatili ſupernatans, largitur. Experimentis captis didicit, in eodem vere ineſſe ſubſtantiam dulcem nutrientem, eamque ex ipſo maximam partem compoſitionem panis ingredi.

Glutino-

*) Manuel de Chymie p. 426. Elemens de Pharmacie, ſecond. edit. p. 211.

**) Inſtit. Bonon. v. comm. noſtr. Vol. II. P. I. p. 122 ſeqq.

Glutinoſa haec ſubſtantia, quam hucuſque tantum in farina cerealium praeſentem crediderunt, nutriens, a Noſtro vegeto animalis vocata, in aliis etiam vegetabilibus adeſt, modo admodum ſimplici demonſtranda; in lac tranſit, et eiusdem partem caſeoſam conſtituit; et haec ipſa pars, a lacte ſeparata, ſubſtantiam glutinoſam farinae iterum refert. Vtraque igitur ſubſtantia adeo vna eademque eſt, vt ea ex farina etiam odorem caſei referat, quod iam ex obſeruatione Cl. KESSELMEYER innotuit.

Vnciae duodecim formicarum nonniſi vnam vel ad ſummum duas guttas olei eſſentialis deſtillatione, neque maiorem copiam expreſſione obtulerunt: an copia eius in regionibus magis borealibus ideo maior, quia in his maior arborum reſinoſarum copia? Ex apibus et muſcis acidum et oleum eſſentiale prorſus nullum, ſed tantum alcali volatile Noſter obtinuit, et ſi ex apibus vnquam acidi quicquam obtineretur, id potius a deglutito melle deriuandum putat. Faecula ſeu pars viridis tingens plantarum, quam frater Cl. Auctoris primus detexit et cum reſina comparauit, vere reſina non eſt, licet in menſtruis oleoſis ac ſpirituoſis ſoluatur; ſed igne nudo tractata, producta materiis animalibus ſimilia praebet. Ex aliis plantis v. c. rore marino, ſicca et acida obtinetur, ex aliis v. c. cicuta, mollis et flexilis, reſinae recenter praecipitatae ad inſtar.

5. Cl. LE NICOLAIS DV SAVLSAY *duas obſeruationes de polypo vteri communicat*: alter erat craſſitie oui gallinacei, ſed longior; alter ad minimum duplo maior: deligatio in vtroque adeo felici euentu adminiſtrabatur, vt ſanitas ambarum aegrarum, multum iam labefactata, in integrum p. 266.

 reſtitue-

reſtitueretur, adeoque altera poſtea infantem vivum et vegetum pareret.

Sub finem Cl. LEVRET invitat ad ſoluendam quaeſtionem chirurgico legalem: femina partui proxima chirurgum aduocari iubet, qui brachium fetus prodiiſſe inuenit, in quo nulla vitae ſigna detegere poteſt; poſt multos irritos labores illud reponendi et partum agripparum efficiendi, matre interea ad incitas redacta, quum placentam ſolutam ſuſpicaretur, ideoque praeſentiſſimum periculum pertimeſceret, vrgente ipſo marito tandem brachium amputat, fetum vna cum placenta, vti praeuiderat, ſoluta, funiculo collo circumiecto, extrahit, et adeo fauſto cum ſucceſſu operam ſuam adhibet, vt et matris et fetus vita ſeruaretur. Quaeſtio hinc exiſtit, num chirurgus ob id auxilii genus taxandus ſit, aut a patre ad ſuſtentationem mutilati infantis cogi queat?

p. 336. Cl. LEVRET hunc chirurgum defendit, quod id nonniſi praeſentiſſimo periculo prius expoſito, et conſtanti demum patris deſiderio adactus, hanc operationem ſuſceperit *).

p. 275. 6. Cl. SYLVESTRE *de fractura brachii.* Homo iuuenis adhuc et robuſtus, truncum arboris a curru dimoturus, ab hoc delabente ita laedebatur, vt humerus ad pollciis diſtantiam ab articulatione ſuperiore frangeret, extremitate vtraque fracti oſſis per brachium tranſeunte et pectus ipſum laedente, vt

*) vid. proluſionem academicam, de mortis ſignis attente explorandis ſpecimen ſecundum. Auctore ANTONIO GVILIELMO PLAZ Ordinis medici Lipſienſis Decano. Lipſ. 1766. 4.

vt nimis larga ſuppuratio naſceretur. Chirurgi tres ſucceſſiue vocati, poſt multos diu incaſſum adhibitos labores, amputationem vrgebant, quae recuſabatur; tandem agyrta inconuenienti pinguium et faſciae arctioris, egreſſum puris impedientis, applicatione rem eo deduxerat, vt Noſtri auxilium expeteretur, qui apertis ſinubus depuratiſque vlceribus, ac reſecto quicquid carie corruptum erat, fracti oſſis partes in aptum ſitum reducebat, et iuſto medicamentorum externorum atque internorum (praecipue corticis Peruuiani) vſu adhibito, intra viginti ſeptem dies aperturam primam et tredecim, quas ipſe fecerat, conſolidabat: aeger ipſe per duos adhuc menſes ferulas applicatas geſtabat, et tertio menſe nondum plane elapſo perfecte conualuerat.

Menſe aprili:

1. *Epitome partis ſecundae opuſculorum chirurgicorum* Cl. MORAND *). p. 291.

3. Cl. DELACROIX *funeſtum effectum opii in clyſmate exhibiti* deſcribit. Chirurgus feminae ſexagenariae, alias ſanae, ob colicos dolores clyſma emolliens, adiunctis granis duobus opii (quantum ipſe confitebatur) exhibebat, vnde protinus, obnubilatio capitis, ſopor, rhonchus, pulſus magnus, reſpiratio laborioſa, ſpaſmus maxillae et gulae, tuſſis ab ingeſtis cum ſumma difficultate liquidis, vomitus materiae viridis, abdomen potiſſimum circa vmbilicum tenſum, denique pulſus debilis, intermittens, et poſt duodecim circa horas mors ſequebatur. Caſtoreum cum in clyſmate emolliente, p. 313

 tum

*) Opuſcules de Chirurgie, par Mr. MORAND. Seconde Partie. Paris 1772. 4.

tum eius tinctura in aqua florum naphae interne exhibita, vt effectus opii corrigerentur, nihil praeſtabat. Cadauer foetorem inſolitum, ac ſi morbus putridus praeceſſiſſet, ſpargebat, et ex ore naribusque ſpuma alba emanabat. Alia femina poſt aſſumtam ex errore magnam laudani liquidi doſin intra ſeptem horas mortua, elapſis quatuordecim horis cultro anatomico ſubiecta, celerrima putredinis ſigna exhibuit.

p. 317. 4. *Obſeruatio de grauiditate ventrali*, Auctore Cl. CHARNAVX. Poſt diuturnum morbum, quo durante ſubinde partes oſſium fetus per inteſtinum rectum excretae fuerant, tandem femina, praegreſſa obſtructione alui pertinaciſſima, moriebatur. Sectione inſtituta, apparebant inteſtina cum inter ſe, tum cum omento, peritoneo et muſculis abdominalibus a praegreſſa inflammatione firmiſſime coniuncta, ileum et colon coloris ex viridi nigricantis, rectum perforatum, cui inhaerebant integrum os parietale, et occipitale ac coronale ſingulum in duas partes diuiſum, quae omnia faecum exitum plane denegauerant; cauum abdominis ſanie purulenta repletum; vterus ſanus, profunde in peluim detruſus, contractus, durus, hydatidibus obſeſſus; tuba Fallopiana dextra prorſus deſtructa, ouarium ſiniſtrum elongatum, diſtentum, et ad omnem fere longitudinem apertum: in hoc ergo conceptionem et formationem fetus factam fuiſſe vero ſimile eſt, cuius aetatem, quum moreretur, ex oſſium dimenſione intra tertium et quartum menſem ponit Noſter.

p. 364. 7. *Obſeruatio de curatione herniae cruralis incarceratae*, Auctore Cl. DOVRLEN. Femina laborioſi vitae generis herniam per aliquot iam dies celauerat

lauerat, quae interea mira incrementa ceperat: ſymptomatibus ſummopere auctis, quum per aliquot dies repoſitio fruſtra tentata eſſet, tandem Noſter integumenta incidit, vbi diſciſſa vaſa varicoſa multum ſanguinis fundebant: ſaccus hernioſus craſſus erat, cui omentum adhaerebat; inteſtinum liuidi coloris multum expanſum erat, quod digitis duobus retineri oportebat, quibus ſpecillum incumbebat, ſuper quo ligamentum incidebatur, quo facto ſerum odoris lixiuioſi effluebat, cuius duabus circa menſuris emiſſis inteſtinum reponi poterat, ablatis adhaerentiis omenti, et poſtea deligatio ita adaptabatur, vt effluxus fluidorum in cauo abdominis haerentium promoueretur: ſerum lactis cum ſyrupo violarum, protinus poſt operationem exhibitum, deiectiones billioſas cum leuamine efficiebat, et febricula tertio ab operatione die accedens, eadem euacuatione praeſtita, euaneſcebat; rheumatiſmus poſtea accedens, et inprimis muſculos pectoris ac dorſi infeſtans, paregorico verſus veſperam per duos dies ſumto diſparebat: et ſic femina intra menſem perfecte ſanata fuit.

8. *Obſeruatio de quibuſdam connubiis acidi tartari cum creta et quibuſdam calcibus metallorum*, Auctore Cl. ROVELLE. Cremor tartari cum creta pura, vel quod melius eſt, cum magneſia ex muria nitri praecipitata coniunctus, ſalem neutrum format, vix ſolubilem, cryſtallorum irregularium; remanet tamen pars quaedam, non combinata cum acido tartari, quae fere penitus ope aceti vini inde ſeparari poteſt. Similia fere phaenomena combinatio acidi tartari cum calce plumbi praebet, inde ſaepe gelatina pellucidiſſima oritur. Contra ſi tartarus emeticus ex cremore tartari et vino antimonii paratur, pars quaedam alcali fixi in tartaro la- p. 369.

tentis eo ipſo momento, quo cum ſulphure antimonii ſe coniunxit, iterum ſeparatur, et in lixiuio ſuperſtite deprehendendum ſalem medium format; ſimiliter acidum tartari liberum redditum cum portione quadam calcis antimonii rurſus iungitur, et itidem ſalem neutrum conſtituit. Alia rurſus phaenomena ex coniunctione cremoris tartari cum ferro obtingunt, quorum enarrationem alii occaſioni reſeruat Cl. Auctor. Tartarus albus crudus minus alcali fixi et plus terrae, quam ruber, largitur; haec terra parum argillae continet.

p. 373. 9. *Experimentum de regeneratione cremoris tartari ex acido ipſius*, Auctore Cl. ROVX. Cremore tartari ſal acidum nitroſum, absque addita creta, ſoluto, liquor acidus ſuper cryſtallis ex acido nitri et alcali tartari formatis natas, qui aqua parum dilutus affuſo alcali vegetabili liquido efferueſcit, et puluerem album copioſum demittit, qui poſtea verum cremorem tartari regeneratum ſiſtit; liquor ſupernatans euaporatus paucas cryſtallos tartari, et aliquot cryſtallos veri nitri largitur.

p. 374. 10. Cl. MARCHAN in femina, cui ante triennium in vtroque oculo cataracta depoſita fuerat, vidit iridem et vueam dextri oculi plane deſtructam, pupillam figurae oualis et iuſto maioris, lentem diviſam, cuius fragmenta aeque ac humor vitreus, inflammatione interna opacus redditus, cameram anteriorem implebant; oculus ſiniſter vero non vitiatus, ſed ab aſcendente iterum lente vſu ſuo priuatus, eius extractionem permittebat, quae etiam ita feliciter peragebatur a Noſtro, vt ſectione corneae vix facta lens egrederetur, et aegrae viſus reſtitueretur.

Menſe

Menſe maio:

1. *Epitome operis cuiuſdam* Cl. GARDANE *). p. 387.

2. *Epitome* PAVLI IOSEPHI BARTHEZ, Med. p. 393.
Prof. Reg. *orationis academicae: de principio vitali hominis* cet. **).

3. Cl. RICHARD *fetum monſtroſum* deſcribit. p. 405.
Femina in iuſto partus tempore in lucem edebat filium bene conformatum, et duas filias inter ſe coalitas, omnes viuentes: haec coalitio a parte anteriore colli incipiebat, ita vt antrorſum vnum pectus et vnum abdomen vſque ſub vmbilicum conſpiceretur; vnicum ſternum, vnicus funiculus vmbilicalis, poſt ingreſſum in abdomen diuiſus, duplex hepar, quatuor renes, duplex canalis inteſtinorum. Viſcera thoracis et ventriculus ablata erant a chirurgo, qui cadauer ex ſepulcro effoſſerat. Duo capita faciebus ſe reſpiciebant; collum a poſteriore parte duplex; duplex etiam ſpina dorſi; partes infra vmbilicum perfecte ſeparatae; duo brachia ſitu naturali, ſed inter duplicem ſpinam dorſi tertium, duplici metacarpo manuque inſtructum, ita, vt pollex dexter ſiniſtrum attingat. Monſtrum hoc Auctor Noſter Cl. BON-AMY transmiſit, qui illud delineandum curauit et in ſpiritu vini conſeruauit.

4. *Epiſtola* Cl. DVBOSA DE LA ROBERDIE- p. 409.
RE *ad* Cl. LE GAVDV DE CHEFDVBOIS, *ſuper effectibus ſuppreſſionis menſtruorum.* Virgo chlorotica,

*) Manière ſure & facile de traiter les maladies vénériennes; par I. I. GARDANE cet. à Paris 1773. 12.

**) Prodiit Monſpelii 1773. 4.

tica, menſtruorum ſuppreſſione per ſex menſes laborans, cephalalgia atroci cum ſudore totius corporis corripiebatur, quibus poſt paucos dies dolor acutus omnium membrorum accedebat, praeſente ſimul ponderis ac doloris ſenſu in hypochondrio ſiniſtro: Noſter aduocatus *pulſum criticum ſudores praenunciantem* animaduerſus, a venae ſectione abſtinebat, et copioſum potum ex decocto hordei acidulato, interpoſito infuſo florum ſambuci, praeſcribebat, membraque pannis calidis inuoluenda praecipiebat, aluumque clyſmate, altero die repetito, liberam ſeruabat. Tertio die dolores recrudeſcentes, pulſus contractus et frequens, venae ſectionem exigebant; prioribus remediis veſperi pediluuia addebantur. Altero die aluus infuſo rhei et manna ſollicitabatur, vnde aliquot deiectiones bilioſae efficiebantur: ſed breui poſt anxietates ſummae, dolor in regione epigaſtrica ſemper increſcens, ac denique vomitu ſanguinis nigricantis, foetidi, quem poſtea liquidus et roſeus excipiebat, ſequebantur. Idem vomitus altero die redibat, ſed, hoc finito, omnia ſymptomata, adeoque dolor et tumor articulorum, ceſſabant. Inde a purgatione pulſus, exceptis momentis anxietatis, *inteſtinalis* erat, et tertio die *ſuperior* reddebatur, ad *pectoralem* accedens, et tunc tuſſis, a praecedente die adeo acris, vt reſpiratio a materia corrodente interciperetur, et potione oleoſo dulci et mucilaginoſa indigeret, vere ſputum coctum reddebat. Tertio die *inteſtinalis* redibat, cum torminibus et deiectionibus bilioſis; repetita demum purgatio morbum terminabat. Ex his omnibus Noſter veritatem diuerſitatum pulſuum a Cl. DE BORDEV ſtabilitarum demonſtrat.

5. Cl.

5. Cl. BERNARD - DESCARIERES ſuppreſſionem menſtruorum purgantibus, amaris, martialibus et plurimis huius cenſus remediis fruſtra impugnauit; denique aquam martialem artificialem ex ſalis Epſamenſis ℥iij, vitrioli martis gr. xj et aquae puriſſimae. ℔ j parauit, quam euacuatis antea primis viis, primo die ad dimidiam, et ſequentibus diebus ad integram doſin exhibuit, vſu continuato, quam diu neceſſarium videbatur; adiuncto regimine aliorum fontium medicatorum vſui ſollemni, et plurimo exercitio corporis. Eodem quoque medicamento in aliis morbis, qui aquas ſoterias poſcebant, cum inſigni ſucceſſu vſus eſt. p. 416.

6. Cl. THOMASSIN *obſeruationem de luxatione carpi cum ruptura ligamenti* communicat. Puer in lapſu ab equo carpum ſiniſtrae manus extrorſum luxauerat, ita vt extremitas inferior radii per tegumenta in parte interna carpi, inter arteriam radialem et coniunctionem tendineam flexorum carpi et digitorum emineret, cubito ſub muſculis et prope os vnciforme ſito. Cl. Auctor, poſt viginti quatuor demum horas vocatus, quum omnia vehementer intumuiſſent, vulnus ampliauit, et repoſitione radii facta, ſub extenſione ſufficiente carpum repoſuit, oſſe cubiti durante operatione coniunctim tenendo, quae vero operatio non minus laborioſa erat, quam dolorifica. Vulnus linteis carptis, ſpiritu vini et aqua imbutis, impleuit, et antibrachio lintea complicata et faſciam octodecim capitum, applicuit, hisque capitibus duas ferulas minores flexiliſſimas, vnam in ſingula facie carpi, interpoſuit omniaque reliquo apparatu firmauit. Grauior tamen inflammatio et ſubſequens ſuppuratio curationem difficilem reddebant, quae tandem p. 422.

dem

dem poſt duos menſes, nulla tamen accedente exfoliatione, praeſtabatur, ita vt liber motus eſſet, et tantum tumor ſatis manifeſtus, ſed moleſtia carens, ad extremitatem radii relinqueretur. Ex quo caſu ſimul Cl. PETIT ſententia refutatur, qui diductionem oſſium cubiti impoſſibilem exiſtimauit.

p. 426. 7. Cl. BOVNENNE in milite vulnus ſclopetarium, quod per totum collum veſicae vrinariae tranſierat, ita vt glans, ſuper ſymphyſi oſſium pubis ingreſſa, inter tuberoſitatem oſſis ilei et apophyſin tranſuerſam vltimae vertebrae lumborum exiiſſet, feliciter intra tres menſes ſanauit. Catheterem nonniſi poſt ſex ſeptimanas, inflammatione et tumeſcentia prorſus diſſipatis, applicare ideoque vrinam, quae per totum hoc tempus tantum ex vulneribus effluxerat, in viam naturalem reducere poterat. Quod finem curationis retardabat, erat exigua portio oſſis pubis, qua educta cicatrix bene claudebatur. Hoc in caſu vrina in contextu celluloſo non effuſa erat, qua liber ei ex vulneribus exitus patebat: prius autem ſi vmquam contingeret, nullo alio auxilio locum eſſe monet Noſter, quam punctura veſicae in perinaeo, quum tunc temporis, turgentibus partibus omnibus, catheteris applicatio impoſſibilis reddatur.

p. 432. 8. *Epiſtola* Cl. MARTIN *ad* Cl. PIETSCH, in qua duabus adductis obſeruationibus monſtrat, methodum BELLOSTII oſſa denudata perforandi eorum exfoliationem non praeuertere, et nonniſi ſeparationem poſtea alio inſtrumento (*tire-fond*) ſuſcipiendam adiuuare. In tranſitu quaedam addit de abſceſſibus profundioribus, qui inciſi nonniſi corruptum ſanguinem fundunt, quos ideo decubitus ſanguineos (*dépôts ſanguins*) vocat.

9. Cl.

9, Cl. POVPART ad epiſtolam Cl. TOVTANT, menſe Septembri ſuperioris anni huic diario inſertam, reſpondet, et efficacitatem aquae vegeto mineralis GOVLARDI aduerſus ophthalmias duabus obſeruationibus confirmat. Simul monet, aërem temperatum ſalubriorem eſſe, quam topica vulgo oculis imponi ſolita, ſeque raro eoſdem obtegere, ſi inflammati fuerint. p. 437.

10. *Epiſtola* Cl. IANIN *ad* Cl. PELLIER, qui in diario *la Gazette ſalutaire* dicto, illum et Cl. BABELIN ad probandam methodum, qua in curatione guttae ſerenae vtuntur, prouocauerat. Noſter promiſſum, iam in celebri illo libro *) factum, repetit, ſe pluribus experimentis captis omnem hanc curationem communicaturum: ſimul autem monet, ſuam methodum differre ab ea, qua Cl. BABELIN vtatur; ſanguinis miſſionem vel ſemel inſtitutam, multo magis repetitam, periculo non carere; machinae electricae applicationem cephalalgiam intolerabilem inducere, quod ipſum Cl. DE SAVSSVRE coëgit ad abſtinendum a curatione feminae amauroſi laborantis, referente Cl. BERTHOLON in diario prius adducto. p. 440.

11. Cl. MARCHAN *obſeruationem ſuper lagophthalmia* communicat. Morbus poſt abſceſſum, diuturna ſuppuratione magnam ſubſtantiae palpebrae partem abſumente, enatus erat. Noſter ab angulo oculi minori ad maiorem, inter ſupercilium et tarſum, inciſionem ſemicicularem efficiebat, et in eodem vulnere quater vel quinquies repetebat, p. 445.

donec

*) Mémoires & obſervations ſur l' oeil cet. cuius recenſionem vid. in comm. noſtr. Vol. XVIIII. pag. 238 ſeqq.

donec tarſi vtriusque palpebrae ſe tangerent: vulneri puluillos ex ſaturato decocto maluae expreſſos immittebat, et accedentem ſuppurationem vnguento baſilico iuuabat, motuque requiſito ceteriſque auxiliis adhibitis palpebram in ſitum ferme naturalem reſtituebat.

p. 449. 12. Gl. ROVELLE *obſeruationes ſuper aëre fixo eiuſque effectibus in aquis quibuſdam mineralibus.* Repetiit, et eodem quidem cum ſucceſſu, experimenta Cl. PRIESTLEY in tranſactionibus philoſophicis publici iuris facta*), ſub finem vero tractationis huius dolet, ſe ſingularem celeberrimi huius viri librum **) iuſto tardius conſpexiſſe, quam vt eodem vti potuerit. Loco limaturae ferri, quum hoc in ſtatu metallico raro admodum in natura occurrat ad conſtituendas aquas martiales, adhibuit mineram eius, adeo quidem macram, vt vix a magnete attrahatur, item crocos martis: vno tamen effectu, ſimili ei, quem a limatura ferri obtinuiſſe Cl. LANE, prodidit Cl. PRIESTLEY. Vapor ex ſolutione ferri per acidum ſalis ortus, inflammabilem indolem diu ſeruat, et nonniſi difficillime et quoad minimam partem cum aqua ſe coniungit, eidem tamen odorem fortiſſimum oui putridi communicat; idem vapor ex ſolutione ferri per acidum vitriolicum aeque difficulter cum aqua ſe vnit, ſed absque eiusmodi odore. Duplex eſt ergo aër fixus, alter purus, ex combinatione acidorum cum alcalinis calcareisque ſubſtantiis, ex liquoribus fermentantibus, et ex carbone euolutus; alter

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. pag. 89 ſeqq. 127. 453. 600.

**) ib. pag. 126 ſeqq.

alter inflammabilis, ex praecipitatione hepatis ſulphuris per acida, et ex ſolutionibus ferri et zinci per acidum vitriolicum et ſalis marini oriundus, aquam tranſiens, ſine eo, vt cum ea miſceatur, aut inflammabilitatem perdat, ac demum eidem ſaporem et odorem hepatis ſulphuris tribuens. Comparatio duplicis huius aëris cum illo, qui ex aquis mineralibus frigidis exit et cum illo ſulphureo, qui ex thermis v. c. Aquisgranenſibus cet. exhalat, adiuncto voto, vt chemici prope ſcaturigines harum thermarum curatius inquirant in harum exhalationum indolem, num vel inflammabiles ſint, quum in reliquis proprietatibus ſatis cum ſecunda ſpecie ante adducta aëris euoluti ſeu fixi conueniant. Simili modo mephitides duplicis indolis deprehenduntur. Vaporum hepatis ſulphuris violentiam in ſe ipſo expertus eſt Cl. Auctor: reſpiratio protinus intercipiebatur cum ſenſu dilatationis et intolerabilis ſimul ſtricturae pectoris; in aëre libero reſpiratio denique, ſumma vi adhibita, libera reſtituebatur, relicta tamen per totum reliquum diem oppreſſione et capitis grauitate.

13. Cl. MARIE refert, nobilem ſtatim poſt P. 465. prandium aliquot vulnera accepiſſe, inprimis vnum in regione epigaſtrica, et aliud in pectore, ſed vtrumque non admodum magnum. Sine moleſtis ſymptomatibus, excepta debilitate, primae horae effluebant: ſed media nocte, quum aliquot cochlearia olei amygdalarum dulcium ſumſiſſet, ſine moleſtia alimenta copioſa, cum inſigni copia ſanguinis nigri congrumati euomebat, praeſente ſimul febre et dolore ac tenſione ab epigaſtrio vſque ad os pubis. Clyſma protinus iniectum multas materias indigeſtas, ſtriis ſanguineis remiſtas, euocabat, quae vero in effectu ſubſequentis cly-

ſmatis aberant; ſanguine poſtea miſſo febris altero die euaneſcebat, et aeger poſt octiduum ſanatus erat. Hanc ſanguinis excretionem Noſter potiſſimum ſpaſmis abdominalibus, ab ingratis animi affectibus excitatis, quibus vas aliquod ſanguiferum diſruptum fuerit, curationem vero ſanguinis iacturae per vulnera inflicta adſcribit.

p. 469. 14. Cl. THOYER *obſeruatio chirurgica de vulnere capitis cum fractura cranii*, quod lapis decidens in regione media, inferiore et laterali lateris dextri oſſis coronalis inflixerat: agyrta accedens, vulnus dilataturus, arteriam temporalem diſciſſerat; ſucceſſu tamen temporis in aegro, alias robuſto et vegeto, ſolo eleuatorio admoto, varia fragmenta oſſis frontis et ſquamoſi ſecedebant, adeo vt dura mater denudaretur: omnia tamen intra duos menſes cum dimidio perfecte conſolidabantur.

p. 576. 15. Quum in praecedente menſe Cl. ROVX omnes eos prouocaſſet, qui remediorum aduerſus lumbricos in ventriculo haerentes notitiam haberent, iam primo loco Cl. LEFEBVRE chirurgus ob-
p. 472. ſeruationem de efficacitate ſequentis remedii communicat: Mercurii crudi et plumbi puri, ſingulorum ℔ij, ſimul in cochleari ferreo fundantur, tunc omnia miſceantur cum menſuris (*pintes*) ſex aquae ebullitioni proximae; addantur ſimul ſalis Epſamenſis ℥xij et ſalis nitri ʒvj; poſtea plumbum et mercurius eximantur, iterumque cum aqua miſceantur, quod vigeſies repetendum eſt; tunc liquor filtretur et lagenis bene clauſis ſeruetur. Doſis eſt quatuor cyathorum per diem, quarum prima mane, reliquae iuſtis inter aſſumta alimenta interuallis ſumi debent.

Poſtea anonymus quidam mane ieiuno ventriculo tria cochlearia olei amygdalarum dulcium, vel oliuarum, vel nucis iuglandis, et poſt quartam partem horae quatuor cochlearia aquae, in quibus duo pugilli ſalis communis ſoluti fuerint, ſumenda, et nonniſi poſt ſeſquihoram ientaculo modico vtendum!, hoc vero remedium per duas ad tres hebdomadas continuandum iubet. p. 574.

Cl. BRVAND drachmas duas mercurii corroſiui in vnciis quatuor aquae fontanae vel pluuialis mediante balneo maris diſſoluit, et ſolutionis huius ter filtratae guttas quindecim vſque ad triginta in cyatho lactis vaccini porrigit, et pro re nata repetit; inde lumbricos, vomitu reiectos, vidit, qui omnibus aliis remediis, ipſique mixturae Swietenianae debiliori, vti praeſcribi ſolet, obſurduerant. Monet vero, ſolum lac ſaporem ingratum huius medicamenti corrigere; idem etiam in forma clyſmatis cum aqua tepida vel decocto emolliente, eadem ſeruata doſi, adhiberi poſſe.

Cl. GERARD aegrum, laxante ex ſenae ℥ij, rhei et ſeminis cinae ſingulorum ʒß, cum aqua per noctem in cineribus calidis digeſtis additis colaturae gr. xv. ſalis tartari, praemiſſo, vſu boli vermifugi, olim a Cl. RATHIER in hoc diario memorati *), per quatriduum continuato, ſanauit.

Cl. MENISSEZ in virgine primo per biduum, loco potus ordinarii, copioſe dedit infuſum ſcordii, poſtea ʒj rhei cum ℥viij aquae infuſum, additis gr. ij tartari emetici et gr. x mercurii dulcis, et veſperi eiuſdem diei, et poſtmodum per tres dies binis vicibus infuſum quaſſiae, interpoſito infuſo ſcordii,

 et

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 210.

et regimine ſeuero obſeruato; poſtea rurſus potionem emetico catharticam, et inde per quatuor dies infuſum quaſſiae et ſcordii, quibus elapſis aegra plane conualuerat. Alia aegra iiſdem remediis, ſed diutius continuatis, ſanata eſt.

Cl. DE MARQVE bolum praeſcribit in adultis ad pondus ʒj mane et hora quarta vel quinta veſpertina ſumendum, ex aloes ʒij, mercurii crudi, agarici, corallinae, ſingulorum ℥iß, cremoris tartari et ſaponis veneti ſingulorum ʒvj, mellis q. ſ. quod remedium per 21 dies continuandum eſt, adhibito verſus medium et finem curationis purgante ex ſena, rheo, cremore tartari et ſyrupo perſicorum; potus ſit decoctum hordei et fructus aurantiorum amarorum, vel purum vel vino mixtum, alimenta ex regno animali, additis condimentis, vel ſicca, ſed diaeta omnino moderata. Reliqua, quae hic inſerta ſunt, quum arcana concernant, Cl. ROVX ad publicandum oblata, tranſimus.

Menſe iunio:

p. 483. 1. *Epitome verſionis Gallicae operis* DIMSDALII *de variolis*, quam Cl. FOVGVET curauit et non tantum annotationibus ex verſione Italica et obſeruationibus Cl. HOVLSTON, ſed etiam propriis, praeſertim in epidemia 1770 Monte peſſulano graſſante factis, locupletauit *).

6. Cl.

*) Traitement de la Petite-Vérole des enfans, cet. ouvrage traduit de l' anglois de Mr. le Baron THOMAS DIMSDALE cet. par Mr. HENRI FOVGVET, docteur en médecine, &c. Amſterdam; & ſe trouve à Montpellier, 1772. 12. 2 Voll.

6. Cl. BOVRIENNE fracturam complicatam in tibiae ac fibulae inferiore parte, quum pes nautae inter nauim ac funem, qua ancora firmatur, coarctaretur, ſatis feliciter ſanauit, licet pes dexter, cui hoc infortunium acciderat, ſiniſtro multo breuior remaneret. Ex pluribus ſymptomatibus, ipſa etiam gangraena, quae interno demum ac externo corticis Peruuiani vſu depellebatur, grauiſſimum tamen erat caries calcanei, celerrime proſerpens, et amputationem fere ſumme neceſſariam reddens; quam tamen Cl. Auctor felici cum ſucceſſu euitauit, cauterio actuali per quinque dies continuos applicato, promtaque inde producta exfoliatione. p. 560.

Menſe iulio: Vol. XL

1. *Epitome libri* Cl. PRESSAVIN *de morbis venereis* *). Remedium hic commendatum ſequenti modo paratur. Mercurii ex cinnabari reſuſcitati libra vna modico igne ſoluatur in libra vna et vnciis quatuor ſpiritus nitri; poſtea ſalis tartari libra vna ſoluatur in libra dimidia aquae, et quando vterque liquor ebullit, lixiuium alcalinum in amplum vas vitreum vel terreum infundatur, huiusque ſolutio mercurialis admiſceatur probeque agitetur, vt praecipitatum, lateres contuſos aemulans, deponatur: tunc quatuor repetitis vicibus illud aqua copioſe adfuſa edulcoretur, dein ſiccetur, et poſtmodum quinque menſurae aceti fortiſſimi adfundantur, vaſe clauſo per bihorium, ſaepe ite- p. 3.

 rata

*) Traité des maladies vénériennes, dans lequel on indique un nouveau remède dont l' efficacité eſt conſtantée par des expériences réitérées, & un ſuccès conſtant depuis dix années; par Mr. PRESSAVIN cet. à Genève, & ſe trouve à Paris, & à Lyon, 1773. 12.

rata agitatione, bulliant, tum liquori ebullienti effuſo adfundatur ſimile, vt antea, lixiuium alcalinum, quod praecipitatum album deiicit, quod, liquore per dimidiam horam quieto relicto, ſeparandum, et priori modo edulcorandum, poſtea cum libris tribus aquae et quatuor vnciis cremoris tartari per duas horas coquendum eſt, frigefactus hic liquor decantetur et vaſe bene clauſo ſeruetur: quem Noſter *aquam vegeto mercurialem* vocat. Minore cum diſpendio temporis ac ſumtuum, ſed relicta quadam acrimonia mag[illegible] offendente, licet damnum non inferat, imo efficacior inde reddatur, adeo vt nonniſi dimidia eius doſi ad obtinendum effectum opus ſit, eadem paratur, ſi primum praecipitatum cum menſuris octo aquae pluuialis et libra dimidia cremoris tartari eo vſque coquitur, donec praecipitati color ex rubro in niueum mutatus fuerit; poſtea liquor iſte frigefactus decantetur et ſeruetur. Iam ſyrupus parandus eſt ex corticis Peruuiani et radicis gentianae ſingulorum ℥iiij, rhei ℥ij, guaiaci raſurae ℔j (quod tamen in ſiccis ſubiectis adhibendum non eſt) et ſaſſaparillae ℔ij, quae per ſex horas in menſuris xij aquae coquantur, verſus finem additis ſenae ℥iiij et chamaemeli romani ℥j; colaturae adduntur ſacchari, quod *caſſonade* dicunt, et mellis albi, ſingulorum ℔iiij; ebulliendo in conſiſtentiam ſyrupi paullum liquidi vertuntur. Huius ſyrupi vnciae ſex cum vno vel tribus cochlearibus aquae vegeto mercurialis miſceantur, haecque doſis mane et veſperi quatuor a prandio horis exhibeatur: praecedere autem debet venae ſectio et purgatio primarum viarum, et iungi diaeta ſtrictior. Hoc remedio recentem morbum venereum intra 24 vel 30 dies ſanari, inueteratum vero diuturniorem eius vſum poſtulare, Cl. PRESSAVIN adfirmat.

2. Cl.

2. Cl. DAVNON *deſcriptio morbi epidemici, anno* 1771 *Bononiae* (Boulogne-ſur-mer) *graſſati.* p. 24.
Egregium omnino obſeruatorem in Cl. Auctore conſpeximus. In aliis erat febris inflammatoria, in aliis putrida bilioſa, in aliis maligna, in aliis verminoſa: ſymptomata diuerſiſſima ſingula morbi ſtadia comitabantur; criſes vix non ſemper imperfectae, ex quibus notatu in primis dignum videtur, parotidum tumorem, qui rarius accedebat et ſubito iterum diſparebat, tamen interdum effluxu puris ex aure, idque ſalutari cum effectu, exceptum fuiſſe; ſurditatem in principio morbi funeſtum euentum portendiſſe, non aeque, quam morbo diutius iam durante accederet cet. Cauſſam primariam in aeris et victus, qualis eſſe ſolet infimae ſortis hominum, quos hic morbus praecipue infeſtauit, inſalubritate. Venae ſectio nonniſi in plethoricis, et vbi genuina inflammationis ſigna aderant, locum habebat; calidioribus medicamentis, etſi exanthematum eruptio iis iuuanda videretur, numquam locus erat. Ad primas vias purgandas ipecacuanha ob vires cardiacas antimonialibus praeſtabat. Si eruptio quaedam cutanea languentibus viribus naturae non ſatis iuuabatur veſicatoria et vinum potui ex vegetabilibus in parca doſi additum conducebant. Reliqua hic adducta auxilia ex generali theoria horum morborum facile cognoſcuntur. In fine dolet Cl. Auctor, ſectionem cadauerum nunquam ſibi permiſſam fuiſſe.

3. *Epiſtola* Cl. DESCEMENT *ad* Cl. ROVX *ſuper methodis amauroſi medendi*, *a* Cll. BABELIN *et* IANIN *propoſitis.* p. 50.
Haec contra epiſtolam Cl. IANIN, cuius ſupra mentionem

fecimus *) directa, eum potiſſimum finem praefixum habet, vt primo theoriam eius de origine huius morbi, cuius cauſſam is in abſentia fluidi electrici in organo viſus ponit, impugnet, et deinde venaeſectionem in eodem morbo, quam ille contra Cl. BABELIN reprehenderat, cum ex diſquiſitione cauſſarum eius, tum ex auctoritate clariſſimorum cuiuſuis aetatis medicorum defendat.

p. 59. 4. Cl. ROVELLE *obſeruationes de faeculis ſeu parte viridi plantarum et de materia glutinoſa ſeu vegeto animali.* Iam, vt promiſſis ſtaret Cl. Auctor **), materiam glutinoſam non ex cerealibus tantum, ſed ex aliis quoque vegetabilibus obtineri poſſe aſſerens, modum eam ex cicuta ſeparandi docet; herba huius plantae in mortario bene teratur, ſuccus inde expreſſus paulliſper ebulliat tuncque per linteum colatus, faeculam in eo relinquit; ſub ipſa ebullitione pars quaedam ſpumoſa viridis ſupernatat huicque floccorum albentium ad inſtar, aliae particulae ſubiacent; ſi liquor tunc ab igne remouetur, alia pars laetius adhuc virideſcentis coloris ſeparatur, et liquor ipſe iam colatus nonnihil viridi colore adhuc tinctus eſt, et rurſus magis quam antea ebulliens iterum faeculam ex viridi ſordide albeſcentem largitur, quae maiorem copiam materiae glutinoſae ſeu vegeto animalis continet, quam faecula ſub prima ebullitione acquiſita. Glutinoſa haec materia a parte viridi per ſpiritum vini ſeparari poteſt, quippe qui hanc tantum ſoluit et ſuſcipit: ſed partim taedioſus labor eſt, partim ob arctam vtriuſque inter ſe coniunctionem

*) Iournal de Médec. Tom. XXXVIIII. pag. 440. vid. ſupra pag. 223.

**) ibid. pag. 262. vid. ſupra pag. 213.

nem imperfectus. Melius faecula expreſſa et ſiccata cum ſpiritu vini digeritur, poſtmodum, digeſtione bis, affuſo recenti ſpiritu vini, repetita, omnes tincturae ſimul ex cucurbita deſtillantur, quod tranſit, rurſus, reſina molli in fundo cucurbitae relicta, deſtillatur, idque eo vſque continuetur, donec liquor purus, non amplius tinctus, tranſeat. Quod reſtat ſub repetita hac operatione, coloris ſordide ex griſeo albeſcentis, poſt ſiccationem nigreſcentis, plus quam tres quartas totius maſſae examinatae conſtituit, et hoc ipſum ſubſtantia iſta glutinoſa eſt, quae igne reuerberii tractata primo paucum phlegma, poſtea ſpiritum alcalinum volatilem, poſtea alcali iſtud in forma ſolida, et ſimul oleum ſpiritui volatili innatans praebet: caput mortuum eſt, quarta pars totius maſſae aequale, ſimile illi, quod a farina et parte caſeoſa lactis remanet. Pars viridis, quam ſpiritus vini ſoluerat, itidem igne reuerberii tractata, exhibuit phlegma, poſtea liquorem acidum, tum oleum flauum, colorem intenſiorem acquirens, quum ſpiſſeſceret; tandem caput mortuum, fere quartam partem conſtituens, leue, remanebat. Roſmarinus, ſimili ratione tractatus, praeter duplicem ſubſtantiam iam adductam, aliud adhuc principium, hactenus nondum ſatis diſquiſitum, continet, quod neque aqua, neque ſpiritu vini ſoluitur, et cuius vlteriorem cognitionem alibi ſe communicaturum Cl. Auctor pollicetur.

5. EIVSDEM *experimenta et obſeruationes ſuper ſale in ſanguine humano et animalium, item in aquis hydropicorum reperiundo.* Serum ſanguinis et hydropicorum poſt deſtillationem in balneo maris praebet materiam glutini ſimilem, quae per plures menſes, imo per annum, ſeruata, in ſuperficie p. 68.

 leuem

leuem efflorescentiam ſalinam monſtrat, quae natrum ſeu baſin alcalinam ſalis marini ſiſtit: eadem fluida duplici portione aquae deſtillata, quae acidi vitriolici partem aliquam exceperit, commixta, balneo maris ſiccata, reſiduum praebent, quo ſaepius aqua calida abluto, tandem ſi addita creta abundans acidum vitriolicum ſaturatur, euaporatione facta verus ſal GLAVBERI obtinetur, quod etiam fit, ſi mixtura iſta ſuper ignem coquitur, ita, vt pars ſeroſa coaguletur, et tunc aqua, per filtrum tranſiens, creta ſaturatur et euaporatur. Simili modo ſerum ſanguinis et hydropicorum cum aequali portione aceti deſtillati remixtum, balneo maris euaporatum, reſiduum poſtea aqua deſtillata elotum, filtratum, euaporatum, et libero poſtea aëri ad plenariam euaporationem relictum, cryſtallos terrae foliatae praebet, cuius baſis natrum eſt. Idem etiam in ſanguine ipſo, ſeu parte eius rubra, praeſens eſſe, in poſterum Cl. Auctor demonſtrabit.

p. 76. 6. Rurſus *remedia quaedam aduerſus lumbricos.* Cl. LE MARIE commendat decoctum ex corticis Peruuiani, rhei, ſeminis cinae et cremoris tartari ana ℥j, cui colato addendus eſt ſuccus acetoſae, aut taraxaci, aut cichorei, quod ſingulis diebus per duas hebdomadas ſumendum eſt, interpoſita tertio vel quarto quouis die potione cum corticis Peruuiani et ſeminis cinae ana ʒj et ſyrupo quodam. Anonymus quidam primo cataplaſma ex mercurii viui ex cinnabari reſuſcitati ʒß fellis taurini ℥ij, theriacae veteris ℥ij, aloes ʒj, bulborum allii n. j, foliorum abſinthii et tanaceti ana pug. dimidio, regioni cardiae et vmbilici ſuperimponendum ſuadet, et ſequenti die potionem ex ſemine cinae, raſura C. C. et conditurae citri ana ℥ß praeſcribit; poſtea per octo dies vino medicato vtendum iubet ex

bulbo

bulbo allii, foliorum ſiccorum abſinthii pug. dimidio, ſeminis cinae et baccarum iuniperi ana ʒij, per 48 horas cum Mj vini albi macerandis. Toti curationi, quae pro re nata repeti debet, praemittendus eſt potus copioſus, acidulus, et vſus clyſmatum ex aqua, lacte et ſaccharo. Cl. URVOY primo veſperi potionem ex olei amygdalarum dulcium ℥ß, diacodii ℥j et aquae portulacae ℥ij, altero mane ſeminis cinae gr. xxiiij, rhei gr. xv, rad. ialappae gr. x in bolo porrigit, et veſperi potionem priorem repetit: tertio die tartari emetici gr. iiij, ſalis Epſamenſis ʒiij, ſacchari ʒvj, quae in aqua tantiſper ebullierint, tribus vicibus, et veſperi iulapium anodynum exhibet: poſtea idem remedium euacuans in menſura aquae ſolutum ad quartam partem quotidie mane duplici vice, intra horae diſtantiam, praebet et veſperi pulnerem vermifugum in bolo, cum ſyrupo diacodii, imo ſi opus eſt, anodyni doſin exiguam ſubiungit. Huius remedii efficacitatem in ſua vxore expertus eſt. In tranſitu monet, ſe in cadauere infantis aliquando multos vermiculos viuos, et in vaſe quodam, quod elixirium vitae continebat, multos ſcarabaeos ſatis magnos inueniſſe.

Cl. VARNIER varia curationis huius morbi exempla, inprimis caſum, vbi lumbricus viuus 18 pollices longus vomitu reiectus fuit, enarrat, et poſtea cauſſam, cur efficaciora adeo anthelmintica ſaepe vſu deſtitui videamus, in cyſtide peculiari, in qua occluſi haereant, ponit. Ad curationem impetrandam proponit infuſum ſaturatum florum tanaceti, frigide bibendum, et duos vel tres cyathos olei oliuarum per diem, poſt tres vero aut quatuor dies emeticum, et ſequente die laxans ex ſena, ſale de Seignette, aniſo, ſemine cinae et manna, addita ʒj corallinae; hoc remedium quarto vel p. 155.

quinto

quinto quouis die repetendum, intercalaribus vero diebus bolus ex pulueris ſtanni ℥ij, corallinae ℥j, ſeminis cinae ℥ß, olei tanaceti gutt. xij cum melle, mane ſumendus et per diem ptiſana ex ſummitatibus tanaceti, chamaedryos et centaurii minoris, addito ſale quodam Tacheniano et liquiritiae, quantum palato arridet, vtendum. Anonymus quidam in eo caſu, vbi vermes in colo haereant, clyſma ex ſeminis cinae ℥j, mercurii viui ʒß, herbae portulacae pug. j ex aqua coquendum, cui deinde aequalis portio lactis addenda eſt, ſubiuncto altero die clyſmate alio ex lacte ſolo, commendat.

p. 508. Cl. PENISSON denique curationem huius morbi recenſet, quam in puero quodam ope boli ex ſemine cinae, foliis ſcordii et melle, cui potionem purgantem ex foliis perſicorum, ſemine cinae, aurantio amaro et portulaca, addito oleo quodam expreſſo, interponebat, praeſtitit, quum antea anthelmintica varia, et inter haec quoque mercurius dulcis, ſine fructu adhibita fuiſſent.

p. 86. 7. Cl. BOVRIENNE aneuryſma ſpurium in antibrachio, ab ictu pugionis militaris (*bayonnette*) productum, qui leue alias vulnus per muſculos tranſeundo effecerat, tamen ſimul, vt erat probabile, arteria cubitali tacta, linteis complicatis ſuper arteriam brachialem applicatis, compreſſione gradatim aucta, brachio frequenter ſpiritu vini camphorato et ſalis ammoniaci conſperſo, venaeſectionibus duabus fortioribus et altero die tertia adhuc, diaeta ſeuera, potu diluente ceteriſque auxiliis ad imminuendam velocitatem circuli ſanguinis eo deduxit, vt tertio iam die ecchymoſis reſolui inciperet, et tribus ſeptimanis elapſis aeger plane reſtitutus eſſet: ex quo patet, minus neceſſarium eſſe in vulneribus a ſolo ictu inſtrumenti acuti profectis

arteriam

arteriam denudare et dein ligare; contrarium autem obtinet in vulneribus ſclopetorum, in quibus iam ingens dilaceratio partium adeſt, quae ligaturam facile permittit.

Menſe auguſto:

1. *Epitome noui lexici materiae medicae* *). p. 99.

2. Cl. BEAVSSIER DE LA BOVCHARDIERE p. 120. *obſeruationem de puella* 14 *annorum a cane rabido morſa, et frictionibus mercurialibus remediiſque antiſpaſmodicis curata* communicat. Vulnus duorum et dimidii pollicum in brachio dextro, et aliud minus, ab vnico dente inflictum, in ſiniſtro conſpiciebatur, in quo etiam alio in loco ſugillatio apparebat. Poſtquam ſolutio ſalis marini, alcalinus volatilis liquor (*eau de Luce*), pediluuia cet. adhibita eſſent, altero die, aduocato Cl. Auctore, vena ſecabatur et vnguentum Neapolitanum camphoratum applicabatur, quibus auxiliis poſtea laxantia et bolus ex cinnabari naturali ac factitia et moſcho ſubiungebantur; quinto autem die frictiones ob incipientem ſaliuationem ſuſpendebantur, accedentibus iam, leuioribus tamen ſymptomatibus hydrophobiae: et ſic potu diluente et refrigerante per aliquot dies continuabatur, pro re nata clyſmata vel purgantia cet. in vſum ducebantur, et vulnerum cura requiſita habebatur. Decimo vero die cum intenſo dolore brachii dextri conuulſiones, rigor totius corporis, ſenſuum abolitio cet. accedebant, quae ſymptomata ſequenti quidem die miteſcebantur, ſed deglutitio prorſus impedita, halitus

*) Dictionnaire raiſonné uniuerſel de Matiere médicale cet. A Paris, 1773. 8. 4 Voll.

tus foetidus, debilitas ſumma cet. ſuccedebant. Balneum frigidum et aqua frigida capiti adſperſa, aegra deinde in lectum calidum collocata, eo tamen ſtatum eius deducebant, vt frictionibus rurſus locus eſſet, et cochlearia quaedam potionis antiſpaſmodicae ingeri poſſent. Die duodecimo ſenſus redibant, et deglutitio liberior erat; frictiones, balnea et embrocationes continuabantur, et vulnera digeſtiuis cum vnguento mercuriali coniunctis tractata multum ſuppurabant, laxantia adhibita tamen ſaliuationem non impediebant, quae die 15 incipiebat, et vſque ad 26 diem, ſed modice, perdurabat. Laxans leuius curationi finem imponebat, reliquis auxiliis neceſſariis ſimul adhibitis. Huic narrationi, cuius ſummam exhibuimus, quae vero eleganter et copioſe tradita eſt, reflexiones aliquot ſubiungit Cl. Auctor, et demonſtrat, morbum hunc veram hydrophobiam fuiſſe, in qua duo tantum ſymptomata, furor mordendi et horror ab aſpectu aquae, defuerint, quorum vltimum tamen ſi iam adſit, morbum incurabilem eſſe declaret, quod et alii ſummi nominis medici ſtatuant; et vnicum certiſſimumque auxilium in mercurio poſitum eſſe.

p. 145. 3, *Epiſtola* Cl. GODOL *ad* Cl. ROVX, de curatione feminae 71 annorum, debilis et cacochymicae conſtitutionis, quae cum doloribus rheumaticis in toto corpore, a ſeptem annis dolorem in ſcrobiculo cordis ſenſerat, ſenſim auctum, tandemque cum ſyncope, tremore vniuerſali, ſudore frigido, pallore faciei aliisque funeſtis ſymptomatibus coniuncto; poſt febriles inſultus aliquot dierum accedebat vomitus ſanguinis, puris, bilis, lumbricorum, et cutis 5 pollices latae, et poſtea diarrhoea purulenta cum deiectione vermium viuorum et ſimilis portio-

portionis cutis; ab omnibus aſſumtis, ſola exigua portione vini excepta, dolor vſque ad animi deliquia recrudeſcebat. Noſter in auxilium vocatus, abſceſſum folliculo incluſum in ventriculo morbi huius cauſſam ſuſpicabatur, ideoque, praemiſſis euacuantibus, potiones vulnerarias non ſine fructu exhibebat; ſed dolore ſurdo cum ponderis ſenſu in epigaſtrio remanente, tandem regionem hanc examinabat, et abſceſſum inſignis magnitudinis detegebat, quem aperiebat, et ſedem eiuſdem in lobo minore hepatis fuiſſe videtur; ſub continuata curatione huius abſceſſus lumbrici aliquot viui et mortui egrediebantur, et ventriculus ipſe perforatus apparebat, quod tamen nonniſi a lumbricis praeſtitum eſſe ex eo colligit, quia ingeſta nonniſi octauo poſt aperturam abſceſſus die, quo vermes iſti demum prodierant, ex vulnere effluebant. Alimenta parciſſima et vulneraria exterius et interius adhibita vulneris ventriculi conſolidationem intra ſex dies praeſtabant; et reliquum vulnus ſucceſſu temporis optime glutinabatur, adeo vt aegra ſanitatem ſenilem ex voto recuperaret.

4. Cl. BOVRIENNE hiſtoriam militis refert, qui iuſculum aſſumens ſubito in parte ſuperiori pharyngis obſtaculum, dolorem excitans, ſentiebat, qui adeo increſcebat, vt deglutitio impoſſibilis redderetur; Noſter, cereo immiſſo, os ad partem inferiorem oeſophagi deſcendere cogebat, et altero die ſolutionem tartari emetici exhibebat, quod vero effectu ſperato carebat; poſt aliquot ſeptimanas aeger reuerſus dolorem lancinantem in regione inferiori oeſophagi ſentiebat, qui etiam reſpirationem difficilem redderet; emetico itaque exhibito, decocto ficuum pro potu vtebatur, et tunc doloribus ſedatis panem facile deglutiebat, et ſenſim dolores imminue- p. 152.

immінuebantur; donec plane euaneſcerent. Credibile igitur eſt, os in oeſophago haerens denique in ventriculum deſcendiſſe.

p. 163. 6. *Nouum experimentum ſubitae calcinationis auri, argenti, cupri et ſtanni*, quod Cl. COMVS inſtituit. Laminas nimirum horum metallorum, inter duo folia chartae glutinatae collocatas, ſcintillae electricae fortiori ſubiecit, et a primo eiuſdem ictu metalla calcinata conſpexit: aurum coloris violacei, puluere eius ſuperficiebus chartae firmiter adhaerente; argentum eam colore ex fuſco nigricante, cuprum magis adhuc nigro, et ſtannum griſeo vel ſordide albo inquinat. Hanc calcem, ſeu hunc puluerem auri Cll. ROVELLE et D'ARCET chemice diſquiſiuerunt, et plane conuenire cum praecipitato auri CASSII conſpexerunt; quare nec ſtannum, nec nitrum, nec magneſiam auro colorem purpureum conciliare, illudque non adeo calcinari, quam in ſubtiliſſimas tantum moleculas diuidi poſſe, ſtatuendum eſt. Poſtea Cl. COMVS phaenomenon, a Cl. PRIESTLEY obſeruatum, citat, quod cum ſuo experimento egregie conuenit, nempe aurum, in calamo incluſum, ſub electriſatione colore coccineo tinctum fuiſſe.

p. 169. 7. Cl. LEVRET *nouae annotationes ſuper prolapſu vteri modisque huic malo medendi.* In tres partes Cl. Auctor tractatum hunc diuidit, ita, vt primo de prolapſu hoc in genere exponat. Poſtquam conſuetam diuiſionem morbi huius, prout idem vel cum inuerſione vteri coniunctus eſt, vel non, adduxit, paucis oſtendit, perperam cauſam ipſius in relaxatione ligamentorum vteri poni, cum haec ipſa effectus demum prolapſus vteri ſit, adeoque vehementer errare eos, qui ab hac relaxatione corri-

corrigenda curationem ordiantur. Poſtmodum triplicem vtriusque prolapſus gradum deſcribit, et dein de prolapſu membranae internae vaginae agit, qui vel ſolus eſt, vel cum prolapſu vteri coniunctus; membrana iſta vel tota, circularem ambitum formans, prolabitur, vel tantum quoad partem; ſi prolapſus iſte ſimplex eſt, tenſiones dolorificae ligamentorum vteri, ponderis verſus inteſtinum rectum ſenſus, retentio vrinae, aut mutata eius effluxus directio abſunt, quae cuncta prolapſum vteri comitari ſolent. Ex iiſdem ſignis etiam cognoſci poteſt, vtrum prolapſus vteri, an vaginae, praeceſſerit et primarium morbum conſtituat. Tenſio ligamentorum ſemper adeſt in prolapſu vteri, et quicquid eadem relaxat, dolorem cum tenſione iſta coniunctum tollit; faeces adeo induratae, in inteſtino recto haerentes, dum vices peſſarii gerunt et vteri deſcenſum impediunt, illum diſſipant. Inde prolapſus incompletus vel ſemiprolapſus, vti vocat Cl. Auctor, aegre diſtinguitur, ſi femina ſupina iacet, genubus eleuatis; inde idem matutino tempore difficilius inuenitur, quam veſperi.

In parte ſecunda Cl. Auctor nouum morbum vteri proponit, qui non prolapſus, ſed dislocatio (*déplacement*) eius dicendus eſt. Primo eum in cadauere feminae detexit, quae calculoſa putata et hunc in finem operationi lithotomiae, ſed fruſtra, quondam ſubiecta fuerat. Vterus tranſuerſim in pelui ſitus erat, orificio ad partem mediam inteſtini recti applicato, et parte anteriori et ſuperiori corporis vteri ad fundum veſicae vrinariae directo, ita vt tumor inde in veſica perceptus calculum tunica incluſum mentiretur. Cauſſa ex inſpectione cadaveris nulla patebat, niſi infarctus leuior in pariete anteriore corporis et in fundo vteri; adſtantes autem referebant, feminam hanc a lapſu in genua

p. 269.

difficultate vrinam mittendi et aluum deponendi laboraſſe, menſtrua ſine ordine et fere continuos dolores imi ventris, inprimis ſitu erecto diutius ſervato, paſſam eſſe. Eundem poſtea morbum bis vidit Cl. Auctor, ſymptomatibus calculum mentientibus ſtipatum, orificio vteri vix, niſi digito in inteſtinum rectum immiſſo, perſentiſcendo: peſſarium per ſufficiens tempus geſtatum, licet fluorem album aut producere, aut iam praeſentem augere videretur, curationem felicem praeſtabat.

p. 352. In parte tertia Noſter primo obſeruationem a Cl. HOIN ſibi communicatam refert, quam iam Cl. SABATIER commentario ſuo de dislocationibus vteri *), inſeruerat. Corpus cylindricum, 10 circa pollices longum et 7 circa pollicum ambitu, anterius coloris ſani, ſed poſterius ad duas tertias longitudinis exulceratum, a labiis pudendi vſque ad media femora dependebat, in corpus hemiſphaericum, pollicem fere longum, rubicundioris coloris, in medio apertura longitudinali inſtructum, labiis attenuatis deſinens; corpus prius cylindricum vagina erat, alterum hemiſphaericum, vterus; exulceratio a frictione ad femora orta. Menſtrua ex orificio vteri regulariter effluebant. Cauſſa erat imminens lapſus a titubantibus in glacie pedibus, licet femina eum praeuertiſſet; et inde per quadriennium tumor tantam molem nactus erat. Reductio lenta quidem erat, ſed tamen felix, et eadem peracta, Cl. HOIN peſſarium applicabat, quo aegra per reliquum vitae tempus vteretur. Similem propemodum caſum Cl. SAVIAN deſcripſit **). Poſtea bina eiuſmodi exempla

*) Mém. de l' Acad. Roy. de chirurg. Vol. III. p. 361. ſeqq. v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 213.

**) Nouveau recueil d' obſerv. chirurg. Obſ. XV.

exempla ipſi Cl. Auctori noſtro obuenerunt, alterum in virgine hydropica, quod curationem non admittebat, alterum in vidua, quam ſaepe tentata, ac demum feliciter peracta repoſitione adhibitoque peſſario reſtituit. In vtraque aegra lapſus primam morbi cauſſam ſiſtebat, qui lente demum increuerat: interior tunica vaginae inuerſa cum collo vteri deſcenderat, ipſo fundo huius viſceris, quem ſpecillo ex balaena flexili attingere poterat, in ſede ſua relicto. Inde Cl. Auctor docet, morbum hunc, quem ipſae aegrae polypum vteri putaverant, minus cognitum eſſe, et controverſiam componit, num collum vteri ſolum deſcendere et prolabi queat.

Menſe ſeptembri:

2. Cl. DELAROCHE *de tetano, frictionibus mercurialibus curato.* Sartor 22 annorum, vehementi capitis dolore afflictus, venam ſibi ſecandam curabat; immediate poſt hanc euacuationem ſpaſmus maxillae, ac ſenſim rigor totius corporis inſequebatur. Remediis variis per duas ſeptimanas incaſſum tentatis, praemiſſa venae ſectione, quotidie drachma vna vnguenti, quod aequales partes mercurii et adipis habebat, illinebatur, et balneum quotidie ſubiungebatur; iam poſt duos dies morbus miteſcebat, et poſt quindecim dies fugatus videbatur, ſed, cortice Peruuiano in vſum vocato, tamen poſt octiduum nonnihil recrudeſcebat, continuatis autem per aliquot dies frictionibus paullo poſt plane ceſſabat. Saliuatio numquam excitabatur, licet ea in caſu a Cl. MONRO *) narrato, ad cuius normam Noſter morbum iſtum tractabat, ſatis inſignis fuerit. p. 213.



*) In Edinburgenſium commentariorum Vol. III. Art. 30 et 31.

p. 219. 3. Cl. MARESCHAL DE ROVGERES *commentarius de ſcrophulis*. Vitio ſcrophuloſo in genere conſiderato, diuerſi morbi gradus exponuntur et in cauſſas eius inquiritur. Poſtea Cl. Auctor remedium ad illud corrigendum proponit, ex saponis Starkeyani ℥iiij, ſalis tartari et ammoniaci ana ℥j, limaturae martis ℥ij, ſaſſafras, ſaponariae et florum digitalis ana ℥j, in maſſam pilularem ſollicita trituratione combinandis, cuius doſin a gr. xv ad ʒj ſingulo mane ex infuſo ſaponariae aut glycyrrhizae porrigit, praemiſſo emetico ex ipecacuanha ſeu tartaro emetico, et purgante ex radice ialapae et dupla portione ſacchari, quod etiam pilulis interponendum eſt, quum humores ſtagnantes reſolui incipiunt. Tumoribus nondum apertis vel nihil, vel emplaſtrum ex ceruſſa et oleo oliuarum tantum imponit; vbi vero durities maior reſoluentia fortiora poſtulat, emplaſtrum ex tribus partibus ſucci cicutae cum vna parte gummi ammoniaci ad extracti conſiſtentiam coctis. Tumores apertos oleum tartari per deliquium optime depurat, quod etiam efficaciſſimum eſt aduerſus cariem oſſium. Scalpello nonniſi in tumoribus cyſticis opus eſt, qui tamen etiam, licet tardius, lapide infernali applicato exſtingui poſſunt.

p. 260. 6. Cl. OSTEND *epiſtola ad* Cl. DE LATANÉ, *ſuper quibuſdam effectibus pulueris ſic dicti purgantis* D'AILHAVD. Vir quidam iam pluribus abhinc annis obſtructo hepate et vehementi cephalalgia laborans, et fonticulo in pede excitato hucdum multum ſubleuatus, a prima huius pulueris doſi tranquilliorem quidem, ſed ſolito calidiorem ſe ſentiebat; tertio die cephalalgia reuertebatur, aucto ventriculi atque inteſtinorum dolore ſociata; hinc alteram doſin aſſumebat, quam cum inſigni virium

virium iactura deiectiones parcae, et nocte ſubſequente, poſt atrociſſimos infimi ventris dolores, cruentae cum febre ſequebantur; fonticulus ſiccabatur, dolores recrudeſcebant, ſanguinis diluti effluuium per anum tres dies continuabat, poſtea deiectiones nigrae, foetidiſſimae fiebant, accedebat ſingultus, pulſus debilis ac tremulus, et quinto die mors. Secto cadauere conſpiciebatur hepar maximae molis, hinc inde ſcirrhoſum, canalis inteſtinalis inflatus, pylorus gangraenoſus, ventriculus intus maculis nigris obſitus, et hinc inde ſanie purulenta infectus; ex omnibus inteſtinis duodenum maxime affectum, et tunica villoſa fere penitus orbatum. Puella chlorotica poſt ſex doſes aſſumtas vehementi dolore ventriculi et vomitu cruento afflicta, potione ſedante, multoque lacte per octiduum hauſto, aegre ſeruabatur. Infans decem menſium, qui fere quartam, et alius duorum ac dimidii annorum, qui vltra dimidiam partem portionis conſuetae ſumſerat, a conuulſionibus, inde enatis, lacte quibuſdam guttis anodynis mixto liberabantur. In duobus canibus diuerſum huius pulueris effectum vidit Noſter: alter tantum vehementer inde vomebat, cibumque per duos dies repudiabat; alter conuulſionibus diris inde affectus, hauſto oleo oliuarum deiectiones nigras copioſiſſimas patiebatur, vixque appetitum recuperare poterat. Incertum omnino remedium eſt, neque negari poterit, eſſe homines, qui eius ſtimulo non moueantur, vti ſunt, qui fortiorem ſtimulum emetici, aliis nociturum, ferre poſſunt, quale exemplum Noſter in milite vidit, qui granis octo tartari emetici exhibitis, gulam inſuper pluma irritando, tamen leuiter tantum purgatus fuit.

Menſe octobri:

p. 316. 2. Cl. EMPEREVR *de morbo iſchuriam veſicalem ſubſequuto, ſecundum indicationes pulſuum tractato.* Morbus iam ſeptem vel octo dies perdurauerat, ſaburram in inteſtinis collectam ſimulans, praeſertim cum vrina copioſa clara et inodora excerneretur: neruoſum vero eundem fuiſſe docebat eius exacerbatio ab euacuantibus intra hoc temporis ſpatium in vſum vocatis. Tunc cum plenaria vrinae ſuppreſſione accedebant ſudor vrinoſus, oppreſſio pectoris ac lethargus, quae ſymptomata ſubſiſtebant, licet vrina cathetere educta eſſet; veſicatoria nuchae et ſurae applicata, cardiaca, ac demum clamores altiores, aegrum quodammodo excitabant, expectoratio incipiebat, clyſmata et laxantia aluum exonerabant, et ita ſenſim ſenſimque, euacuationibus omnibus per aliquot dies vrinae odorem ſpargentibus, aeger denique reſtituebatur. Horum auxiliorum ſelectum et ordinem Cl. Auctor ſedulo ad indicationes ex pulſu petitas dirigebat, quatenus ille vel abdominalis, vel pectoralis cet. erat, quae vero copioſius hic referre nequimus.

Menſe nouembri:

p. 422. 3. Cl. DELAGARDE *obſeruatio de polypo vterino, ſecundum methodum* Cl. LEVRET *) *exſtirpato.* Femina per aliquot annos fluore albo continuo laborauerat, quem medici cauſſae ignari, fruſtra aggreſſi fuerant: tandem accedebat grauiſſima haemorrhagia vteri, qua vix per confectionem de hyacintho ex vino rubro, et aluminis crudi iteratas por-

*) Iournal de Médec. Tom. XXX. p. 531 ſeqq.

portiones exhibitas cohibita, quum tactu explorari ſe pateretur aegra, polypus figurae ex ſphaerica nonnihil oualis, fundo vteri in latere dextro adhaerens detectus eſt: hunc Noſter ope inſtrumenti a Cl. LÈVRET deſcripti primo mediocriter deligauit, ſed filum ſingulo mane et veſperi fortius attraxit, donec quinto vel ſexto die foetor exoriretur; tunc antiſepticis internis et externis adhibitis, octauo die polypus decedebat: tunc balſamicis in vſum ductis aegra conualeſcebat, ita, vt menſtrua iuſto ordine redirent, et tantum debilitas cum vertigine, quam ipſa ſpaſticae diſpoſitioni neruorum, quam *vapeurs* dicunt, tribuebat, remaneret. A ſimili haemorrhagia vteri aliam feminam mori vidit Cl. Auctor, ad quam nimis tarde vocatus fuerat, eidem ſine dubio cauſſae adſcribenda.

6. Cl. PINART *de partu quodam extraordinario.* p. 448. Menſe nouembri femina quaedam grauida haemorrhagiam vteri patiebatur, quae duabus venae ſectionibus, iuſculis et potioni balſamicae et adſtringenti, ſitu in lecto ſeruato, cedebat; menſe ſequenti pleuritis accedebat, quae quatuor diebus, poſt octo venae ſectiones adminiſtratas euaneſcebat: elapſis duobus menſibus fetum mortuum et diu iam, vt videbatur corruptum pariebat, cuius, quum funiculus vmbilicalis etiam putredine deſtructus eſſet, Noſter placentam extrahere volebat, ſed ſimul alium infantem inueniebat, calidum adhuc, tandem poſt tredecim dies femina haec alium infantem viuum et vegetum pariebat, qui per ſeptem menſes, matre ſalua ſuperſtite, vixit.

7. Cl. MARESCHAL DE ROVGERES *emplaſtrum ad clauos pedum* communicat, ex cerae purae et p. 449.

gummi ammoniaci puluerifati ana ℥ij et viridis aëris ʒvj, prope ignem malaxandis, et linteo illiniendis, ita vt emplaſtrum magnitudinem claui paullum ſuperet. Priusquam autem iſtud applicetur, ille aqua tepida paullum macerandus et cutis ſcalpello abradenda, poſtea emplaſtrum calidum imponendum et faſcia firmandum eſt. Raro bis repeti debet; nam per duas ſeptimanas ſeruari oportet. Verrucae ſolo ſapone aqua emollito fricatae, donec albeſcant, intra octo vel quindecim dies euaneſcunt.

p. 451. 8. Cl. ROVELLE *obſeruationes ſuper vrina humana, vaccina et equina, inter ſe inuicem comparatis.* Sedimentum vrinae ſanae, poſt aliquot dies fundum petens, gelatinae ſpeciem refert, nihil autem eiuſdem continet. Vrinae ſpaſticae diſquiſitio chemicis commendatur. Vrina cruda, poſt paſtum reddita, euaporata non niſi duas vel tres drachmas reſidui mediae conſiſtentiae ex menſura largitur, cuius quantitas ex vrina ſanguinis ab vna vſque ad ſeſqui vnciam et vltra aſcendit. Prior etiam lentius et abſque foetore putreſcit, et ſub hac mutatione mucore obducitur, ſicut decocta ſeu ſucci vegetabilium et gelatinae animalium. Chemice diſquiſita vrina humana praebet duplicem ſubſtantiam, in aqua ſoluendam: alteram ſaponaceam dicit Cl. Auctor, quae magnam partem in ſpiritu vini ſoluitur, alteram extractiuam, quae menſtruum hoc reſpuit, et licet cum priori vna diſſoluatur, tamen quiete rurſus ſeparatur: haec pars in vrina humana minima proportione adeſt: Saponacea, ſi depuratur, indolis ſalinae eſt et cryſtalliſationi apta; difficulter in balneo maris ſiccatur, et ſubſtantiam vnctuoſam obſcure fuſcam, mellis inſpiſſati ad inſtar, refert, facileque humiditate aëris attracta liqueſcit,

queſcit: eſt materia nutriens vegetabilium, in indolem animalem mutata, et continet acidum ſalis marini; ſub analyſi chemica plus quam dimidium alcali volatilis, parum olei et ſalis ammoniaci, et reſiduum non alcalinum praebet. Pars extractiua balneo maris in ſubſtantiam nigram, extractis plantarum ſimilem, parum humiditatis, ex aëre attrahentem mutatur; ſiſtit partem gummoſam vegetabilium in indolem animalem conuerſam, cuius omnia phaenomena exhibet. Praeter duplicem hanc ſubſtantiam vrina continet ſalem marinum, cuius baſis natrum eſt, eumque copioſiſſimum; ſalem fuſibilem, ſalem febrifugum SYLVII, et ſalem GLAVBERI. Salem ammoniacum ex vrina obtinendum Noſter vel nonniſi productum ignis putat, vel in vrina latere, combinatione incognita. Olei admodum exigua quantitas adeſt. Alcali fixum, poſt calcinationem demum detegendum, ob nimis exiguam copiam partibus conſtitutiuis annumerari nequit: ſic etiam pars terrea. Vrinam putrefactione ſalem marinum euoluere et volatilem reddere, Noſter non vidit: ſed per plures menſes, imo vltra annum putrefacta et ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſata, cum ſpiritu alcalino volatili vrinae, imo cum vrina putrefacta ipſa efferueſcit: de reliquo eaedem inde ſubſtantiae, quam ex vrina recenti, obtinentur, et praecipue ſales puriores, qui etiam commodiſſime parantur, ſi vrina ad conſiſtentiam duriorem ſiccata ex retorta deſtillatur.

Vrina vaccina, recens odorem fortem ſingularem ſpirans, tempore magis coloratur, libero aëri a 18 ad 30 horas expoſita in ſuperficie paruas cryſtallos oblongas regulariter diuiſas format, poſt duos vel tres dies ſimilem, vt humana, ſubſtantiam

gelatinoſam deponit tactu ſaponacea et vnctuoſa eſt, vt leue lixiuium alcalinum, infuſum violarum leui viridi colore tingit, cum acidis efferueſcit, ab alcalibus non mutatur; alcali vegetabile ineſſe docet generatio nitri ab affuſo eiuſdem ſpiritu. Duplex itidem, ſupra memorata, ſubſtantia eidem ineſt: ſaponacea, copioſe praeſens, parum ſalina Noſtro viſa eſt, et multum alcali volatilis, plus olei quam vrina humana, ſed nihil ſalis ammoniaci, praebet; caput mortuum alcalinum eſt. Subſtantia extractiua copioſior eſt quam in humana. Praeter haec adſunt verus tartarus vitriolatus, ſatis copioſus; ſal febrifugus SYLVII; alcali fixum vegetabile, ſal tartari ſimile; ſal acidus volatilis, ſublimatione floribus benzoes ſimilis, quos etiam ſapore pungenti aequat, in aqua parum, ſed facillime in ſpiritu vini et aethere ſolubilis; hic ſal putrefactione adeo decomponitur, vt poſtea detegi nequeat, neque in omni vrina vaccina deprehenditur. Vrina haec phoſphorum non largitur, quia nullum ſalem fuſibilem continet.

Vrina equina, aëri expoſita, pellicula terreſtri, qualis aquae calcis innatat, obducitur, interdum ſatis copioſa, ad ſex vel ſeptem vncias ex menſuris duodecim vrinae. Deponit etiam ſedimentum terreſtre, magis gelatinoſum quam in humana et vaccina, ſicut omnino gelatinoſior eſt; ſed haec indoles coctione aut forti agitatione perit. Alcalina etiam eſt; alcalibus affuſis turbatur et ſedimentum terreſtre praecipitat. Subſtantia duplex, antea adducta, copioſa adeſt, et extractiua quidem copioſior quam in humana vel vaccina, coloris nigri, pici ſimilis; ſimilia etiam producta praebent, ſed nec ammoniacum ſalem, nec phoſphorum, quamuis Noſter acido eiuſdem illam priuatam eſſe

non

non putet. Inſunt autem praeterea verus tartarus vitriolatus, copioſa terra abſorbens calcarea, ſelenites huic terrae admiſtus et cum ea ſe praecipitans, ſed nullum alcali fixum euolutum putrefactione ſimilia cum prioribus phaenomena exhibet, quae Cl. Auctor alii occaſioni reſeruat.

9. Cl. COMVS platinnam prius vel affuſo ſpiritu ſalis, vel calcinationis ope, particulis martialibus priuatam ſcintillae electricae ſubiecit, et tunc magnes illam attraxit: quae ſpiritu ſalis tractata fuerat, poſtea mercurium currentem, in ſuperficie exſudantem, monſtrabat, qui vero, platinna vim ignis experta, amplius ſuſcitari non poterat. Eadem experimenta (ratione particularum ferrearum) in cobalto ſucceſſerunt: electricitas partem regulinam fundit, quae principium coeruleo colore tingens continet: calx enim ferri nonniſi obſcure fuſcum colorem vitris tribuit. p. 468.

Menſe decembri:

1. *Epitome tomi ſecundi ſyſtematis artis obſtetriciae ex Anglico* Cl. BVRTON, *in Gallicam linguam translati, a* Cl. LE MOINE *). p. 483.

3. Cl. BOVCHEL *de paſſione iliaca grauioribus ſymptomatibus ſtipata, et vſu mercurii currentis ſanata.* Morbus erat putrido verminoſus, cum ſatis intenſa febre, et manifeſtis ſignis voluuli inteſtinorum; balnea, ſanguinis miſſiones, clyſmata, laxantia, opiata, incaſſum adhibebantur, quare mercu- p. 503.

*) Anglicum librum indicauimus in comm. noſtr. primae decad. ſuppl. p. 456 ſqq. Gallicum v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 420.

mercurii crudi tres vnciae aegro porrigebantur, vnde breui poſt vermis ore reiiciebatur, et alvus ſoluebatur, quam Noſter clyſmate, et altero die laxante ex manna et ſyrupo violarum in ſero lactis ſolutis iuuabat, et ſic aegrum reſtituebat. Dimidium mercurii currentis cum vrina euacuabatur.

p. 514. 5. Cl. PEBORDE aegrum tractauit variolis decumbentem, in quo 14 die ſuppuratione ſuppreſſa delirium, tuſſis cum ſputo ſanguinis et reſpiratio vehementer impedita accedebant: cataplaſma ex foliis hederae in aqua coctis toti corpori applicatum, quater intra triginta horas mutatum, ſuppuratione inſigni per totam ſuperficiem excitata, aegrum protinus mortis faucibus eripuit, ſola tuſſi quarto demum die euaneſcente.

## II.

Iournal d' un voyage, qui contient differentes obſeruations mineralogiques; particulierement ſur les Agates & le Baſalte. Avec vn detail ſur la maniere de travailler les Agates. Par Mr. COLLINI. Sécrétaire intime, Direct. des cabinets d' hiſtoire naturelle & membre de l'Academie des ſciences de S. A. Electorale Palatine. à Mannheim, chez C. F. Schwan. MDCCLXXVI. 24 pl. 8. tab. aen. XV.

i. e.

Diarium itinerarium, in quo diuerſae mineralogicae obſeruationes, praeſertim de Agate et Baſalte, vt et relatio de modo Agatem tractandi continentur, Auctore Cl. COLLINI.

Iter

Iter in regionem circa Rhenum ideo praecipue Cl. Auctor inſtituit, vt Baſaltis illic reperiundi naturam curatius exploraret. Profectus eſt per *Frankenthal, Pfedersheim, Niederfloersheim* et *Oberfloersheim*, atque in *Alzeyanam villam* venit. Poſt *Pfedersheim* montes ſecundarii, qui ad catenam montis Vogeſi (*Vôges*) pertinent, incipiunt, et, quo propiores a Rheno, eo planiores fiunt. Montium horum nexum, cum iis, qui in Campania, Alſatia et Lotharingia extenduntur, curate deſcribit et quoſdam circa Alzeyanam villam poſitos, eorumque naturae producta inquirit. Sunt iidem eiuſdem naturae cum illis, qui ſummos montes cingunt, et ſenſim in planitiem abeunt. Nonnullis in locis lapidibus ſabuloſis compoſiti, et praealti: alibi ex ſaxo, ſabulo et ſilicibus ferruginoſis conflati. Demiſſiores montes, iique ipſi, in quibus ſequentia mineralia inuenit Cl. Auctor, lapidem argilloſum habent, et cum iis alii nectuntur montes, calcareos lapides offerentes. p. 5.

Primo petrefacta in regione circa *Alzey, Weinheim, Flonheim*, et *Vffhofen* inuenta deſcribit, et notatu digna aeri incidi curauit. Ex his primum eſt petrefactum *oſtreum polyleptoginglimum* a Cl. Auctore dictum, quod propter ſingularem cardinem, tranſuerſim ſulcatum ita dicitur; cuius quidem protypum nobis *Arcae* LINN. quaedam ſpecies eſſe videtur. Cypream, Chamam, et Buccinum petrefacta, tanquam rariora huius regionis indicat. Non minus memorandum eſt Auctoris *Oſtreum foſſile ignoti teſtacei*, quod nobis tamen, ratione formae et valuarum nexus, apprime cum *Spondylo* LINN. videtur conuenire magnitudine inſigni octo pollices ad longitudinem, et ſex ad latitudinem, totidemque in craſſitie, pondere decem libras p. 10. p. 16.

p. 21. libras aequat. *Gloſſopetras* minoris et maioris voluminis, et dendritis ornatas; atque oſſa petrefacta quoque indicat, quae omnia ochra flaua penetrata ſunt.

p. 28. His deſcriptis Saxa Agatina in campis illius regionis diſperſa eorumque quoad colores varietates deſcribit; eademque in iiſdem, vbi reperiuntur, locis ex lapide argilloſo ſic orta eſſe putat. Lapidem enim montium eſſe in vniuerſum argillaceum et calcareum, mixtum ochra martiali, qui facile aëre diſſoluatur; eodemque diſſoluto in terram et inundationibus ablato altiores montes planiores factos, et iterum ſoluto lapide in terram, ex ſterilibus in fertiles mutatos eſſe. Eiuſmodi eſſe montes, in quibus Agates reperiuntur, qui, cum ſtratum argilloſi, calcarei et cum ochra mixti lapidis in iiſdem eſſet formatum, in medio eiuſdem ſimul cum cryſtallis nati ſunt: iam diſſoluto quoque hoc ſtrato in terram, eueniſſe, vt ſolitarii et ſparſi agatina ſaxa remanerent.

p. 38. Fodinas circa *Moerſchfeld*, in quibus mercurius eiusque minerae fodiuntur, adiit, atque de iis vt et de mineris exponit. Mirandum eſſe, ait, quod montes hi, etſi copioſe mercurium contineant, tamen omni genere vegetabilium fertiles ſint, quod contra communem in reliquis ſimilibus locis eſt obſeruationem. Ex puteo, a Sereniſſimo Principe CAROLO THEODORO nominato, obtinetur ſolida, obſcure rubra, et dura minera, quae dimidium ponderis partem mercurii continet; interiora nonnumquam mercurii natiui guttae, nonnumquam pyrites, vel cryſtalli mercuriales tranſparentes, rubrae, figurae variae, (ſeu potius cinnabaris cryſtalliſata) occupant. Minerae hae terra vel lapide argilloſo cingun-

cinguntur, et venae mercuriales pyritoſae eadem ſaepe penetrant. Spatum, lapis ſabuloſus, vel calcareus, venam plerumque proxime ambiunt. Notabile eſt, quod Galena in cubos cryſtalliſata iuxta hanc mineram reperiatur, quae eo compactior ſit, quo plus illius adſit. Reperiuntur etiam in his fodinis piſces petrefacti, in ſchiſtum nigricantem, ſtriis et punctis mercurialibus penetratum. Schiſti coniunctionem cum mercurio raram quidem eſſe, ſed tamen nonnunquam in eodem mercurii natiui guttae reperiuntur. p. 44.

His ſubiungit deſcriptam methodum, qua ex minera mercuriali ipſe mercurius extrahatur, ſimulque furni fuſorii icones. Concuſſae nempe minerae admiſcetur calcis viuae ea quantitas, quae copiae ſulphuris immixti, et lapidis reſpondeat; tumque eadem ferreis retortis inditur, quae furno ſupra lateres, in ſtratis ſupra ſtratis, ita immittuntur, vt earum collum ventre profundius iaceat, quo mercurius facilius deſtillet in recipiens collo retortae adaptatum vas. Per vndecim circiter horas continuo igni expoſitis retortis mercurius omnis purus ex minera obtinetur. Addit plures cautiones in fuſione obſeruandas, atque curatiorem furnorum deſcriptionem, iconum tamen illuſtratione egentem. p. 48.

Sunt quoque prope vrbem *Creuznach* fodinae mercuriales, quae vero non coluntur; eo maioris autem ſunt vtilitatis ſalinae, ibidem ſcaturientes, etſi nihil prae reliquis ſingulare offerunt. Saxum montis his ſalinis vicini eſt compoſitum ex ſpato albo, et virideſcente, quarzeis granis, micae lamellis, et ochra bruna. Montes iuxta fluuium, *Nahe* dictum, altius eleuantur, eorumque ſaxum eſt lamelloſum argillaceum, et calcareum aëre dehiſcens. p. 78. p. 81.

hiſcens. Laminae a reliquis ſeparatae, aëri expoſitae nigro colore imbuuntur. Notari meretur plurium horum montium ſaxum, aëre diſſolutum, mutari in terram fertilem, cum humidum aëris vel in terram calcaream, vel in argillae acidum vitriolicum agat. Hanc ſaxorum proprietatem, nondum ab aliis animaduerſam, inquirit vberius, eamque oeconomiae perutilem eſſe ait.

p. 91. Prope oppidum *Kirn* fodina aluminis eſt, in qua alumen vel in ſchiſto cinereo nigricante, vel in lithanthrace reperitur. Saxum montis venam tegens eſt argillaceum, cum mox deſcripto eius-
p. 94. dem naturae. Non procul abinde, iuxta vicum *Fiſchbach*, eſt fodina cupri; cuius minera in vena inter terram virideſcentem argilloſam et alcalinam extenſa reperitur, diciturque *minera cupri vitrea, nigreſcens*. Olim copioſe et aere diues ea hic foſſa
p. 97. eſt, iam vero parcior et vilior inuenitur. In hac fodina etiam bitumen nigrum, ſplendens, in lamellis et granis reperitur, quod accenſum gratum ſpargit odorem.

p. 98. Notatu digni ſunt montes inter *Kirn* et *Oberſtein* iuxta fluuium *Nahe* poſiti, qui ex ſilicibus diverſae magnitudinis et formae aggregati, et ope ochrae ferruginoſae aliquo modo conglutinati ſunt, vt hoc ſaxum *Brecciae ſiliceae imperfectae* nomen Cl. Auctori mereri videatur. Nullo ordine haec ſaxa poſita ſunt; ſed in cacumine montis ſaxa plurium pedum longitudinem et craſſitiem minoribus aeque inſperſa ſunt, atque ad radicem eius-
p. 106. dem. Hos ſilices non aliunde huc latos, ſed eo ipſo in loco natos eſſe exiſtimat Noſter: fuiſſe enim omnem hanc maſſam ante fluidam, atque ſubſtantiam ſiliceam illic abundaſſe, et mixtam fuiſſe particulis ochraceis: ſimulatque autem aliquo motu acta

fuerit

fuerit haec maſſa, particulas ſiliceas ſeſe attraxiſſe, quam quidem attractionem impedierit ochracea immixta maſſa, indeque diverſi voluminis rationem pendere: quiete iam accedente induruiſſe maſſam, formamque Brecciae ſiliceae nactam eſſe.

Inter montem altum, petrisque eminentibus horridum, et fluuium *Nahe*, ſitum eſt caſtellum *Oberſtein*, cuius ſingularem ſitum tabula aenea illuſtrat. Montes huius regionis in ſaxo argilloſo copioſos continent *Agatos* et *Iaſpides*, quorum colores, etiam viridem, recte ferro tribuit, atque vberius deſcribit Cl. Auctor et iconibus illuſtrat, quomodo et fodiantur, et tornentur hi lapides. p. 109.

Obſeruationes de *Agatis*, qui in maſſis globoſis alii ſaxo innati reperiuntur, multas omittere cogimur, quae ad generalem eorum hiſtoriam, diverſam figuram, duritiem, atque corpora in iis nonnunquam contenta, vel eos comitantia pertinent: et nonnulla tantum de ſaxo, in quo reperiuntur, atque de ſubſtantia, ex qua eoſdem formatos putat, Cl. Auctor commemoremus. *Agatos* et *Iaſpides* quoad materiam eſſe vnum idemque, differre tantum pelluciditate, quae vti notum eſt, in Iaſpagate quaſi confluat. Forma Agatorum demonſtrat fuiſſe eoſdem in ſtatu fluido; obſeruauit Noſter, mammilloſos, cylindricos, filamentoſos, et ſtalactitis ſimiles, quin immo cryſtalliſatos intus cauos, conicos, interdum planis pluribus, interdum tereti ambitu inſtructos. p. 126. p. 144.

Saxum, in quo *Agates* reperitur, colore eſt vel brunum, vel griſeum, vel nigreſcens, compoſitum ex particulis argillaceis et calcareis, martialibusque, atque aëre dehiſcit. Duritiem diuerſam pendere putat a diuerſa mixtione et proportione corporum p. 145. p. 152.

terreſtrium, et a differenti modificatione molecularum ea conſtituentium. Admixtis enim heterogeneis particulis imminui duritiem: procliuis eſt Cl. Auctor, vt duritiei maioris cauſſam in Agate
p. 158. ferreis particulis tribuat. Expoſitis eleganter ſen-
p. 180. tentiis mineralogorum, de origine Agatae et reliquorum ſilicum, eos ex terra argillacea, calcarea et martiali iunctis inter ſe ortos eſſe putat, idque tum quod in ſimili lapide inueniantur, tum quod petrefacta conchylia in ſilices quoque mutentur, probat. Iam vberius deſcribit quarzeas cryſtallos, earumque figuram ſimulque rationem formationis, quae in globis agatorum deprehenduntur, atque filamenta diuerſi coloris, quae vulgo muſci petrefacti haberi ſolent, recte a ferreis vel aliis terreſtribus particulis, quae rimas penetrarint, deriuat: vbi et multa bene diſputat de aliis immixtis peregrinis corporibus.

p. 228. Deinde modum indicat Cl. Auctor, quo Agates illic poliatur, atque ad vſus adaptetur, huicque operi ſeruientia inſtrumenta et molendinas ad ſecandos agatos inſtructas deſcriptione et iconibus illuſtrat: quae quidem Lectori ipſa legenda commendamus.

p. 272. Montes inter *Oberſtein* et *Coblenz* componuntur ex ſchiſto argillaceo, varii coloris, qui aëre decomponitur, atque ſic culturae ſolum fit aptum: tegitur idem quarzeo ſaxo, Brecciae ſiliceae ſimili.
p. 276. In eadem via ſunt etiam aquae minerales. Repetit hic Noſter, regionem in altero latere trans Rhenum, quam alio tempore luſtratus eſt, huic omnino eſſe ſimilem.

p. 284. Non procul ab vrbe *Coblenz* prima ſigna olim praeſentium vulcanorum apparent. In campis enim vici *Andernach* etc. fruſta Pumicis, atque Baſaltis,

Baſaltis, terra *Tras* dicta diſperſa ſunt, atque ex poſteriore aedes domusque exſtructae ſunt. Terra *Tras*, in iis locis *Tuffſtein* vel *Duckſtein* appellata, invenitur in plano campo, decem vſque ad quatuordecim pedes ſub ſuperficie telluris, quae ſupra illam fertilis eſt: eſt maſſa ratione conſiſtentiae media inter terram et lapidem, poroſa, et valde leuis, quae ſiccata ſonitum edit, aquae immiſſa ſtridorem excitat. Quo magis poroſa, eo melior habetur. Coloris eſt griſei, in flauum, vel brunum nonnunquam inclinati. Inde, quod Pumice commixta eſt, apparet, eam eſſe productum ignis: quod confirmant ſcoriae poroſae, vitrique virideſcentis et coerulei fruſtula. Praeterea ſchiſti, micae et quarzi albi opaci grana, etiam baſaltis ſeu potius *Schoerli* Germanorum fila, atque ferruginea nigra grana in ea continentur. Hanc terram *Tras* tegit argilla ſerene griſea. Vſus illius eſt, vt pulueriſata, et cum calce extincta et aqua commixta ad aedificandos muros, et aedificia alia, aquae aërisque vi obnoxia adhibeatur *). Putat Noſter hanc terram olim ex montibus igniuomis eiectam eſſe, atque per planitiem diſperſam. Nam vicini montes ſteriles ſunt, nudi, et vnus eorum tam anguſtis marginibus praeditus, vt in eius cacumine montis igniuomi crater adfuiſſe videatur, quod tamen Cl. Auctor certe definire propter temporis breuitatem non potuit. Verſus vicum *Niedermennich* ſabulum viam tegebat, quod ſcoriis varii coloris, ſchoerlo et granis ferreis, ſchiſtique fruſtulis diminutis conſtabat, quodque iterum effectum Vulcani videtur. In vico iam dicto copioſe foditur,

p. 289.

p. 298.

p. 301.



*) cf. ea, quae b. VOGEL in Comm. Gotting. habet. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 602. et Cl. QVIST in Act. Holm. vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 393.

foditur, lapis niger, poroſus, pumice commixtus, ad molares lapides adhibitus, qui nihil aliud, niſi productum Vulcani haberi poteſt. Sub hoc lapide aliud ſtratum lauae compactioris poſitum eſt, ipſeque et in aliis locis illius regionis reperitur. Videtur Noſtro hic lapis eſſe CRONSTEDTII *Lapis molaris Rhenanus. Mineralog.* §. 294. Qui ſi ſit, ex genere *Cotis* ad ſcorias vulcanorum referendus
p. 310. eſt. Alio in loco *Bell* dicto, ſpecies terrae *Tras* reperitur, quae cum igni reſiſtat, ad furnos ſtruendos adhibetur. Eandem cum terra *Tras* habet conſiſtentiam, non tamen poroſa eſt, neque pumicem continet.

p. 318. Denique deſcribit Baſaltem, in monte prope *Fornich* reperiundum, qui in columnis perpendicularibus pentaëdris et hexaëdris poſitus eſt, ſupra quas Laua ſolida, ad chalybem ſcintillans, et
p. 325. baſaltis fruſta in planitie diſperſa ſunt. Trans Rhenum e regione oppidi *Vnkel* mons Baſalte columnari plenus reperitur, cuius hic data eſt icon. Columnae Baſaltis vario modo, vel iuxta perpendiculum, vel oblique, vel transuerſim ſitae ſunt. Baſaltes eſt niger, durus et paſſim ad chalybem ſcintillat; inſunt ei cryſtalli *Schoerli* nigri et ſubviridis; variat priſmate vel tetraëdro, vel quinque inaequalibus planis inſtructo, vel hexaëdro. In hoc monte etiam Laua grauis, poroſa, vel in maſſis vel in globis animaduertitur. Terra lauam et baſaltem tegens eſt griſea flaueſcens, fermentat cum acidis, mixta cum aqua tenax fit. Atque haec montium producta etiam iuxta Rhenum et in ipſo Rheno extenduntur. Hunc Baſaltem omnino eſſe productum Vulcani omnia probant. Hic ſimul Cl. Auctor omnes Phyſicorum de ortu huius lapidis recenſet opiniones, a PLINIO vſque ad Cl. RASPE.

Sub finem duorum montium, inter *Simmeren* et *Derrebach* ſitorum, mentionem fecit, in quibus ſchiſtus ſtrato quarzeo tegitur, quod totum montem occupat. Quarzum colore vario eſt, eique cryſtalli quarzeae innatae ſunt. p. 378.

III.

*Beobachtungen auf einer Harzreiſe nebſt einem Verſuche die Höhe des Brokens durch das Barometer zu beſtimmen. Von* E. A. W. ZIMMERMANN, *Prof. der Naturl. und Mathematik am Collegio Carolino. Braunſchweig. Im Verlag der fürſtl. Waiſenhaus - Buchhandlung.* 1775. 8. 4. *Bogg.*

i. e.

Obſeruationes in itinere in Hercyniam inſtitutae, cum tentamine altitudinem montis Bructeri barometro definiendi. Auctore E. A. W. ZIMMERMANN.

Iter hoc ideo inprimis ſuſceptum eſt, vt Cl. Auctor altitudinem montis *Bructeri*, nondum ſatis definitam, nouo, a Cl. DE LVC compoſito barometro, quod prae aliis laudem accurationis ab Auctore et aliis accepit, dimeteretur. Per tres dies, tribus de die vicibus Cl. Auctor, obſeruationes cum barometro, methodo prima Cl. DE LVC *) inſtituit: quam hic etiam commemorat. Ex omnibus obſeruationibus media huius montis altitudo eſt 3013′ 7″ 1⅞‴: quae ea, quam Cl. HOLLMANN, qui 1102, 8 pedes Pariſinos, et MYLIVS, cuius



*) vid. EIVSD. connoiſſance des mouvemens celeſtes 1764: recentiorem eius methodum Cl. KAESTNER deſcripſit in *Anmerkung über die Marktſcheidekunſt. Gött.* 1775. *S.* 215.

ratio eſt 1349, 373 ped. Pariſin. multo maior eſt, et cum trigonometrica per RITTERVM *) et RIPKING **) facta dimenſione melius conuenit, quam illae.

Praeterea inſperſae ſunt variae phyſicam et hi-
p. 10. ſtoriam naturalem attinentes res. In ſummo Bructeri montis planities eſt ſterilis, omnibus plantis et arboribus orba. Perill. DE ZANTHIER, in re foreſtali ſatis clarus, conatur ſenſim a radice montis
p. 12. incipiens in eo arbores plantare. Etſi ea, quae de lapidibus auriferis dicuntur ad fabulas pertinere videntur; tamen tentamine inſtituto in diuerſis huius montis lapidibus, quos vero non deſcripſit Cl. Auctor, materiam auriferam per aquam cum lapide cohaerentem vidit, quae fuſione auri grana obtulit. Turfa, hic copioſiſſima, maximum vſum praeſtat.

Blankenburgi in muſeo Conſiliarii Imperialis Cl. FRIDERICI vidit Smaragdum, cryſtalliſatum, priſmaticum, pollicis et quatuor linearum longitudinem, et nouem linearum craſſitiem aequantem, in lapide quarzeo pyrite obtecto, qui ex inſulis Philippinis eſſe dicitur.

Baumannianam ſpecum quoque intrauit, et eius ſtalactitas deſcribit; inter alia dens petrefactus lupi vel alius ignoti animalis illic inventus eſt.

Poſtea obſeruationes ſubterraneas, in fodinis diuerſis Hercyniae, cum barometro Lucciano inſtitu-

*) EIVSD. relatio hiſtorico-curioſa de iterato itinere in Hercyniae montem famoſiſſimum Bructerum. Helmſtad. 1740. p. 18.

**) Syluae Hercyniae tabulae.

inſtitutas recenſet: ex quibus patet in fodinis frigidis barometro aeque certe, quam dimenſionibus finitorum, altitudinem fodinarum definiri poſſe: minus certe vero hanc altitudinem indicat barometrum in calidis fodinis.

## IV.

Table pour ſervir à l' hiſtoire anatomique & naturelle des corps vivans ou organiques, publiée le 12 Novembre 1774, à la ſeance publique de l' Academie Royale des Sciences; Par Mr. FELIX VICQ D' AZIR.

i. e.

Tabula, qua hiſtoria anatomica et naturalis corporum viuorum ſ. organicorum propoſita eſt, coram Academia Regali Scientiarum Pariſienſi publicata, Auctore FELICE VICQ D' AZIR.

Hoc titulo accepimus plagulam, quae totius folii forma eſt et tabulari, in qua diuiſionem ex diuerſa fabrica interiori totius regni animalis et vegetabilis proponit Auctor: quam cum ad paucos forte ventura et multas ob rationes notatu digna ſit, hic Latinis verbis inſeramus.

In prima ſerie ponit capita ſeu genera anatomica, quae ex ipſa tabula deinde quoque patebunt; in altera indiuidua, quae tranſitum ſeu vinculum diuerſarum claſſium efficiunt: haec, quoniam ex aliis iam cognita ſunt, hic transſcribere ſuperfluum iudicamus.

Corpora viua, inquit Auctor [priorum

I. corde inſtruuntur, vel II. eodem carent. Cor

A. duobus ventriculis praeditum eſt

1. in Homine, qui vt infans, adultus, duplicis ſexus, et ſenex conſideratur.

2. in quadrupedibus, quae

a. vel vno ſtomacho ſ. ventriculo cibos concoquunt: eaque ſunt

α) clauiculata

1. familia. Simia

2. — — Sciurus [BVFF).

3. — — Sciurus Glis LINN. (Loir

4. — — Talpa.

β) non clauiculata

1. mediae magnitudinis

1. Lepus et cuniculus

2. Canis 3. Felis 4. Sus.

2. magno corporis volumine

1. Equus ---- Hippopotamus, tranſitum facit in amphibia

2. Elephas et Rhinoceros.

b. pluribus ventriculis praedita

1. cornibus ſolidis. Ceruus

2. cornubus cauis. Bos.

3. in Cetaceis, quae ſunt

1. maxillis edentulis, Balaenae, Auctore Cl. BRISSON.

2. dentibus inſtructa, in maxilla

a. ſuperiore. Phyſeter,

b. inferiore. Monodon,

c. vtraque. Delphinus.

4. in Auibus, [branaceo,

a. ventriculo membranaceo, aut fere mem-

α) magnae carniuorae, Aquilae ſ. Falco

β) carniuorae nocturnae, Strix. [LINN.

γ) aquatiles fiſſipedes. Ardeae.

I. A. 4. b.

I. A. 4. b. ventriculo admodum muſculoſo (*gezier*):
1. tetradactylae, pedibus
α) tectis, et quidem ſemipalmatis, (ſ. potius lobatis) Fulica,
palmatis, Anas.
digitis omnibus 4 palmatis. Pelecanus.
β) nudis
1. Ramphaſtus.
2. Coruus.
3. Parus.
4. Columbae.
5. Didus, Auctore Cl. D'AVBENTON.
2. tridactylae, pedibus
palmatis. Procellaria et Diomedea
fiſſis. Caſuarius.
3. didactylae. Struthio camelus *).
B. vno ventriculo inſtruitur,
1. in Amphibiis, quae ſunt
pedata et teſta tecta. Teſtudo.
tetrapoda, corpore nudo. Rana **).
apoda. Serpentes
2. in Piſcibus, qui
a. auricula bulloſa, abſque pericardio praedita ſunt
1. cartilaginei elongati. Squalus.
2. — — plani, depreſſi. Raia ***).
b. pericardio et appendice, quae formam Lacrymae Iobi imitatur inſtructi:
1. anguilliformes. Congri
2. ſpinoſi, ſubrotundi, Carpiones ſ. Cyprini
3. ſpinoſi plani. Eſox †).



*) Multa genera et Mammalium et auium deſunt, quae ſub his comprehendi nequeunt.
**) Cur Lacertas omiſerit Auctor, nobis non conſtat.
***) Multa Linnaeana genera deſunt.
†) Sed multa deſiderantur. Deinde ſpinas in Cyprinis et Eſoce,

I. C. irregulare ſeu pluribus ventriculis praeditum eſt
1. Inſectis, quae
a. plures metamorphoſes ſubeunt et
α) laruae ſunt
ſimiles inſecto alato, in Hemipteris
vermes capite variabili, in coleopteris conſtanti, in Muſcis
erucae, vel raſae ſeu pilis breuibus inſtructae in Phalaenis *)
piloſae in Papilione
β) Nymphae ſunt
1 mobiles
α) Semi nymphae, quae non comedunt. Hemiptera.
β) Nymphae, quae non comedunt. Tetraptera quaedam **).
2. immobiles
1. chryſalides, inde Lepidoptera
2. globi elongati, — Diptera.
Inſecta alata ſunt
1. Duabus alis. Scarabaei ***).
2. quatuor alis. Papiliones.
b. quae vnam tantum metamorphoſin ſubeunt

| | | |
|---|---|---|
| cruſtacea | Pulex | aptera. |
| mollia | Pediculus | |

2. Vermibus; hi ſunt
a. Tecti
1. Glabri ſine vlla eminentia. Chiton (*Oſcabrion*).

I. C. 1.

Eſoce, qui etiam planus non eſt, nos nullas cognoſcimus. Radios ſane pinnarum ita nominari recte poſſe multum dubitamus.

*) Multas ſane erucas Phalaenarum piloſiſſimas eſſe conſtat.

**) Optandum eſſet, vt haec nominaſſet Auctor.

***) Quid ſibi velit hic Auctor, nos latet.

I. C. 1. a. 2. tentaculati, et quidem tentaculis
1. duobus. Conchylia aquatilia
2. quatuor - - - - - terreſtria et marina
3. pluribus. Echini (Ourſins).
3. tubis inſtructi Cardia (*Coeurs*)
cochleae vel operculatae, vel non operculatae
b. conchae biualues
multiualues
4. paniculati. (*Pouſſe-pieds* †).
b. Nudi
1. tentaculati. Limax.
2. glabri.
1. longi, teretes. Lumbricus,
2. longi, compreſſi. Taenia,
3. breues, compreſſi. Vermis cucurbitinus *).

II. cor non eſt cognitum: eaque
1. ſe ex loco mouere poſſunt. Polypi.
a. nudi.
1. Vorticellae.
2. Hydrae. 3. Tubulariae.
b. tecti.
1. Magnus polypus borealis **).
2. Corallia.
3. Corallina.
4. Lithophyta.
5. Milleporae ***).
6. Spongia. 7. Alcyonia.

II. 2.

†) Hoc nomine forte conchas valde compreſſas intelligit.

*) Auctor hic fallitur, quod ex partibus Taeniae diſruptis nouam familiam conſtituat: Omiſſi etiam ſunt multi vermes nudi. [LINN.

**) Sine dubio intelligit Auctor *Vorticellam Encrinum.*

***) Madreporas, Tubiporas, et alia huc pertinentia animalia omiſit Auctor.

II. 2. quae loco ſe non mouent. Plantae.
a. mono — vel dicotyledones.
1. Herbae.
2. Frutices. 3. Arbores.
b. acotyledones.
1. Fungi.
2. Algae.
3. Muſci et plantae paraſyticae.
4. Lycoperda. (Truffes).

Hoc reſpectu diuiſis corporibus viuis, reliquarum functionum diuerſitatem etiam generali aliquo modo conſiderat. Et primo quidem

Nutritionem, quae fit

1. in contextu cellulari, vaſis chyliferis et lymphaticis in quadrupedibus, cetaceis, vt *Monodonte*, etſi hic fere nihil cognitum ſit, auibus, vt Struthione, et Meleagride, et quibusdam amphibiis. Phocas huc refert Auctor, quae vero ſunt quadrupeda.
2. in contextu cellulari, arteriolis et venulis, in Reptilibus et Piſcibus.
3. in contextu cellulari et vaſis capillaribus, Plantae.
4. in ſolo contextu cellulari. Polypi.

Quoad Generationem ſunt.

1. Viuipara, quadrupeda, cetacea, quaedam Inſecta et quidam Vermes,
2. ouipara; atque tunc
a. oua vel in vtero matris vel ſtatim poſt partum euoluuntur: Plura amphibia, et piſces cartilaginei.
b. oua poſt quoddam ab egreſſu tempus euoluuntur: Aues, Amphibia tetrapoda, et plura apoda. Piſces. Inſecta. Plantae.

3 Gem-

3. Gemmis ſe propagantia. Quaedam Inſecta *). Vermes aquarum dulcium. Polypi. Plantae.

Irritabilitatis differentiam ita indicat
1. Totum Corpus eſt contractile. Polypi. Inſecta ſ. potius Vermes, praeſertim molles. Dactylobi KLEINII.
2. Muſculi ſunt externi. Quadrupeda. Cetacea, Amphibia, Piſces.
3. Muſculi ſunt interni in Vermibus cruſtaceis.
4. Vix quibuſdam partibus eſt contractilitas, in Plantis.

Secretiones ſunt
1. Saliuae, in Quadrupedibus
2. Bilis, et quidem
   1. in hepate et veſicula fellea: Quadrupeda, Aues, Amphibia et Piſces.
   2. In hepate ſine veſicula fellea. Quaedam Quadrupeda, Aues et Amphibia; Inſecta et Vermes.
3. Vrinae,
   a. in renibus et veſica. Quadrupeda, fere omnes piſces, plura Amphibia.
   b. in renibus abſque veſica. Aues, quidam Piſces, et quaedam Amphibia.
4. Liquoris ſeminalis: haec in omnibus claſſibus fit.
5. Olei plus minuſue aromatici: quaedam Quadrupeda, Piſces et Plantae.
6. Veneni; in Amphibiis cartilagineis, Inſectis et Plantis quibuſdam.

Haec corpora reſpirant
I. aerem,

I. a. in

*) Haec non cognoſcimus.

I. a. in pulmonibus,
1. ſimplicibus. Amphibia,
2. compoſitis. Quadrupeda,
3. communicantibus cum ſceleto. Aues.
b. in tracheis; Inſecta et Vermes. Hic nominat D'AVBENTONVM.

II. Aerem et aquam, per pulmones et Spiracula. Cetacea.

III. Aquam per branchias. Piſces et multi Vermes.

Quoad oſſa, corpora viva
1. Sceleto ſuffulciuntur
1. interiore: Quadrupeda, Cetacea, Aues, Amphibia, Piſces et Plantae.
2. exteriore, Inſecta et Cruſtacea.
3. intus et extus: Teſtudo.
2. ſceleto carent. Inſecta mollia, Vermes, Polypi.

Sceleton eſt
1. oſſeum in Homine, Quadrupedibus, Cetaceis, Auibus et Piſcibus ſpinoſis.
2. cartilagineum, in Amphibiis, Piſcibus cartilagineis et anguilliformibus.
3. corneum in Inſectis, Cruſtaceis, Lithophytis et Corallinis.
4. Cretaceum in Conchyliis, Milleporis et plurium Polyporum tegmentis.
5. ligneum in Plantis.

Digeſtio fit
1. vno vel pluribus ventriculis, qui a reliquis inteſtinis bene diſtinguitur: Quadrupeda, Cetacea, Aues.
2. Ventriculo, parum a canali inteſtinorum diſtincto: Amphibia, Piſces, Inſecta, et Vermes.

3. ſolo

3. ſolo in Ventriculo. Polypi.
4. neque in inteſtinis, neque in Ventriculo, Plantae.

Senſibilitatis reſpectu, inſtruuntur

1. Neruis et cerebro: Quadrupeda, Aues, Cetacea, Amphibia, Piſces.
2. Cerebro et minimis neruis, Inſecta.
3. nullo cerebro, vix neruis cognitis, Vermes.
4. neque neruis, nec cerebro: Polypi et Plantae.

Etſi multa contra hanc tabulam poſſint opponi, et plures exceptiones fieri debeant: nos tamen de omnibus iſtis abſtinemus et Lectoris iudicio ea ſubmittimus.

## V.

Hortus botanicus Vindobonenſis ſeu plantarum rariorum, quae in horto botanico Vindobonenſi, Auguſtiſſimae MARIAE THERESIAE munificentia regia in vniuerſitatis patriae excellens ornamentum publicamque vtilitatem exſtructo, coluntur, icones coloratae et ſuccinctae deſcriptiones, cura et ſumptibus NICOLAI IOSEPHI IACQVIN, Botanices Profeſſoris. Vindebonae, Typis Leopoldi Ioannis Kaliwoda, Aulae imperialis typographi. Centuria I. MDCCLXX. fol. plagg. 11. tabb. aen. C. Centuria II. MDCCLXX. plagg. 13. tab. aen. C.

Vt cognitio legitima rariorum plantarum in rei herbariae augmentum cedat, neque earum memoria pereat: ipſarum delineationes et deſcriptiones

nes in hoc opere botanicis offert Cl. Auctor. Figuris exactiſſimis ſtirpes magnitudine naturali exhibet, et tantam quidem earum partem, vt ad totum inde habitum concludi commode queat, et cum ipſis radicibus. Singulas etiam fructificationis partes microſcopio interdum auctas, cum neceſſe erat, ſeparatim depingi curauit: ſummam curam in pingendis et delineandis et colore viuo ornandis plantis adhibitam eſſe icones ſplendidiſſimae ſufficienter demonſtrant. Quum carum hoc opus pauci ement: centum et ſexaginta duo exemplaria imprimi curauit, coloranda omnia, neque plura, tabulis aeneis iam deletis, impoſterum imprimentur. Quare cum rarum futurum eſt hoc opus, botanicis gratam fore paullo ampliorem eiuſdem recenſionem ſperamus.

Tab. I. *Roſa bicolor*, cuius ſynonymon Cl. Auctor reperire non potuit: eſt tamen iam a MILLERO *) et DU ROI *Roſa punicea* **) dicta. Color petalorum in pagina aduerſa ſulphureus; in prona vero eleganter miniatus. Rami ſunt glabri, aculeis rectis, ſparſis armati.

Tab. II. *Iris ſambucina*. LINN. Pollen antherarum albicat. Germen teres, leuiterque triſulcatum, lineis virentibus ſenis notatur. Color variat.

Tab. III. *Senecio verbenaefolius*, quem Aegyptiacum alii nominant; pertinet is ad *Seneciones floſculoſos* LINNAEI, a vulgari differt calycibus non ſphacelatis; Senecioni trifloro ſimillimus, ſi illi radiatus flos eſſet. Caeterum planta eſt glaberrima, et annua.

Tab. IV. *Boerhavia ſcandens*. LINN. Hanc Cl. Auctor in pluribus inſulis Caribaeis, copioſiſſime

*) vid. Eius diction. 12.

**) vid. comm noſtr. Vol. XIX. p. 545.

ſiſſime in inſula Curacao inuenit, in ruderibus lapidoſis laetius vegetantem. Flores ex viridi flaueſcunt, ſtaminibus binis vel ternis praediti. Nunquam vnicum ſtamen obſeruauit Noſter. Fructus tuberculis ſuperne capitatis et aſperis circumdatur. Aeſtatem in noſtris terris ſub dio commode non agit.

Tabula v, et vi. *Boerhaavia erecta*, quae in hybernaculis plerumque annua eſt, ſtaminibus 2, didymis, ſtigmate rubello magno capitato obtuſiſſimo, filamentis paullo longiore inſtruitur. Dium non bene fert.

Tab. vii. *Boerhaavia hirſuta*, LINN. ſyſt. veg. XIII. p. 50. foliis glabris margine piloſis, ouatis, ſinuato vndulatis, petiolatis oppoſitis; floribus purpureis, filamento vnico.

Tab. viii. *Aſter Pannonicus*, glaber, caule tereti, ſuberecto, foliis lanceolato linearibus, floribus corymboſis, coeruleo purpuraſcentibus; foliis flexiliſſimis, ab *Aſtere acri* diſtinguitur.

Tab. ix. *Cucumis Prophetarum*, quae foetorem ſpargit nauſeoſum: fructus amaritie colocynthidi non cedunt.

Tab. x. *Paſſiflora ſerratifolia*, LINN. ſtipulis linearibus acuminatis, petiolatis, quatuor glandulis inſtructis, floribus pallide purpuraſcentibus.

Tab. xi. *Solanum pſeudolycoperſicum*, quod racemis ſimplicibus et baccis flaueſcentibus villoſis, a S. *lycoperſico* differt, quod racemos bifidos, baccaſque rubicundas glabriores habet.

Tab. xii. *Solanum Aethiopicum*, LINN. quod in coſta folii media vtrinque, tum in ramis et calycibus aculeis munitur, quos in Suecia nullos obſeruauit LINNAEVS.

Tab. xiii. *Solanum verbaſcifolium* LINN. In ſyluis montoſis inſulae Martinicae creſcentem

vidit hanc arbuſculam comoſam, inermem, humanam altitudinem ſuperantem, truncoque ſuffultam craſſitie brachiali: in America Nouembri floret.

Tab. XIV. *Solanum igneum* LINN. humanam altitudinem cultum ſuperat: fructum tulit, piſi magnitudine, flauicantem: truncus, rami, et foliorum coſtae aculeis obſidentur; folia ſunt lanceolata, iuniora villoſa, adultiora glabra.

Tab. XV. *Scabioſa diuaricata*, annua, caule tereti ſcabro, ramoſo, patentiſſimo; foliis pinnatifidis, lobis extimis obouatis dentatisque, in reliquis lineari lanceolatis integrisque: floribus eſt inuolucrum polyphyllum, inaequale, piloſum, corolla duplo longius: floſculi pallide purpuraſcunt, ſtamina corollam non ſuperant, germen eſt villoſum. Perianthium in 5 ſetas fuſcas rigidas, corolla duplo longiores abit. Fructus ſimilis eſt *Scabioſae ochroleucae*.

Tab. XVI. *Morinda Royoc*, LINN. In inſularum Caribaearum locis fruticoſis reperitur planta haec ſcandens: truncus lignoſus cortice cinereo veſtitur, rami iuniores ſunt quadrangulares, folia oppoſita, obouata. Receptaculum commune colligit germina infera in capitulum, quod in fructum communem abit flauum, ſucculentum, mollem foetidumque. Corolla niuea, antherae ſulphureae, ſemina albida hinc turgida, illinc compreſſa ſunt. Ex radice ſpiritu vini tinctura crocea extrahitur: aqua ſimili colore tingitur, ſed breui in purpureo fuſcum tingitur. Infuſum filtratum deponit ſedimentum ſaturate purpureum. Certe ex his colligere licet plantam hanc ad tinctorias adhiberi poſſe.

Tab XVII. *Digitalis paruiflora*, perennans, caulibus ſtrictis, angulatis glabris, foliis oblongis ſeſſilibus, ſubglabris: flores ſunt ferruginei, ſtamina quatuor,

tuor, ſaepe quinque. A *Digitali ferruginea* floribus minoribus, et labii inferioris breuitate diſtinguitur.

Tab. XVIII. et XIX. *Geranium ciconium et ſibiricum* LINN.

Tab. XX. *Paſſiflora minima*, LINN. quam LOEFLING in itinere optime deſcripſit; in continente Americae aeque, quam in inſulis eam inuenit Cl. Auctor: differt a *P. nigra*. (vid. IACQV. *Obſeru. P. II.*) foliis margine non ſcabris, floribusque.

Tab. XXI. *Iatropha vrens*, LINN. cuius folia non ſunt palmata, vt LINNAEVS dicit, ſed baſi cordata, ſemitriloba; maſculi flores ſunt monopetali, hypocrateriformes, fructus aculeati.

Tab. XXII. *Citharexylum quadrangulare*, quod a Noſtro iam LINNAEVS in ſyſtematis XIII. editione pag. 472. aſſumſit; differt a *C. cinereo* LINN. baccis mature rubentibus et caule tetragono.

Tab. XXIII. *Dolichos vnguiculatus* LINN. foliis lanceolato ouatis, acutis, pedunculis capitatis, paucifloris. Singulare eſt huic ſpeciei, quod bini flores pedunculum terminent, hisque in fructum abeuntibus, prodeat flos vnus alterque. Stigma eſt longe barbatum.

Tab. XXIV. *Cleome pentaphylla* LINN. folia floralia ſunt ternata, pedunculi vniflori.

Tab. XXV. *Coronilla cretica* LINN. annua, in hybernaculis tamen per hyemem durat.

Tab. XXVI. *Meſembryanthemum forficatum* LINN. foliis faſciculatim oppoſitis, cymbaeformibus, dorſo integra, obſolete punctata. Flores ſunt rubri.

Tab. XXVII. *Lobelia longiflora* LINN. cuius characterem dedit Cl. Auctor *in Hiſtoria ſtirpium Americanarum*. In noſtris hybernaculis per plures annos durat. Atmoſphaeram effluuiis implet, odo-

ratus organo infeſtis; lac de laeſa planta emanans, ardorem linguae inprimit.

Tab. XXVIII. *Crataegus punctata*, Americana arbor hyemes noſtras perfert, eſt inermis foliis obouatis, acutis, inaequaliter duplicato ſerratis, vtrinque glaberrimis; ſtipulis linearibus, ciliato ſerratis, caducis: floribus racemoſis, in quibus ſtyli tres aut duo, fructu punctato.

Tab. XXIX. *Byttneria microphylla* LINN. Syſt. XIII. p. 197. Frutex diſpeſcitur in ramos diſtichos alternos, ſenſim decreſcentes, flexuoſos: iuniores rami ſunt virides, ſubangulati, aculeati; aculei autem in ſeneſcentibus fruticibus decidunt, tumque cortex fit cinereus. Ad aculeorum latera folia horizontalia duo ouata inermia egrediuntur: pedunculi ſunt vniflori, axillares, flos eſt albo purpureoque varius: et hic etiam magnitudine microſcopio aucta delineatus eſt.

Tab. XXX. *Melochia pyramidata* LINN. Cl. Auctor putat *Melochiam dominicenſem*, a Se in *hiſt. ſtirp. Amer.* p. 198. deſcriptam, quae ſit frutex lignoſus; *M. pyramidatam*, herbaceam, et *Melochiam*, quam LOEFLINGIVS *) deſcripſit, aut tres eſſe diſtinctas ſpecies, aut praeter modum variare. Nos in XIII. ſyſtematis Linnaeani editione reperimus vtrasque IACQVINI plantas citatas, cum quaeſtione, *an* IACQVINI *diuerſae? M. pyramidatae* eſt caulis glaber, ramis alternis, qui foliis lanceolatis, glabris, obtuſe ſerratis oppoſiti ſunt, inter quae pedunculi oriuntur vmbellati. Flos eſt purpureus.

Tab. XXXI. et XXXII. *Bromelia Karatas.* LINN. Prior tabula ſtirpem integram exhibet magnitudine illa, qua in hortis Viennenſibus fructigera erat; altera tabula longitudine diſciſſam, vt ſtructura interior pateat; Depictus quoque eſt fructus integer, et

diſciſſus.

*) in itin. Hiſpan. p. 118.

diſciſſus. Singularis omnino haec planta omnem attentionem meretur. Radix nouellae plantulae bulbillum refert, qui ſubſequentibus annis in corpus ouatum ſubligneum producitur, cuius anguſto collo multicipiti flores aggregati inſident. Floſculi omnes 200 – 300 diſcum efficiunt tripollicarem, corolla roſea, calyce et germine villoſis, Fructus ouales lanuginoſi, ſub cortice coriaceo pulpam albidam ſubdulcem continet. Naſcitur in locis montoſis ſyluaticis Caribaeis.

Tab. XXXIII. *Geropogon glabrum* LINN. Semina radii patentiſſima, pilis paucis; intermedia ſtant erecta, pilis tenuibus et plumoſis coronantur. Calycis baſis interdum pubeſcit. Corolla eſt carnei coloris.

Tab. XXXIV. *Phaſeolus rufus*, qui nobis *P. lunati* varietas videtur, in noſtris hortis etiam communis eſt, a ſemine *rufo* nomen accepit: legumina ſunt compreſſa et acuminata. Flores *Ph. inamoeno* ſimiles ſunt.

Tab. XXXV. *Conuoluulus farinoſus* LINN. ſyſt. XIII. p. 168. Petali carnei, ſubinfundibuliformis limbus eſt obtuſus et ſemiquinquefidus. Tubi pars inferior quinqueſulcata. Antherae coeruleſcentes. Capſula eſt quadrilocularis.

Tab. XXXVI. *Viburnum dentatum*, LINN. Folia ſunt in ramis iunioribus florentibus ſaepius terna, flores albi: cortex trunci glaber, fuſcus.

Tab. XXXVII. *Saluia virgata*, foliis radicalibus ob- p. 14.
longis obtuſis, baſi cordatis, rugoſis, glabris, neruo veniſque dorſalibus villoſis; foliis caulinis ſuperioribus ſeſſilibus, vix hirſutis. Caules hirſuti ſubquadrangulares, ſtricti, ramis racemoſo virgati. Corollae niueae, aut roſeae, aut coeruleſcentes.

Tab. XXXVIII. *Cynanchum erectum* LINN. Nectarii ſunt foliola quinque, alba, petaliformia, ſtylo

duplo breuiora, patula cum petalis alternantia, germinique inſerta. Squamae ſtaminiferae quinque, gibbae, germini intra nectarii foliola impoſitae, ſtylo accumbentes, interne vniloculares. Filamenta decem, adſcendentia, ſingula vicina duo ex eodem puncto, inter duas ſquamas proximas. Antherae oblongae, erectae. Stylus indiuiſus inverſe fuſiformis, ſupra bifidum germen in collum coarctatur. Stigma obtuſum, bifidum. Ex hac deſcriptione ſequi videtur, *Cynanchum* eſſe ad Decandriam referendum, quemadmodum iam de *Aſclepiade* et reliquis contortis id affirmauit Cl. KOELREVTERVS *). Optandum fuiſſet, vt Cl. Auctor partium harum ſtructuram, ſingulatim iconibus illuſtraſſet.

Tab. XXXIX. *Malua paruiflora* et T. XL. *Malua verticillata*, notae, vt putamus, plantae.

Tab. XLI. *Lauatera cretica* LINN. quae a *L. Thuringiaca* inprimis floribus multo minoribus, tomento foliorum breui, et pedunculis vnifloris, ternis confertis diſtinguitur.

Tab. XLII. *Statice Armeria maior*, quae eſt varietas *Statices Armeriae* LINN. differtque ſolis foliis, quae ſunt in illa longa lanceolata: acuminata cum apice incuruo. Varietas tamen haec, neque cultura, neque ſemine propagata, in alteram mutatur.

Tab. XLIII. *Silphium terebinthinaceum*, caule glabro, erecto, ſolido, ſuperne paniculato, folioſo non ramoſo: foliis radicalibus cordatis, acutis ſcabris, dentatis ciliatisque, alternis, venoſis: petiolis longis, amplexicaulibus; foliis caulinis, non cordatis, ſed oblongis, ſemiamplexicaulibus, ſummis ſeſſilibus: pedunculis elongatis inſidet flos luteus,

*) vid. Acta Manheimenſia. comm. noſtr. ſupra p. 4.

teus, qui expanſus orientem ſpectat. Floris character cum eo, quem LINNAEVS dedit, conuenit: tota planta laeſa ſuccum dat terebinthinaceum.

Tab. XLIV. *Carduus pycnocephalus* LINN.

Tab. XLV. *Echium*, de quo, an *E. plantaginei* LINN. vaietas ſit, quaerit Cl. Auctor: cuius tamen iconem non reperimus in XIII. Syſt. editione citatam. Differt ab *E. vulgari*, radice annua, rubra, ſanguineum ſuccum fundente; pilis flexilibus, et ſine verruculis nigricantibus; foliis radicalibus in petiolum longum attenuatis.

Tab. XLVI. *Lathyrus Tingitanus* LINN.

Tab. XLVII. *Lactuca tuberoſa*, radicis tuberibus oblongis, foliis ſpinoſo dentatis, infimis integris, ſuperioribus ſinuato pinnatifidis: corollis ex coeruleo dilute purpuraſcentibus. Planta haec foliorum forma valde ludit.

Tab. XLVIII. *Forskoelea tenaciſſima* LINN. Flores, qui difficile definiuntur, ita deſcribit. Calycis plana et inaequalia latitudine folia baſi atque lateribus hirſutiſſima ſunt, flores compreſſi, petala octo, filamenta longitudine calycis, ſtyli hirſutiſſimi quinque.

Tab. XLIX. *Drypis ſpinoſa* LINN. ſyſt. XIII. p. 246. Inſipida et inodora eſt. Rami diffuſi, ad folia articulati, ſubquadrangulares, extremi florentes dichotomi. Folia ſubulata, mucronata pungentia. Petala ex carneo albeſcunt, antherae coeruleſcunt. Semina flauent.

Tab. L. *Alſtroemeria Pelegrina* LINN. vid. deſcriptionem in amoenit. Vol. VI. p. 247. Flores terminales nutantes: tubera, ſi ad ollae fundum pertingunt, inflectuntur. p. 20.

Tab. LI. *Chaerophyllum coloratum* LINN. Radix odore et ſapore aliquo *Dauci Carotae* praedita eſt.

 Tab.

Tab. LII. *Seſeli ammoides* LINN. tota planta nitet, foliis bipinnato multifidis inſtruitur, foliolis acuminatis, planis, linearibus, apice pallentibus. Semina ſunt ſapore acri praedita.

Tab. LIII. *Tordylium apulum* LINN. annuum eſt, foliis radicalibus pubeſcentibus, caulinis glabris et acutis; caule ſtricto piloſo: inuolucri folia ſunt ſetacea, flores omnes fertiles; ſemen interne rubeſcit: floret Iulio et Auguſto.

Tab. LIV. *Tordylium ſyriacum* LINN.

p. 22 Tab. LV. *Geranium moſchatum* LINN. caulibus teretibus, ſubglutinoſis, erectis ſtipulis ouatis, membranaceis albidis, foliis pinnatis, ſubglutinoſis, pubeſcentibus. Filamenta floris non ſunt connata. Odore optime a *Geranio cicutario* diſtinguitur. A BOCCONE data icon reprehenditur, cum folia in ea nimis tenue ſint diſſecta.

Tab. LVI. *Sida umbellata* LINN. frutex eſt erectus, decempedalis: cortice cinereo, glabro; foliis rariſſime ſublobatis, ſtipulis lanceolatis, acutis; calyce campanulato, petalis luteis.

Tab. LVII. *Campanula Carpatica*, detecta a Cl. LIPP. caulibus herbaceis, annuis, vix ramoſis, foliis radicalibus ſubreniformibus, caulinis cordatis petiolatis, nitidis, inaequaliter ſerratis; pedunculis vnifloris; corolla coerulea, nectario villoſo. Floret per totam aeſtatem.

Tab. LVIII. *Anaſtatica hierochuntica* LINN.

Tab. LIX. *Cucubalus catholicus* LINN. caulibus viſcoſis, diffuſe paniculatis, ſubdichotomis, foliis ſubamplexicaulibus, reuolutis: calyce glabro purpuraſcenti, petalis profunde bifidis, filamentis corollae aequalibus.

Tab. LX. *Trifolium ſuffocatum* LINN. ſyſt. Veget. XIII. p. 574. Non eſt acaule, caules plu-

res

res procumbentes emittit. Corollae albae calyce ſunt duplo breuiores.

Tab. LXI. *Selinum Seguieri.* Plantam hanc, quam LINNAEVS prius ad *Selinum Caruifoliam* reduxit, iam vero in Syſt. Veget. XIII. p. 230. tanquam ſpeciem agnouit, Cl. Auctor ampla et accurata deſcriptione illuſtrat.

Tab. LXII. *Selinum Monnieri.*

Tab. LXIII. *Ferraria vndulata.* Huius ſaepe iam depictae elegantis plantae nouam et correctiorem prae aliis dat iconem: monetque eſſe eandem in Monadelphiam, et quidem nouo ordine, Triandriam, referendam. Filamenta enim tria, ſuperne diſtincta, in vnum ſunt tubum cylindraceum connata, germini impoſitum, corolla duplo breuiorem, erectum. Antherae ſubouatae, didymae filamentis incumbunt. Germen oblongum, triquetrum; ſtylus a filamentis includitur: ſtigmata tria, profunde bifida ſunt ciliata.

Tab. LXIV. *Centaurea ſalmantica* LINN. foliis dentatis, radicalibus pinnatifido ſinuatis, caulinis oblongis, ſummis glaberrimis. Corolla ex albo rubroque variat.

Tab. LXV. *Malua Aegyptiaca* LINN. Syſt. Veg. XIII. p. 520.

Tab. LXVI. *Phaſeolus inamoenus.* Singulare eſt in hoc, quod foliorum lateralium baſis interna duplo triplove latior ſit, externa. Legumen acuminatum et dorſo arcuatum eſt.

Tab. LXVII. *Dolichos ſeſquipedalis*, ſtipulae caulinae ſunt ouato lanceolatae appendiculatae: petiolares autem ſubouatae conuexae.

Tab. LXVIII. *Salſola Soda*, Flores ſolitarii inſident axillis, ſtipati vtrinque folio laterali minimo. Calyx membranaceus clauſus. Filamenta, calyce duplo longiora, receptaculo, nec calyci, inſeruntur.

Tab. LXIX. *Hyſſopus Nepetoides.* Flos in eo ab *Hyſſopo* differt, quod calyx ſit obtuſus, dentibus duobus inferioribus breuioribus; et in corolla labii inferioris lacinia intermedia crenata obtuſiſſima integra, nec bifida.

Tab. LXX. *Stachys maritima.* Corollae labium ſuperius inaequaliter tridentatum, obuerſe ouatum, baſi concauum, ſuperne planum eſt.

Tab. LXXI. *Sideroxylon melanophleum.* Differt ſtructura floris a charactere *Sideroxyli.* Perianthium paruum, inferum coloratum in tres vel plures partes diuiditur. Corollae tubus eſt breviſſimus, limbi laciniae quinque, ouatae, obtuſae, patentes. Filamenta 5, breuiſſima, tubo corollae inſiguntur, antherae erectae, craſſae ipſas aequant corollae lacinias. Germen globoſum, ſuperum: ſtylus craſſus, corolla breuior, ſtigma bifidum.

Tab. LXXII – LXXIV. *Lauatera trimeſtris.* , *L. Olbia* et *L. triloba*, LINN.

Tab. LXXV. *Amomum Zingiber*, cuius quoque hiſtoriam abbreuiatam tradit. In America cultam tantum vidit Cl. Auctor; floris ſtructura curate expoſita eſt, nos notamus id, quod in Linnaeano charactere deeſt. Spatha membranacea dempta, germen triquetrum, compreſſum, inferum, ſpatha propria coronatum prodit in conſpectum. Filamentum, quod etiam pro nectarii labio ſuperiore haberi poteſt vnicum, antheras duas, iuxta ſe inuicem poſitas, oblongas, albidas, adnatas locat in ſinu ſuo; inter quas, ad extremitatem vſque filamenti pertingens tranſit et occultatur ſtylus filiformis, ex germine ortus inter duo corpuſcula, ſubulata breuia, filamentiformia.

Tab. LXXVI. *Glycine ſtriata*, non alibi deſcripta, Americae torridae indigena, perennis eſt: caule

caule lignoſo, ramis volubilibus teretibus, hirſutis; foliis ternatis, foliolis ouatis, obtuſis, ſetula terminatis, floribus racemoſis, calyce piloſo. In pluribus floribus germen ſtylo ſtigmateque caret, hisque nullus fructus ſuccedit.

Tab. LXXVII. *Aſphodelus luteus.* Naturae conuenientiſſime deſcribitur. Corolla tam profunde eſt diuiſa, vt aegre monopetala dici mereatur. Nectarii ſquamae nihil ſunt, niſi filamentorum baſes dilatatae: in germinis ſexſulcati tribus ſulcis alternis profundioribus paullo ſupra mediam altitudinem conſpicitur porus, ex quo dulcis liquor exſudat, qui tandem totum ſpatium ſquamas inter germenque replet. Hic in fructu porus maculam oblongam atrouirentem efficit, tunc euaneſcentem, cum maturus exſiccatur.

Tab. LXXVIII. *Saluia indica*, caulibus tetragonis, hirſutis, foliis oblongo cordatis, ſinuoſo dentatis: floribus caducis, calyce hirſuto, glutinoſo; corollae galea apice eſt fiſſa, labii inferioris lacinia intermedia cuculliformis: germina inſident corpori glanduloſo.

Tab. LXXIX. *Siſymbrium polyceratium.*

Tab. LXXX. *Mimoſa virgata*, quae etiam in America torrida inuenitur. Flores in capitulum collectos profert triplicis generis; floris vnius alteriusue exterioris perianthium eſt campanulatum ſubquinquangulare, et quinquefidum: corolla pentapetala, petalis oualibus vtrinque acutis, calyce duplo maioribus; filamenta 10, triplo corolla longiora; antherae nullae. Reliquis floribus calyx eſt infundibuliformis, longior; corolla ſimilis priori, ſed longior; filamenta igitur hic duplo tantum longiora, antheris flauis incumbentibus. In his floribus vel ſtylus inſiſtit germini lineari, eſt petalis fere breuior et ſtigmate praeditus infundibuli-

dibuliformi, vel ſtylus filamenta longitudine aequat, ſtigmate inſtructus, ſimplici obtuſo.

Tab. LXXXI, *Sempervivum ſediforme*, quod a Cl. Auctore LINNAEVS in Syſt. Veget. XIII. pag. 379. recepit.

Tab. LXXXII. *Antirrhinum cirrhoſum* LINN. S. Veg. XIII. p. 464. Ab *Antirrhino Elatine* differt glabritie, dum ſola folia intima ſubhirſuta ſint.

Tab. LXXXIII. *Anthericum Liliago*. Recte, vti nos in planta ſponte hac noſtra in regione naſcente quoque obſeruauimus, affirmat Cl. Auctor, folia radicalia eſſe carinata, nec plana, vti LINNAEVS dicit. Differt Cl. Auctoris planta, ab ea, quam Ill. HALLERVS ſub no. 1207 tradidit, quod petala non ſint petiolata, vno ordine omnia ſita, non extus virente linea inſcripta, ſed capſula ouata, trilocularis et triualuis.

Tab. LXXXIV. *Aletris Guineenſis*. De hac, quam in XIII. Syſt. veg. Linnaeani editione plane omiſſam animaduertimus, monet Cl. Auctor, fructum eſſe baccam mollem, ſubrotundam, ſucculentam, luteam cum pulpa concolore, magnitudine piſi, comprehenſam a fiſſo longitudinaliter corollae emarcidae tubo. Semen vnum molle. Igitur haec planta neque ad Aletrin, neque ad Aloen, neque ad aliud iam datum genus apte referri poteſt.

Tab. LXXXV. *Corchorus aeſtuans*.

Tab. LXXXVI. *Lathyrus inconſpicuus*.

Tab. LXXXVII. *Haſſelquiſtia Aegyptiaca*. Elegantis huius vmbellae characterem genericum ad viuas plantas concinnatum tradit.

Tab. LXXXIIX. *Spiraea lobata*, quam LINNAEVS in S. V. XIII. p. 393. *Spiraeam palmatam* dixit.

Tab. LXXXIX. *Medicago proſtrata*, legumine inermi tres gyros ſpirales abſoluente, foliis ternatis, foliolis anguſtis, ſtipulis ſetaceis; pedunculis axillaribus,

ribus, qui ſubumbellatim flores ſuſtinent, calyx eſt ſubpiloſus. Non habetur in LINNAEI ſyſtemate.

Tab. XC. *Dolichos luteolus.* Neque haec planta Americana in LINNAEI ſyſt. reperitur. Caulis eſt ſubangulatus, volubilis, ſtipulae lanceolatae et acuminatae, folia ternata, foliola ouata, petiolis propriis ſolis villoſis, foliolorum ſtipulis ſubrotundis; pedunculi axillares multiflori; calyx ſemiquadrifidus, corolla luteſcens.

Tab. XCI. *Digitalis obſcura;* Deſcriptioni Linneanae Syſt. Veg. XIII. pag. 440. addendum eſt bracteas lanceolatas et acuminatas; corollam extus purpuraſcentem, intus flauentem, faucem piloſam, et lacinias obtuſas eſſe.

Tab. XCII. *Centaurea cineraria* var. β. LINN. ſpec. plant. Putat Noſter hanc eſſe diſtinctam ſpeciem a prima LINNAEI varietate: cum in hac calyx valde ſit tomentoſus, folia vero parum incana, tenuiter diuiſa, quae omnia contraria ſint in prima, cui etiam ſit contiguum calyci folium, vt ſeſſilis calyx dici queat.

Tab. XCIII. *Ononis hircina* (CLVS. hiſt. 99. BARR. 830. ic. 1214.) caulibus procumbentibus, adſcendentibus, foliis ſubtus piloſis, ſupra glabris, caulinis ternatis, floralibus ſimplicibus; foliolis ouatis, acute ſerratis; ſtipulis ſerratis amplexicaulibus, longitudine foliorum ferme, floribus ſubpedunculatis, axillaribus, rubris, calyce leguminеque villoſis.

Tab. XCIV. *Teucrium Maſſilienſe.* Schreberianae deſcriptioni *) addendum eſt, caules quadrangulares, racemos erectos, flores ſecundos et calycem bilabiatum, labio ſuperiore plano, cordato et acuminato, inferiore quadridentato concauo eſſe.

Tab.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 615.

Tab. xcv. *Glycyrrhiza echinata.* In huius calyce lacinia media labii ſuperioris melius diceretur labium ipſum ſuperius integrum, ita, vt pertinerent tres dentes reliqui ad labium inferius. Radix recens ſaliuam et aquam carneo colore imbuit; aerique expoſita rubeſcit. Sapor eiuſdem ſimilis, *Glycyrrhizae* officinali, ſed non adeo dulcis eſt. Videtur Cl. Auctori eſſe *Glycyrrhiza* DIOSCORIDIS et veterum.

Tab. xcvi. *Scabioſa Palaeſtina.*

Tab. xcvii. *Scirpus cephalotes.* A charactere generico in quibuſdam recedit. Pro calyce ſunt ſquamae duae membranaceae: corollam facit gluma biualuis infera compreſſa, acuminata arcte conniuens, valuula altera duplo latiore: filamenta corolla duplo longiora antheras ſuſtinent lineares, erectas: germen ouale, glabrum compreſſum abit in ſtylum ſemibifidum: corolla includit ſemen.

Tab. xcviii. *Celoſia nodiflora*, foliis obuerſe lanceolatis, glabris, acutis, ſubundulatis, integris, baſique in petiolum attenuatis, pedunculis oppoſitifoliis. Calyx eſt triphyllus: germen ouatum pedicellatum, ſtigma capitato-bifidum; ſemen vnicum.

Tab. xcix. *Phaſeolus, an Max* LINN.*?* In XIII Linnaeani ſyſtematis editione haec icon non commemoratur. Auctor Cl. dicit, ſi *Cadelium* RVMPHII cum *Phaſ. Mace* LINN. idem eſt, plantam depictam differre a Linnaeana ſpecie. Vtvt ſit, Phaſeolus hic depictus inſtruitur, caule hirſuto, foliolis acutis, late ouatis ſtipulis foliorum ſubouatis, in acumen ſetaceum terminatis, floribus pluribus ſubcapitatis, bracteis in ſingulo flore geminis, leguminibus teretibus ad ſingula ſemina toruloſis.

Tab. c. *Phaſeolus bipunctatus;* noua eſt ſpecies; caule volubili cum foliis hirſutulo, legumine

leuiſſime

leuiſſime villoſo. Semina ſunt ſupra hilum vtrinque puncto ferrugineo inſignita. *Phaſeolo rufo* multum ſimilis eſt.

Tab. CI. *Dolichos pubeſcens* LINN. Spec. Pl. Vol. II. Hanc ſpeciem in XIII. ſyſt. veget. editione ad *Glycinem tomentoſam*, tamquam varietatem relatam invenimus, de qua iam Cl. Auctor monet eam a genere *Dolichi* alienam videri. Corollae vexillum leviſſime emarginatum, obcordatum, erectum, conniuens callis caret: alae ſublineares, obtuſae, erectae; carina oblonga, ſubfalcata. Germen oblongum compreſſum, ſtylus ſubulatus, et ſtigma eſt capitatum obtuſum.

Tab. CII. *Phaſeolus vexillatus.* Radix perennis caules herbaceos, annuos, teretes, hirſutos, volubiles producit. Foliola ſunt ouata, acuta, ſeta terminata, parte lateralium interiore duplo triploue anguſtiore.

Tab. CIII. *Hibiſcus ſpinifex.* In inſularum Caribaearum fruticetis maritimis naſcitur, primo anno humanam altitudinem adepta floret, poſtea ſe ad viginti pedes eleuat. Pedunculi vniflori. Calyx exterior quinis, et pluribus foliis inſtruitur, interior ſemiquinquefidus eſt. cf. LINN. S. V. XIII. pag. 523.

Tab. CIV. *Iuſticia ciliata.* Noua haec planta non in LINNAEI XIII. ſyſt. editione reperitur. Radix annua caules herbaceos plures inferne teretes, ſuperne obſolete quadrangulares, piloſos emittit. Folia ſunt oppoſita, hirſuta, lanceolata, integerrima. Flores axillares, ſeſſiles. Bractea ſublinearis, viridis, ciliata pilis longis albidis, vtrinque flori adſtat.

Tab. CV. *Digitalis lutea,* LINN. diuerſa ab HALLERI no. 331.

Tab.

Tab. cvi. *Tragopogon caliculatum*, nouum et *Scorzoneris* affine eſt: radix perennat, ad ambitum foliorum radicalium caules prodeunt adſcendentes, teretes, pedunculis pene aphyllis ſtriatis, pubeſcentibus, piloſis, ſub flore incraſſatis, vnifloris. Flores clauſi ſunt penduli: calyx veluti duplex, interior longior, vterque octophyllus. Corolla flaua.

Tab, cvii. *Aſclepias incarnata.* Flores odore pollent *Vanillae* aliquo.

Tab. cviii. *Saluia aegyptiaca.* Ad Linnaeanam in S. V. XIII. p. 64. deſcriptionem addendum eſt, calycem eſſe angulatum hirſutum, labium ſuperius ſubintegerrimum, inferius profunde bifidum et acuminatum: corollae labium ſuperius eſſe bifidum; labii inferioris laciniam mediam limbo eſſe crenato cum faſcia violacea.

Tab. cix. *Saponaria porrigens* vid. linn. S. V. XIII p. 347. Fuit antea ſub genere *Silenes.*

Tab. cx. *Coreopſis alternifolia*, foliis oblongis, ſcabris, inferioribus ternis, quaternis, vel oppoſitis, reliquis alternis.

Tab. cxi. *Scabioſa Transſyluanica*, foliis ſummis integerrimis et ſublinearibus. Calyx communis ex multis foliolis et paleis membranaceis mucronato ariſtatis componitur,

Tab. cxii. *Nepeta Italica*, caule obtuſo tetragono, villoſo, foliis cordatis, ſubuilloſis. Antherae bifidae ſaturate purpuraſcunt.

Tab. cxiii. *Solanum hybridum:* noua eſt ſpecies, trunco tereti, glabro aculeato, ramis ſupra tomentoſis, foliis ouatis acutis, vtrinque tomentoſis, repando angulatis, pedunculis racemoſis.

Tab. cxiv. *Phaſeolus*, de quo dubius eſt Cl. Auctor, an ſit *P. lunati* varietas. Differt ſeminibus cinereis aut ferrugineis lineatis a *P. rufo*, qui ipſe commode ad *P. lunatum* referri poteſt.

Tab.

Tab. cxv. *Tulbagia capenſis.* Planta ſingularis, habitu et odore *Allii*, flore *Hyacinthi* cum coronula denticulata *Silenes.* Flos conſtat perianthio et petalo quoad tubum connatis in corpus cylindricum, limbo ſolo diſtinctum: eſt praeterea perianth. monophyllum inferum, tubo obſolete trigono. Limbus corollae in ſex lanceolatas lacinias, alterne profundiores, diuiditur; filamenta 6, breuiſſima, antherae incumbentes didymae; germen ſubrotundum, ſtylus craſſus, breuior ſtaminibus, ſtigma obtuſum.

Tab. cxvi. *Fumaria nobilis.*

Tab. cxvii. *Celſia Arcturus*, quae prius *Verbaſci* ſpecies erat, iam quoque a LINNAEO S. V. XIII. p. 469. huic generi adſcribitur. Notat Cl. Auctor folia eſſe et alterna, et oppoſita, calycem eſſe villoſum, antheras didymas, capſulam ex ouato ſubrotundam, leuiſſime compreſſam, acuminatam oblique parum in duas valuulas diſcedentem, vt valuula altera totum capſulae acumen habeat.

Tab. cxviii. *Sida triquetra*, deſcriptio ex *Hiſt. ſtirp. American.* hic eſt repetita.

Tab. cxix. *Cytiſus Pſeudocaian.* Semina huius plantae ex Tranquebaria, et inſulis Caribaeis allata ſata, vtraque plantas ſimillimas produxerunt, eo cum diſcrimine, vt Caribaeae plantae primo anno non florerent, poſtea autem perirent. Quaerit Cl. Auctor: an ſit *Cytiſus Caian* LINN.

Tab. cxx. *Enonymus atropurpureus*, noua ex America ſeptentrionali arbuſcula; cortex eſt cinereus, aequalis, rami teretes, in extremitatibus compreſſi, glabri, folia oblongo lanceolata, glabra, oppoſita, pedunculi bi-aut quadriflori, flores tetrandri.

Tab. cxxi. *Paederota Bonarota.* A Linnaeano charactere Cl. Auctoris deſcriptio in eo differt, quod

corollae tribuat tubum ſubcylindricum, limbum bilabiatum, erectum, labio ſuperiore integerrimo, latiore, inferiore ſemitrifido; ſtigmaque obtuſum dicat.

Tab. CXXII. *Betula pumila.* Iuli maſculi ſeſſiles erecti ſunt, ſquamae ſubrotundae, concauae, ante ſingulas filamenta tria, patula, apice bifurcato binas gerentia antheras, latas didymas; itaque amentum maſculinum ad *Carpinos* pertinet. Iuli feminei ſummitates ramulorum nouorum terminant erecti, maſculis longiores et craſſiores: componuntur ex ſquamis numeroſis, ſparſim imbricatis, ſemitrilobis. Quaelibet ſquama continet germina tria orbicularia, ſtylis duobus.

Tab. CXXIII. *Ribes cynoſbati.*

Tab. CXXIV. *Dolichos Bengalenſis,* radice eſt perennante, caule ad tactum aſperiuſculo; folia ſubrotundo ouata, acuminata, et ſetula terminata: ſtipulae ad petiolos lanceolatae, ad foliola oblongae vel lineares, pedunculi racemoſi, legumina acuminata compreſſa, ſutura vtraque ſcabra, ſemina compreſſa, fuſca punctata, hilo protuberante longo. Alius quoque *D. Madagaſcarici,* ſemina ouata, vix compreſſa, ferruginea cum legumine depicta tradit, eundemque a priore ſpecie diuerſum putat, cum ſeminum conſtans diuerſitas aeque magni momenti eſſe videatur, quam alius cuiuſcunque partis. Vterque eſt nouus.

Tab. CXXV. et CXXVI. *Plantago alpina* et *P. Loeflingii.*

Tab. CXXVII. *Phlox maculata.*

Tab. CXXVIII. *Caucalis latifolia.*

Tab. CXXIX. *Seſeli multicaule,* radice perenni, ramis caulinis ſubdichotomis, his et caule teretibus ſtriatis; petiolo membranaceo et amplexicauli, foliis radicalibus et inferioribus ter pinnatis, ſum-

mis

mis ternatis, foliolis ſublinearibus: vmbellae vniverſales inuolucro ſaepe deſtitutae, vel paucifolio inſtructae.

Tab. CXXX. *Angelica verticillaris.* Summa cura omnia, quae ad plantam cognoſcendam neceſſaria ſunt, delineata et deſcripta ſunt. In vmbellis lateralibus multi flores ſunt ſteriles; in nonnullis floribus fructigeris, germen vix detegi poterat, corolla autem ſtaminibusque deciduis augebatur, ſaepe fructus triquetri, ſeminibus ternis.

Tab. CXXXI. *Pimpinella peregrina.* Petala dorſo ſunt hirſuta, germen ſubrotundum et hirſutum, et ſtyli patentes.

Tab. CXXXII. *Anethum ſegetum,* foliis bis vel ter pinnatis, pinnulis linearibus, acutis, planis.

Tab. CXXXIII. *Sium ſiculum.* Folia valde variant; radicalia aut ſimpliciſſima ouata, aut ternata, aut pinnata, aut bipinnata ſunt; ſic quoque caulina, quae tamen non ſunt ſimplicia. Inuolucrum vniverſale foliolis octonis linearibus conſtat. Germen oblongum ſtriatum: ſic etiam fructus.

Tab. CXXXIV. *Siſon ſegetum,* foliorum pinnis ouatis, argute ſerratis, inuolucro triphyllo. Sapore apii praedita ſunt ſemina.

Tab. CXXXV. *Spilanthus oleracea.*

Tab. CXXXVI. *Phyſalis viſcoſa.* Calyx eſt campanulatus, haud pentagonus, ſed lineis exſtantibus inaequalis, corolla duplo breuior: quae eſt ſubinfundibuliformis, limbo integro, quinquedentato, tubo villis denſiſſimis albidiſque impleto.

Tab. CXXXVII. *Tradeſcantia criſtata.* Elegans haec planta habitu *Commelinae* ſimilis eſt. Calycis foliola lanceolata, et acuta eriguntur; Petala coerulea tubum quaſi formant, limbo ſubcordato; filamenta capillaria et erecta pilis coeruleis

articulatis ornantur, germen eſt ſuperne villoſum, ſtigma clauatum.

Tab. cxxxviii. *Gypſophila adſcendens*, radice perenni, caulibus teretibus nodoſis adſcendentibus, pedunculis terminalibus ramoſis, foliis linearibus, pulpoſis, acutiuſculis. Noua, a LINNAEO non dicta eſt.

Tab. cxxxix. *Hemerocallis flaua.*

Tab. cxl. *Spiraea chamaedrifolia* LINN., quae eadem eſt cum *Spiraea vlmifolia* Cl. SCOPOLI (Fl. carn. I. p. 349. t. 22.); etſi hic negat, nam non ſemper folia ſunt terna, quaterna vel quina.

Tab. cxli. *Malua limenſis*, quae Peruuiam pro patria et Tab. cxlii. *M. Shaerardiana*, quae in Mediae arenoſis et inſula Creta prouenit.

Tab. cxliii. *Helicteres Iamaicenſis*, quae eſt *H. Iſora* var. β LINN. ab *Iſora* Horti Malab. differt, inprimis ob fructum non lateraliter pedunculo inſertum. Calyx eſt ſubcampanulatus; germen hirſutum et quinqueſulcatum inſidet receptaculo declinato, villoſo, abitque in ſtylum, inferne intortum, germine duplo longiorem; ad ſulcum germinis quemlibet eſt folium, quod nectarium LINNAEVS dicit; extra hoc filamenta decem, germen antheris, tegentia locantur. Fructus tomentoſus capſulis 5 ſpiraliter ad apices vſque conuolutis componitur. Totus calyx ſucco dulciſſimo plenus eſt.

Tab. cxliv. et cxlv. *Bunias balearica* et *B. aegyptiaca.*

Tab. cxlvi. *Vicia hybrida.* Differt a *V. lutea* hirſuto vexillo, retuſis omnibus foliis, minoreque caulis et foliorum pubeſcentia. A *Vicia pannonica* (Flor. Auſtr. t. 34.) differt floribus ſolitariis, ſtipulis non maculatis.

Tab. cxlvii. *Vicia bythinica.*

Tab.

Tab. CXLVIII. *Onopordum Illyricum.* Ab *O. Acanthio* foliis multo anguſtioribus, albidioribus, pinnatifide ad diſtantias diuiſis in lacinias longiores ouatas vel lanceolatas diſtinguitur.

Tab. CXLIX. *Onopordum Arabicum.* Ab *O. Acanthio* et *Illyrico* calicis foliolis omnibus erectis, nullis vel minime reflexis, facillime diſcernitur.

Tab. CL. *Hyoſeris lucida.* In hac nullum calycem proprium detexit. Pappus ſubplumoſus germina coronat.

Tab. CLI. *Portulaca paniculata* ſ. *P. patens* LINN.

Tab. CLII. *Saluia napifolia;* noua ſpecies, quae calidioris climatis indigena videtur. Saluiae verticillatae ſimillima eſt, differt tamen conſtanter corolla ſaturate purpurea, labio ſuperiore cordato emarginato, obtuſo et patente, labii inferioris laciniis lateralibus ſubouatis patulis et longitudine labii ſuperioris; lacinia media longiore.

Tab. CLIII. *Sedum daſyphyllum;* quod quidem *Sedi* characterem habet, praeſentibus minimis ſquamis: at calycis foliola ſunt ſex, totidemque petala et germina; ſtamina autem duodecim; vt itaque *Sedi* et *Semperuiui* artificialia genera hac plantula confundantur.

Tab. CLIV. *Linum maritimum:* foliola ſunt ouata acuta, germen glabrum, ſtigmata hirſuta.

Tab. CLV. *Lotus Arabicus.*

Tab. CLVI. *Malua Peruuiana.* A *Malua Limenſi* differt foliis quinquelobis vel trilobis, nunquam ſeptemlobis, minus hirſutis; floribus rubris, qui in *Limenſi* ſunt coerulei, pedunculo communi magis elongato, ſubſpicato, arillis ſeminum denticulis vtrinque exaſperatis.

Tab. CLVII. *Arum ſagittaefolium.* Antherae ſpadicem tegentes, microſcopio ſpectatae, videntur

conſtare filamentis connatis, quibus antherae in circumferentia adnaſcuntur.

Tab. CLVIII. *Ciſtus laeuipes.* Calyx eſt hirſutus, petala ouata crenulata, filamenta exteriora ſterilia, germen triquetro globoſum.

Tab. CLIX. *Conuoluulus diſſectus.* Planta haec quadriennis demum fructus maturos tulit. Pedunculi ſunt biflori. Calycis foliola ſunt arcte conuoluta; petali lobi rotundati cum acumine; ſtigma paruum globoſum didymum, capſula bilocularis et quadriualuis.

Tab. CLX. et CLXI. *Helianthus altiſſimus,* et *H. tuberoſus.*

Tab. CLXII. *Paſſiflora laurifolia.* Calycis foliola acuta et petala anguſte lanceolata, intus roſei coloris, ſurſum flexa ſunt. Nectarium conſtat ſerie duplici, exteriore breuiorum, interiore conniuentium fibrarum, albo, purpureo violaceoque variarum: ſtigmata tria vel quatuor pallent. Fructus ouatus, maturus luteus, pulpoſus, pulpa dulci aromatica.

Tab. CLXIII. *Paſſiflora ſuberoſa.* PLVMIERI icones a LINNAEO citatae multum ab hac planta abludunt, cui ſunt folia ouata, vel lanceolata, acuta, plus minus ſemitriloba vel integerrima: petiolo biglanduloſo, glandula obtuſa, apice perforata, pedicellata, ſtipulis ſubulatis. Stigmata vel tria vel quatuor.

Tab. CLXIV. *Eupatorium altiſſimum;* foliis vtrinque ad microſcopium valde punctatis calycis foliolis obtuſis, villoſis, corollis albis quinis. Differt omnino ab *Agerato altiſſimo* LINN. Spec., quod in Syſt. Veg. XIII. ad *Eupatorium*, eodem nomine triuiali, vnde neceſſario confuſio oritur, relatum eſt.

Tab. CLXV. *Erigeron viſcoſum,* calycis foliolis viſcoſis, pappo ad lentem breuiter piloſo.

Tab.

Tab. CLXVI. *Vrtica niuea.* Plantae, quas vidit, Cl. Auctor femineos tantum flores habuerunt, quorum calyx foliolis quatuor vel pluribus conſtat, intra quae germina octo plerumque ſtylo filiformi, erecto praedita, continentur. Differt igitur a charactere Vrticae.

Tab. CLXVII. *Niſſolia fruticoſa.*

Tab. CLXVIII. *Sinapis Allionii.* Haec non eſt *Sinapis braſſicata* LINN. ſed noua ſpecies, radice annua, caule ſolitario, tereti, foliis pinnatifide laciniatis glabris, floribus laxe racemoſis, luteis; ſiliquis ouato oblongis rugoſis non hirſutis.

Tab. CLXIX — CLXXI. *Sinapis incana, erucoides* et *iuncea.*

Tab. CLXXII. *Oenothera longiflora.*

Tab. CLXXIII. *Corchorus trilocularis;* calyce purpuraſcente, petalis obouatis, leuiter emarginatis, flauis: ſtamina ſunt viginti.

Tab. CLXXIV. *Aſtragalus trimeſtris:* ſcapi prodeunt cum radicales, tum caulini; calyx hirtus denticulos habet ſubulatos; legumen eſt ſubulatum, poſtice carinatum, ſubſpiraliter arcuatum.

Tab. CLXXV. *Geum canadenſe;* nos hoc in horto pro *Gei vrbani* varietate coluimus, cui etiam ſimile eſt; differt petalis albis, calyce breuioribus, foliolis verſus baſin magis attenuatis, et quod Iunio demum floreat.

Tab. CLXXVI. *Verbena Aubletia;* eadem, quam Cl. MEDICVS in Actis Palatinis †) deſcripſit. Flore eſt tetrandro.

Tab. CLXXVII. *Cuphea viſcoſiſſima.* A BROWNEO *) haec planta primum deſcripta, poſtea B. LVDWIG **) characterem genericum quoque dedit,



†) v. comm. noſtr. ſupra p. 13.
*) *Hiſt. natur. Iam.* p. 216. v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 281.
**) EIVSD definit. generum plantar. p. 294.

dit, et nuper Eius filius *) eam quoque bene deſcripſit prius, quam Cl. Auctoris liber ad manus noſtras peruenerat. Folia eius ſunt ouato lanceolata, baſi attenuata, integerrima. Capſula longitudinaliter prius diſrumpit, quam ſemina matura ſint, vt igitur in planta angioſperma ſemina extra pericarpium, ſingulari phaenomeno, matureſcant.

Tab. CLXXVIII. *Hyacinthus orchioides;* planta Cl. Auctoris eſt polyphylla et corollam hexapetalam habet.

Tab. CLXXIX. *Cheiranthus feneſtralis.*

Tab. CLXXX. *Oxalis violacea*, filamentis germineque villoſis, ſtigmatibus capitatis.

Tab. CLXXXI. *Anthericum aſphodeloides.*

Tab. CLXXXII. *Hyſſopus lopanthus:* odore quiddam de *Nepeta Cataria* habet, habitu ad *Calaminthas* accedit: Se non videre, inquit Cl. Auctor, cur a *Nepeta* debuerit auelli?

Tab. CLXXXIII. *Meliſſa pyrenaica*, quae eſt *Horminum pyrenaicum* LINN. (S. V. XIII. p. 455.) iam quoque a Cl. SCOPOLI (ann. hiſt. nat. 2. p. 55.) deſcripta. Characterem integrum genericum tradit Cl. Auctor, cum LINNAEVS plantam ſiccam tantum viderit.

Tab. CLXXXIV. *Pſoralea palaeſtina* (vid. LINN. S. V. XIII. p. 520.), differt a *P. bituminoſa*, florum magnitudine, foliorum latitudine, hirſutie maiori, et habitu.

Tab. CLXXXV. *Scabioſa altiſſima*, afra et noua haec planta, differt a *S. rigida* LINN. quae corollas quadrifidas habet, iisdem quinquefidis; caules in annoſa ſtirpe lignoſi humanam altitudinem attingunt; folia ſunt obuerſe lanceolata, obtuſa, eroſo

*) In epiſtola, in qua *de munimentis plantarum* diſſeruit. Lipſ. 1776. 4.

eroſo ſerrata, ſubtomentoſa ſubſeſſilia, inferiora ſemipedalia, ſuperiora acuminata et argute inciſa.

Tab. CLXXXVI. *Euphorbia maculata.*

Tab. CLXXXVII. *Crithmum maritimum.*

Tab. CLXXXVIII. *Euphorbia paralias*, flores ſteriles fertilibus ſine ordine ſunt immixti; vtrique piſtillum habent, ſed ſterilibus germen deficit.

Tab. CLXXXIX. *Potentilla penſyluanica*, calycis villoſi laciniae exteriores ſunt lanceolato lineares, interiores triangulares, petala obouata emarginata. Radix eſt ſaporis adſtringentis.

Tab. CXC. *Geniſta Sibirica*, calyx eſt quinquedentatus dentibus ſetaceis, vexillum ex vngue breui expanditur in bracteam ouato oblongam, obtuſiſſimam, emarginatam erectam; omnia petala aeque longa ſunt; antherae lineares eriguntur: reliqua LINNAEVS recte proponit.

Tab. CXCI. *Tomex dubia.* Nouam hanc ſtirpem, cum fructus nondum innotuit, dubiam dicit: proxime ad *Tomicis* Linnaeanum genus accedit: ſunt tamen filamenta petalis breuiora, baſibus bifidis, quibus accreſcunt ſingulis duobus vicinis petalis, quae ſic connectunt, vt marcida coniuncta vna cum filamentis decidant. Germen eſt ſuperum, nitidum, ſtigma craſſum peltatum. Fructus immaturi, quadriloculares fuerunt.

Tab. CXCII. *Carduus argentatus.*

Tab. CXCIII. *Haſſelquiſtia cordata*, radice annua, foliis pleriſque ternatis, ſummis et quibuſdam ſimplicibus; foliolis crenatis, vtrinque villoſis; ſeminibus minoribus, quam in *H. aegyptiaca.*

Tab. CXCIV. *Conium Africanum*; Germina ſunt muricata.

Tab. CXCV. *Caucalis humilis*, noua planta, radice annua, foliis bipinnatis, pedunculis oppoſitifoliis, caule, pedunculiſque hirſutis et ſubſcabris.

Tab.

Tab. cxcvi. *Ammi Copticum;* germen eſt muricatum, petala dorſo hiſpida, ſemina compreſſa, odoris et ſaporis aromatici, ad *Apium graueolens* accedentis, ſimul pungentis.

Tab. cxcvii. *Athamanta pyrenaica;* multa cum *A. libanotide* habet communia, ſed habitus eſt diuerſiſſimus, *pyrenaicae* patentiſſimus et diffuſus: folia radicalia multiplicato pinnata ſunt. A govano Ill. p. 83. t. 26. ſiſtitur.

Tab. cxcviii. *Carum Bunius*, quod *Aetuſae* linnaevs in S. V. XIII. p. 236. ſubiecit.

Tab. cxcix. *Paſtinaca lucida.* Succo tenaci albido ſcatet planta, odore aromatico forti, ingrato, ſapore acerrimo, quem vtrumque per 70 annos ſeruat: Folia radicalia cordata, ramea autem ouata aut ſubrotunda. Confer govanvm, qui folia ramea ternata dicit, in Ill. p. 19. t. 11. 12.

Tab. cc. *Siſon Ammi*, filamenta ſunt ſubulata, petalis duplo breuiora; germen ſtriatum glabrumque.

## VI.

## Diſſ. De artemiſiis. Auctore ioanne pavlo stechmann. Goettingae. 1775. 4, 8 plagg.

Diſſertatio, quam hic indicamus et quae partim botanicam, partim materiam medicam ſpectat, ſummmaque diligentia conſcripta eſt, eo ordine procedit, vt genere conſtituto, ſpeciebusque enarratis, praeparata et vires artemiſiarum proponantur.

Poſtquam ſyſtematicum *Artemiſiae* locum definiuit atque diuerſam variorum Auctorum hoc genus plantarum in plura diuidendi rationem expoſuit, monuitque hallervm ſummo iure ſcripſiſſe

*apſin-*

*apſinthium* neque abſinthium; partim quia DIOSCORIDES αψινθιον vſurpauit, partim quia deriuatur a voce graeca ψινθος et α priuatiuo, contendit ſe illis aſſentire, qui modo vnum genus conſtitui cupiant. Concedit quidem plantas compoſitas p. 8. optime receptaculo diſtingui poſſe, tamen etiam ad habitum et conuenientiam florum et virium ſimul reſpiciendum eſſe, notat.

Ad ſpecies perluſtrandas venit easque omnes, p. 9. earum varietates auctorumque ſynonyma appoſuit. WEBERVM ſecutus eſt in illis ſpeciebus denominandis, quas Ill. LINNAEVS non habet eiusque definitiones interdum adiecit. In prima ſectione ſpecies certas et ab omnibus ſcriptoribus bene definitas collegit et abſinthia receptaculo villoſo et artemiſias receptaculo nudo et foliis vel compoſitis vel ſimplicibus a ſe inuicem ſeparauit. Praeter ſpecies Linnaeanas habet *Artemiſiam ſericeam* (Abſinthium incanum Gmel. Sib. II. p. 131. n. 113. T. 64. f. 1.) *A. Genipi* (Artemiſia rupeſtris β. LINN. Sp. pl. p. 1186.) *A. Meſſerſchmidii* totam tomentoſam caule erecto, ſuffruticoſo; foliis linearibus, multifidis, racemis erectis, tenuibus, laxis; *A. tataricam* totam tomentoſam caule ſuffruticoſo; foliis inferioribus bipinnatis, pinnis aequalibus ſuperioribus pinnatis linearibus; racemis erectis, laxis multifloris; *A. nitroſam* (Artemiſia fruticoſa ſubincana Gmel. Sib. II. p. 113. n. 98. T. 50. f. 1.) *A. Lerchianam* (Artemiſia fruticoſa incana eſt Gmel. Sib. II. p. 114. n. 99. T. 50. f. 2. 3.) *A. tenellam* caule lanato; foliis breuibus tenuiſſime multifidis; paniculis tenuibus, laxis, folioſis, pedunculis ſubunifloris: *A. paucifloram* (Artemiſia fruticoſa eſt, Gmel. Sib. II. p. 116. n. 101. T. 52. f. 1. 2.) *A. italicam* caule ſuffruticoſo; foliis tomentoſis, laxe pinnatis, pinnis longis linearibus,

radica-

radicalibus punctatis; ſpicis denſis; floribus erectis: *A. hiſpanicam* caule ſuffruticoſo; foliis virentibus, laxe pinnatis, pinnis longis linearibus, ſpicis denſiſſimis; calycibus oblongis: *A. anethifoliam* (Artemiſia herbacea Gmel. Sib. II. p. 119. n. 103. T. 54.) *A. Gmelini* cet. (Artemiſia fruticoſa cet. *Gmel.* Sib. II. p, 121. n. 106. T. 56. f. 1.) *A. filaginoideam*, totam tomentoſam, caule herbaceo; foliis multifidis, floribus ſubſpicatis ſubſeſſilibus. Quibus omnibus ſpeciebus WEBERVS nomina impoſuit atque eas ipſe bene deſcripſit. Volebat Noſter de vnaquaque noua ſpecie deſcriptionem ſuppeditare, ſed cum ſciret Cl. WEBERVM *Artemiſiae* genus velle deſcriptionibus et animaduerſionibus illuſtrare atque ornare, ſuo de conſilio deſtitit. Summa cum cupiditate igitur WEBERI defini-
p. 39. tiones *Artemiſiarum* expectamus. In altera ſectione ſpecies dubias commemorauit. Huc refert *A. niloticam*, quae in nouo Syſtemate (XIII. edit.) *Cotula anthemoides* appellatur et *A. ambiguam*, quae in eodem ſyſtemate *Seriphium ambiguum* nominatur.

p. 40. In tertia ſectione ſpecies incertas neque ſatis rite ab Auctoribus determinatas percurrit et triginta ſeptem enumerauit nonnullisque quaeſtiones ad-
p. 41. didit. Sic putat Abſinthium ponticum creticum grati odoris C. B. pin. 138. varietatem *A. abſinthii* eſſe; Abſinthium ponticum tenuifolium auſtriacum C. B. pin. 139. vel ad *A. ponticam* vel ad *maritimam*
p. 42. pertinere; Abrotanum mas anguſtifolium incanum C. B. pin. 136. varietatem *A. Abrotani* conſtituere;
p. 43. Abſinthium maritimum, Sinarum, Lauendulae folio; pulchrioribus corymbis, inodorum ſapore aromatico PLVKEN: Amalth. p. 3. T. 353. f. 5. varietatem *A. coeruleſcentis* eſſe; Abſinthium Eryſimi folio, Achaovan ALPINI quodammodo accedens, ex inſula jamaicenſi PLVK. Alm. p. 2. vix ad genus *Artemiſiae*

referen-

referendum eſſe; Abrotanum mas ex Surinam, molli hirſutie caneſcens, noſtrum RAI. Hiſt: app. p. 1866. varietatem *A. Abrotani* videri. Haec de Artemiſiae ſpeciebus, quibus Cl. Auctor quoque locos natales et nomina variarum gentium interdum adiunxit. p. 44.

Poſtea in tertio capite pertractat qualitates, analyſin chemicam et praeparata earum ſpecierum; quibus medici vtuntur: commemorat experimenta, quae ſummi chemici ad huius generis naturam perſcrutandam inſtituerunt, neque vltimo loco ſua experimenta omittit. *A. pontica* odore ſuauior, ſapore aromatica et minus amara eſt, quam *A. Abſinthium* et partes volatiliores exhibet. Debilior abſinthio haec ſpecies deprehenditur, tamen eadem praeparata obtineri poſſunt. *A. maritima*, *rupeſtris*, *glacialis*, *Genipi*, *filaginoidea* et *campeſtris* quodammodo cum *A. pontica* conueniunt. *A. Dracunculus* eſt calida planta acris ſaporis et feruidi; acetum et vinum inde paratur, et aqua deſtillata obtinetur. Semen Zinae forte ſumitur ex *A. ſantonica* et ex *A. iudaica*. Partes conſtitutiuas *A. ſantonicae*, de quibus adhuc diſputatur, eas aſſumit, quas CARTHEVSERVS chemica analyſi detexit. p. 48. p. 49. p. 52. p. 53.

Denique ad vires Artemiſiarum reſpexit, *A. abſinthium* indigeſtionem, vomitum, diarrhoeas et colicam flatulentam ſiſtit et tollit; nocet vero in his morbis, ſi a tenſione fibrarum conuulſiua aut inflammatoria orti fuerint. *A. vulgarem et tanacetifoliam* tanquam medicamenta reiecit et modo pediluuiis balſamicis deſtinauit. *A. Dracunculus* planta reſoluens, alterans, obſtructiones ſoluit, ſputa prouocat, dentium dolores ſiſtit. p. 54. p. 57. p. 58.

---

## VII.

**Zoologiae Danicae prodromus, ſeu Animalium Daniae et Noruegiae indigenorum characteres, nomina et ſynonyma, inprimis popularium. Auctore OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Impenſis Auctoris. Hauniae, typis Hallageriis. 1776. 8.**

Continentur hoc in libro 3101 ſpecies animalium, quibus vltra octingenta nouae ſpecies interſunt, quas omnes Cl. Auctor definiuit, atque ſane inſigni labore characteres multos plane nouos, neque pauciores denuo elaboratos et correctos generibus et ſpeciebus appoſuit, vt cognitio ſpecierum inde certior faciliorque redderetur. Qua in re quanta accuratione, et concinnitate terminorum Cl. Auctor vſus ſit, et quam feliciſſime eſſentiam animalis paucis ſaepe verbis indicauerit, rerum naturalium periti, qui experti ſunt, *facilius eſſe*, vt ait Noſter, *mirari et commentari, quam vera dignoſcere et definire*, tum ex ipſa libri lectione, tum ex quibuſdam, quas ſubiungamus, obſeruationibus facile intelligent. Sollicite quoque Cl. Auctor ſynonyma Auctorum, inprimis eorum, quos non commemorauit LINNAEVS, appoſuit, vti quoque nomina Danica, Noruegica, Lapponica, Groenlandica et Islandica. Vberiores deſcriptiones nouorum animalium eorumque proprietatum Cl. Auctor ipſi Zoologiae *), quam cum iconibus, quas vidimus, elegantiſſimis et accuratiſſimis, editurus eſt, reſeruat.

Characteres Claſſium, Ordinum et Generum, ſuccinctos ipſi enumerationi in tabula quaſi praepoſuit.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 173.

poſuit. Methodo autem Linnaeana animalia enumerat, ita tamen, vt in inſectis genera Cl. GEOFFROY plerumque retineat, diſtribuatque vermium claſſem in quinque ordines.

1. *Infuſoria*, pellucida, polymorpha, partitione et euolutione in quamuis directionem propagabilia.
2. *Molluſca*, mollia, nuda, tentaculoſa, hermaphrodita vel neutra:
3. *Teſtacea*, teſta tecta, tentaculata, hermaphrodita.
4. *Helminthica*, duriuſcula, filiformia, annularia, partitione in longitudinem propagabilia.
5. *Cellulana*, compoſita, cruſta condita, gemmaſcentia.

Piſcium nouum genus, quod ad Apodes pertinet conſtituitur *Regalecus*, capite laminis tecto, pinnis ventralibus filiformibus: vid. ASCANII *icon. tab. XI.*

Ita etiam in ordine Apterorum inſectorum, quae vel nuda, vel ſquamata, vel cruſtacea, vel teſtacea dicit, noua quaedam genera fecit. Inter nuda reperitur *Hydrachna*, quae oculis 2, 4, 6; et antennis nullis ab *Acaro* differt, cui Cl. Auctor ſemper oculos duos, et antennas ſetaceas tribuit. Ex cruſtaceis eſt *Polyphemus*, pedibus 8, antennis nullis inſtructus. *Cyclops*, cui pedes 8, antennae 2, vel 4 ſunt, vti *Monoculus quadricornis*. LINN. A *Cancro* diſtinguitur *Squilla*, pedibus 10, vel 14; antennis 4 integris. Teſtaceorum Inſectorum genera ſunt vel 1) vniualuia, vt *Amymone*, pedibus 4, oculo vno. *Binoculus* pedibus 4, 6, 8; oculis 2, huc *Monoculus apus* LINN. eſt referendus. *Nauplius*, pedibus 6, oculo nullo. 2) vel biualuia, vt *Cypris*, antennis capillaceis ſuperis;

pedibus

pedibus 4, oculo 1. Species huius generis eſt *Monoculus conchaceus*. LINN. *Lynceus*, antennis capillaceis ſuperis, pedibus 8, oculis 2. *Daphne*, antennis ramoſis, pedibus 8—12, oculo 1. Pertinet huc *Monoculus pulex* Auctorum.

Praeterea genera vermium ea confirmat, quae in doctiſſimo opere, Vermium hiſtoria *) inſcripto, conſtituit. In Helminthicis nouum reperimus genus, quod *Echinorynchus* dicitur: eſt vermis teres, proboſcide retractili. Habitat in inteſtinis piſcium, a Cl. ZOEGA inuentus. In Molluſcis noua genera ſunt, *Mammaria*, ore ſupero, corpore laeui, cirris nullis, apertura vnica, quae *Aſcidiae* proxima eſt. *Pedicellaria* ore ſupero, pedunculato corpore, capitulo mutico vel ariſtato. *Planaria*, ore antico, corpore latiuſculo, aequali, plicatili. *Faſciolae* eae ſpecies, quibus in *Vermium hiſtoria* locus aquaticus tribuitur, huc pertinent. *Lobaria*, ore antico, corpore ſupra conuexo, ſubtus plano, lobato**). *Beroë*, ore infero, corpore coſtato, coſtis ciliatis. *Voluox Beroë* et *V. bicaudatus* LINN. hoc genus efficiunt. *Lucernaria*, ore infero, corpore gelatinoſo, rugoſo, brachiato.

Ad Teſtacea refertur *Echinus:* a quo etiam genere diſtinguitur *Spatagus*, cum inſtruatur ano infero, et tentaculis penicillatis, quae in illo ſunt ſimplicia. Noua genera praeter ea, quae in Vermium hiſtoria iam indicauimus, ſunt: *Akera*, teſta patula, apertura effuſa, tentaculis nullis. *Tritonium*, teſta operculata, libera, apertura canaliculata; tentaculis 2 linearibus, angulo extrinſeco lineatis. *Anomiam* LINN. in duo genera diuidit, quorum alterum dicitur *Terebratula* branchiis

cincin-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 18 ſeqq.
**) Haec in Actis Holm. *Phyllis* dicitur.

cincinnatis; cardinis dentibus alterius vncinatis, valvula ſuperiore deorſum perforata: alterum *Anomia*, branchiis ſimplicibus; valuula inferiore perforata.

Cellulana Cl. Auctori dicuntur vel calcarea, quae ſunt *Lithophyta* LINN.; vti quoque *Iſis* et *Corallina:* vel ſubcornea, vti *Fiſtularia*, tubuloſa, tentaculis ſimplicibus. *Tubularia* tubuloſa, tentaculis criſtatis. *Sertularia* et *Gorgonia:* vel fungoſa, vt *Pennatula*, *Alcyonium*, *Spongia* et *Clauaria*. Hic quoque ſubiungit, *Eluelae*, *Phalli*, *Sphaeriae* et *Trichiae* ſpecies, mucidarumque pleraſque huc forte eſſe referendas; Se ipſum autem nondum motum atomorum ſpontaneum in iis vidiſſe.

Ex inſigni copia diuerſorum nominum Lapponum, Groenlandorum, etc. quibus iidem Phocas, Cetacea, aliaque animalia deſignant, eaque inter ſe diſcernunt, haud dubie colligere licet, plures eſſe ſpecies etiamnum incognitas. Nomina haec diuerſa Cl. Auctor collegit, vt nunc inquiri poſſit, quaenam animalia his intelligantur. Nouas etiam *Balaenae* et *Delphini* ſpecies nominat: quas vero, vti quoque omnes hic nouiter recenſitas ſpecies nos omittere cogimur, inprimis cum tunc demum indicandae a nobis ſint, vbi vberior earum hiſtoria, quae profecto magnam hiſtoriae naturali lucem dabit, cum iconibus edita erit.

Varietates quoque Cl. Auctor ſollicite a ſpeciebus veris diſtinxit, atque ſic plures aliorum Auctorum ſpecies hic ad varietates ſunt relatae, aliae contra varietates ſpecies factae ſunt.

Sic *Lucani Cerui* var β. LINN. dicitur *L. Dorcas*, thorace conuexo, maxillis breuibus, apice ſimplici, latere bidentatis; cum haec ſtructura differens p. 52.

et copula veram ſpeciem demonſtret. *Scarabaeus*
p. 55. *ſimetarius* var β. LINN. dicitur recte *Sc. teſſellatus.*
*Ptinum furem* LINN. ad *Bruchum* refert, cum arti-
p. 69. culi antennarum aequales ſint. *Chryſomelam mi-
nutam* ad *Hydrophilum*, *chryſomelini* nomine, re-
p. 70. fert, cum pedes natatorii et villoſi ſint. *Dytici
marginalis*, vti quoque aliarum huius generis ſpe-
cierum indiuidua, patellis pedum primorum deſti-
tuta et inſtructa inuenit, hincque putat Cl. Auctor
*D. ſemiſtriatum* vix feminam eiuſdem eſſe. *Dyti-
cum ſulcatum* LINN. feminam *D. cinerei* eſſe exiſti-
p. 75. mat. *Carabi* genus ex thoracis diuerſitate in fami-
lias diuiſit, cum alii ſint thorace quadrato, alii
cordiformi, poſtice anguſtiore; vel triangulari,
poſtice latiore; vel orbiculato.

p. 113. *Papilionem Mnemoſynem*, qui in reliquis Eu-
ropae regionibus rarus eſt, Cl. Auctor prope Hau-
p. 114. niam vulgarem reperit. Nouem enumerat varie-
tates *Papilionis Hyperanthi*, quorſum *P. Polymeda*
SCOPOLI, *P. Vidua* et *P. Arete* FAVN. Friedrichſd.
pertinent.

p. 142. *Ephemerae marginatae* mas differt a femina ap-
pendiculis caudae quatuor, maioribus curuatis:
tuberculis duobus, magnis ſupra oculos. Haec
tubercula maribus quibuſdam propria, auctoribus
ſtemmata perperam dicuntur: vera enim ſtemma-
p. 143. ta inter oculos vtriuſque ſexus poſita ſunt. *Ephe-
meram bioculatam*, cum omnes binos oculos ha-
beant, dicit *diaphanam*. Deinde confirmat Cl.
Auctor pupas Ephemerarum ante vltimam decor-
ticationem alis perfectis gaudere.

Multae nouae ſunt obſeruationes in claſſe Vermium factae, quas tamen vel ex hiſtoria Vermium, vel ex ipſo libro Lectores cognoſcere debent. Non enim recte de iis referre poſſumus, niſi Cl. Auctoris correctiones repetamus atque am-

ple

ple cum aliis Auctorum dictis comparemus, quod vero inſtituti noſtri breuitati repugnat. Facile deinde patet, neminem, cui animalium ſtudium curae cordique eſt, et qui in iis diſtinguendis et definiendis verſatur, hoc libro carere poſſe. Finitur liber indice nominum genericorum Danicorum et Noruegicorum. Optamus denique, vt Cl. Auctoris labores et ſtudia, quae in augmentum hiſtoriae naturalis ſummopere et alacriter impendit, Ipſi ſint proſperrima et feliciter ex votis ſuccedant, quo proxime Zoologiae ipſius partem cum iconibus, atque continuationem *florae Danicae* Lectoribus indicare poſſimus.

## VIII.

*Berliniſche Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft, der Naturgeſchichte, der Haushaltungskunſt, Kameralwiſſenſchafft und der dahin einſchlagenden Litteratur. V. Band* 1-6*tes Stück. Berlin, bey Joachim Pauli* 1773. 8. *m. K. Seiten* 671. *VI. Band* 1-6 *Stück ib.* 1774. *Seiten* 695.

i. e.

Collectanea Berolinenſia ad promouendam medicinam, hiſtoriam naturalem, oeconomiam et ſcientiam cameralem ſcripta Vol. V. et VI.

Cum huius inſtituti rationem non multum ante *) dederimus, ad eas potiſſimum tractationes, quae nos propius attinent, ita, vti in prioribus huius operis voluminibus a nobis factum eſt, nos accingamus. **Vol. V.**



*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 314.

p. 5. 1. *Obſeruatio et curatio periculoſi vulneris ſclopetarii.* Probat potiſſimum haec obſeruatio, quam facilis ſit puris reſorptio et vrget propterea Cl. Auctor magnam cautionem in inſtituendis operationibus chirurgicis talium vlcerum fiſtuloſorum. Simulac enim fiſtula, quae hoc loco, vt viſcus organicum, eſt conſideranda, operatione chirurgica turbatur, neceſſario eae ſequelae apparere debent, quae a reſorpto pure oriri ſolent, cum exitus puris ſit impeditus. Tota itaque huius periculoſi vulneris cura cernitur in viribus corporis conſeruandis ad pus eliminandum e corpore per vulnus, et in omnibus externis impedimentis, liberum puris effluxum per vulnus turbantibus, remouendis.

p. 36. 2. *Breuis relatio de Boue Biſonte,* cum icone eiuſdem. Anonymus putat eſſe eum eiuſdem ſpeciei cum *Boue Tauro:* gibberemque ex nimia copia nutrimenti oriri: addita quoque eſt ſynonymia Bouis, atque Biſontis deſcriptio.

p. 52. 3. *Breues relationes de tarantiſmo ſeu chorea* St. Viti ex D. BÜSCHINGII *relationibus de tarantula* cet. Eſt morbus neruoſus praecipue hyſtericis feminis communis, nec a morſu tarantulae deriuari debet. His additur hiſtoria Aranearum Tarantulae, et Auiculariae.

p. 117. 4. IO. HENR. HAGEN *phyſico botanica conſideratio Salicum in Boruſſia naſcentium.* Species, quas Cl. Auctor in Boruſſia inuenit, ſunt 15, quarum LOESELIVS tantum 12 deſcripſit: nempe *Salix alba*, *fragilis*, *vitellina*, *caprea* eiuſque varietas latioribus foliis, *viminalis*, *purpurea*, *cinerea*, *pentandra*, *amygdalina*, *aurita*, *roſmarinifolia*, *incubacea*, *helix*, *arenaria*, *fuſca*. Synonyma, etiam Germanica

nica bona nomina Cl. Auctor addit, atque earum vſum deſcriptionibus breuibus ſubiungit. *Salix* p. 122.
*fragilis*, ſi ſponte alicubi naſcitur, indicat aquam recentem puramque et ſolum fertile. *Salicem vitellinam*, ſi in arborem adoleuerit, ramos pendulos accipere obſeruat Cl. Auctor; indeque ſententia HALLERI, qui hanc in *S. albam* mutari coniicit, minus probabilis ei videtur. *S. capream* ad apum culturam eſſe vtiliſſimam refert, neque ideo eam eſſe plane eradicandam monet.

5. *Iſis Entrocha* LINN. deſcripta a Praepoſito p. 156.
GENZMER. Elegans et accurata ea eſt, iconibus bonis illuſtrata, et cum Linnaeana conueniens, ſed vberior deſcriptio. Quo craſſior ſtirps eſt, eo tenuiores ſunt rami. Lapis, in quo petrificata inuenitur, eſt calcareus; ipſius maſſa autem ſelenitica.

6. *Accurata tractatio de neceſſario et ſalubri vſu* p. 229.
*externorum remediorum in variolis.* Haec remedia diſpeſcuntur in praeſeruatiua, praeparatoria et curatoria. Inter praeſeruatoria, quae a natiuitate ſtatim ſunt adhibenda, refertur conſuetudo obſtetricis, quae ante deligationem funiculi vmbilicalis per eum ſanguinem verſus ſecundinas premebat eum in finem, vt infans vel nullas, vel paucas variolas ſine vllo vitae periculo experiretur. Licet autem concedimus, ſanguinis effluxum per funiculum vmbilicalem, ſi fieri poteſt, valde vtilem eſſe infantibus, tamen multi ſunt, qui negent huius effectum vſumque in variolis praecauendis ſeu moderandis. Ebraei eapropter quoque ſale terunt funiculum et infantes quoque ipſos *).

 Haec

*) v. diſſ. de cura infantum recens natorum penes hebraeos, Praeſide Cl. DETHARDING. Reſp. *Marco Moſi.* Buzov: 1766. 4.

Haec et alia iam quoque monuerunt Cl. MEDICVS aliique *).

p. 241. Non nuper ab aliis atque aliis Auctoribus variolae cum peſte ſunt collatae, vti MEAD, HIRSCHEL cet. aſſeruerunt, Noſter autem affirmat, eas eſſe periculoſiores ac peiores peſte; neceſſeque inde eſſe putat, eadem cum ſtudii ſeueritate contra variolas certare, qua contra peſtem, ſi fieri poteſt. Praecipua cura in eo cernitur, vt contagium ipſum in aëre debilitetur, dein vt homines, quantum fieri poteſt, praeſeruentur atque arceantur ab infectione et tandem, vt miaſma iam cum ſanguine et humoribus corporis humani communicatum debilitetur atque eius vis infringatur. Legi hic poſſe et Noſter ſuadet ea, quae in eodem diario **) de praeſeruanda et curanda peſte ſunt tradita.

p. 343. Balnea tepida, fomentationes, vapores, cataplaſmata, epiſpaſtica et veſicantia, clyſteres, venaeſectiones, pediluuia et manuluuia Noſter hic laudat; balnea vero frigida prorſus reiicit et reliquum externorum remediorum, vt varia ſunt vnguenta, camphora, crocus, ſemen foeniculi, allium, caryophylli, aqua frigida, lac, vſum ad oculos tuendos aliaſque partes corporis defendendas maxima cum cautione ſuadet mauultque Noſter potius remedia poſteriora ob pericula negligi, quam priora omitti ob eorum vtilitatem in variolarum cura.

p. 368. De venaeſectione in infantili aetate hic diſſeritur ac loco eius hirudinum applicatio ſuadetur. Certiſſimum remedium poſt applicationem hirudinum ſiſtendi ſanguinis fluxum Noſter iudicat cum

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIII. pag. 50. ib. pag. 48. Vol. XXI. pag. 135. ib. pag. 610. ib. Vol. XX. pag. 319.

**) v. Vol. III. pag. 279. comm. noſtr. Vol. XX. pag. 526.

cum b. HIRSCHELIO extractum ſaturni GOVLARDI. Cl. VIOLANTE autem cucurbitulas cum ſcarificatione apud infantes praefert venaeſectioni et hirudinum applicationi. B. HIRSCHELIVS tribuit tincturae cantharidum communicatae cum vulneribus artificialibus per ſcarificationem aut in fonticulis vim, morboſam materiam verſus cutem deriuandi, item ſuadet eam in omnium exanthematum generibus et tum, cum retropreſſa ſunt. Veſicantia enim, quae iam dudum inter praeſeruatiua remedia contra variolas ſunt relata *), non vbique poſſunt applicari, bene autem tinctura cantharidum ac ideo haec illis praeferenda videtur.

Dolorem per veſicatoria leniunt narcotica admixta remedia, vt opium, ſeu lenientes alii balſami, vt Peruuianus. Dyſchuriam, quae ſaepenumero ſequitur veſicatoriorum applicationem, camphora addita arcet, et ſanguinis ebullitionem, ab eadem cauſſa apparentem emollientes et refrigerantes potus impediunt. p. 453.

7. Perill. DE HÜPSCH detexit terram *Vmbram Colonienſem* nihil aliud eſſe quam lignum foſſile, in terram hanc vaporibus mineralibus, aquis ſubterraneis et bitumine reſolutum. Inuenitur illic ſub torfa, eiuſque ſunt quaedam fruſta, quae ligni foſſilis naturam adhucdum habent; pleraque autem veram terram ſiſtunt. Recte itaque WALLERIVS hanc terram ad *Humum* **) retulit: etſi originem minus recte explicuit. p. 270.

8. *Ramphaſti bicoloris* LINN. et *Lemuris Cattae* LINN. hiſtoria ex aliis excerpta cum iconibus. p. 294. p. 376.



*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. pag. 647. ib. decad. II. Suppl. II. pag. 216.

**) vid. EIVSD. ſyſtema mineral. pag. 18. comm. noſtr. Vol. XIX. pag. 437.

p. 494. 9. *Quaedam experimenta cum aqua, in qua cuprum praecipitatur, inſtituta ab* E. F. KAGEL. Scaturit haec aqua, vti cognitum eſt, in Vngaria prope Neoſolum in loco, qui *Herrengrund* dicitur. Experimenta hic narrata demonſtrant contineri in eadem Vitriolum cupri, quod ferrum aquae immiſſum reſoluit, et cuprum praecipitat. Reperitur enim in hac aqua Vitriolum cupri etiam purum cryſtalliſatum, et aqua ipſa euaporata idem relinquit.

p. 517. 10. Deſcriptio *Haemantopi oſtralegi* et *Pelecani*
p. 520. *Aquili* LINN. eorumque icones.

p. 502. 11. Inter *noua remedia* inuenimus et vnum in phthiſi pulmonali, quod conſtat bitumine et cera flaua, quae igne liquefacta per vapores ſeruire dicuntur phthiſicis praeſertim in expectoratione facilitanda.

p. 565. 12. *Singulares effectus belladonnae in melancholicis morbis.* Ad doſin huius remedii recte definiendam vtebatur Auctor huius obſeruationis ipſa belladonna, ita, vt duobus granis inciperet et ad ſex vſque grana continuaret. Duo et quatuor grana plane nullum edebant effectum, quinque vero motum vermiformem prodebant et ſex grana viſum obnubilabant et vertiginem cauſabant. Colligebat itaque quinque grana eſſe doſin et hanc cum totidem rhabarbari exhibebat aegro. Duodecim eiuſmodi doſibus adhibitis, duas vncias ſalis amari Sedlitzenſis dedit et dein continuauit puluere ex quinque granis belladonnae et totidem rhabarbari per duodecim dies et tum iterum ſale. Atque ita, per viginti et quatuor horas his medicamentis porrectis, pulſus erat plenior et celerior, abdomen minus tenſum et faciei color viuidior, vires quoque reuertebantur,

bantur, mouereque, edere et potare aeger ipſe diſcebat. Elapſis amplius quinque ſeptimanis et interea his remediis ita, vti monuimus, continuatis, incidebat aeger in ſomnum per viginti et duas horas et expergiſcebat ſanus et validus.

Virum quinquaginta et quinque annorum eadem ratione a melancholia liberabat ſupra praeſcripta ratio medendi per belladonnam. Reliqua exempla mittamus, vbi propter debilitatem belladonnam cum limatura martis coniunxit cum optimo ſucceſſu, in alio venaeſectionem praemiſit, in alio fonticulum curauit inter vſum praeſcriptum belladonnae. p. 572. p. 578.

13. Referuntur quidam errores, qui circa docimaſiam auri committi ſolent atque corriguntur. Suadet Anonymus methodum, quam KVNKEL in *Laboratorio chymico* adhibuit, vt nempe aurum in lamellas formatum in aqua regis, adiecto ſale ammoniaco, ſoluatur, et ſolutio decantetur: eaque vitriolo aqua ſoluto praecipitetur, donec ſolutio non amplius turbetur, atque aurum in fundo vaſis relinquatur. p. 584.

14. *Nouiter inuentum chirurgicum inſtrumentum.* p. 616. Eſt catheter chalybeatus, cum infundibulo ſimilis materiae, inuentus ad mercurium immittendum in veſicam vrinariam, ſi forte argenteus catheter in veſicam delatus frangeretur, ad illam partem fracti catheteris ſoluendam. Haec res iam a Cl. LE DRAN excogitata et propoſita eſt et Cl. HEVERMANN mercurium quoque putat in aliis cauis corporis humani praeter veſicam vrinariam, poſſe adhiberi ad plumbum argentum ceteraque iis ſimilia per amalgamationem ſoluenda *).



*) vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 83.

Vol. vi. In ſexto volumine ſequentia Noſtro inſtituto reſpondere cogitauimus.

p. 26. 1. *Obſeruatio luxationis femoris a metaſtaſi inſolitae tuſſis, quam fieri non poſſe nonnulli Auctores adducuntur vt credant.* Auctore Cl. B. FELDMANN M. D. Expectoratione ſatis frequente et copioſa cum tuſſi prorſus deſinente generabatur per criſin metaſtaticam magnus tumor in acetabulo femoris, qui ſponte ſeſe aperuit, nec ſanari potuit. Noſter putat, acetabulum fuiſſe impletum viſcido craſſo vſque ad cartilaginem, quo collum femoris expulſum et in foramen magnum oſſium innominatorum impulſum eſt. Aeger quoque mortuus eſt.

p. 30. Quantam vim atque potentiam ſingularem extendendi ſucceſſiuus affluxus liquorum exſerere poſſit, probat et Noſter ex incremento vegetabilium in ſatis arboribus, quae paludes firmitatis cauſſa appoſitas ſaepe e loco ſuo dimouent: item ex fraude, quam ruſtici bene norunt, ſtannea vaſa piſorum ope ita extendendi, vt multo plus contineant, e. gr. vini aduſti. Similem piſorum vtilitatem in vaſo ferreo cylindrico legit Noſter in Cl. HALES tentamine trigeſimo et ſecundo *).

p. 32. 2. *De vtilitate ſetaceorum in variolis et ſcabioſis exanthematibus.* Auctore EODEM. Variolae erant valde malignae et praecipue ſupercilia occupauerant, vbi ſetacea vtiliter ſunt adhibita; item in tinea capitis retropreſſa.

p. 37. 3. *Obſeruatio de vtilitate camphorae in magna doſi deſumta ex epiſtola ab* EODEM *ſcripta.* Morbus erat ileus, alias et miſerere dictus, vbi camphora

*) vid. STEPH. HALES vegetable ſtatick. Lond. 1727. 8.

phora interne et externe in clyſteribus, cataplaſmatibus, oleoſis inunctionibus abdominalibus copioſe atque non fruſtra eſt adhibita. Plura de camphorae virtute varia in magna quantitate et diuerſis morbis exempla collegit Cl. COLLIN in continuatione anni medici *).

4. Cl. BECKMANNI tentamina carthamo tingendi in commentariis Gottingenſibus edita **) et FERBERI enumeratio marmorum Italicorum; vti quoque *deſcriptio Solfatarae* ex EIVSDEM litteris ***) excerpta ſunt. p. 41. p. 151.

5. *Lophii piſcatorii* LINN. hiſtoria et icones. Deſcriptio bona facta eſt ad exemplar ſiccatum, quod in REBELTI, pharmocopoei, collectione reperitur. His deinde ſubiungitur *Lophii Veſpertilionis*, et *L. hiſtrionis* hiſtoria. p. 83. p. 169.

6. *Annotationes ſuper cereuiſia* Auctore Ill. CAROLO DE LINNE. Varietas cereuiſiarum pendet inter alia multum quoque ab aqua. Lupuli vtilitas ad cereuiſiam praeparandam veteribus ignota fuit. Ea, quae ſubſtituunt, vt gentiana, trifolium, abſinthium cet., Noſtro non placent. Fermentationem bonam multum iuuat cereuiſiae calor mediocris. Nimius calor et nimium frigus hic nocet. Porro et bene cocta eſſe debet cereviſia, ſi ſanitati conſulere poteſt, et rite defaecata. Valde amara venerem temperat, corpus exſiccat, emaciat et illud ad hydropem et tympaniten p. 177.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 140.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 614.

***) vid. ibid. p. 253.

niten diſponit. Nimis generoſa cereuiſia corpus pingue et ſucculentum reddit atque impedit reſpirationem. Acida cereuiſia acidum ventriculi, chloroſin, colicas et malum hypochondriacum cauſſat.

p. 182. Cereuiſia rite praeparata nec recens certat quoad vtilitatem ratione ſanitatis et claritatem ſaporemque cum vino. Non ita calefacit ſanguinem, vt vinum, nutrit ita potius illa corpus, et hoc emaciat. Cereuiſia non vti vinum, diſponit ad phthiſin pulmonalem, febres varias aliasque obſtructiones. Conducit cereuiſia potius in frigore, quam aeſtate, calefacit enim melius ac alia potus genera cet.

p. 230. 7. Excerptum ex Tentamine ſuper Chemiae obiectis, eorumque diuiſione, Anglice ſcripto, Auctore Cl. WATSON *). Tria naturae regna, omniaque eius corpora eſſe obiectum chemiae, neque certos inter haec dari limites, ſed diuerſis gradibus eandem naturam, eademque attributa iis omnibus data eſſe contendit Auctor.

p. 274. 8. Relatio de curatione fiſtulae ani cum potu vulnerario PARACELSI, Auctore CONRAD. DIETERICO GVTIKE M. D. Erat fiſtula haec iam inueterata; verebatur vero aeger valde operationem, quam vrgebat Noſter. Atque cum meminerit Noſter legere in promptuario Hamburgenſi Auctoribus IVNKERO et VNZERO de vtilitate huius remedii PARACELSI in hoc morbo, illud cum feliciſſimo euentu huic aegro ſuaſit. Remedium eſt ita compoſitum: Recipe pimpinellae albae radicis vnciam vnam, ſaniculae, pyrolae, leontopodii, ſaracenicae

*) Titulus Anglicus eſt: *an Eſſay on the ſubiects of Chemiſtry and their generale Diuiſion* by R. WATSON. Lond. 1771. 8.

cenicae ſolidaginis, millefolii, hederae terreſtris, florum bellidis et centaurii ana manipulum vnum, recentis flauedinis corticum aurantiorum drachmas duas, inciſa miſce et ſume quatuor minora cochlearia harum ſpecierum pro infuſo theiformi. Haec portio cum aqua infundatur, vti thea, et mane veſperique bibatur. Atque ita hoc ſolo remedio aeger prorſus ſanitati eſt reſtitutus.

9. *De noxia ſepultura in templis* hic exemplum communicatur. Centum et quod excurrit homines putrida febre correpti ſunt ex putridis exhalationibus, quae ex ſandapila ſeſe aperiente et cadaver a putrida febre in ſe continente, exſurgebant. p. 278.

10. *De electricitatis vtilitate.* Kaeni in Normandia multa ideo ſunt inſtituta experimenta, e quibus docent ibi viri eruditi, electricitatem incrementum plantarum accelerare, fluidis viuidiorem motum conciliare, perſpirationem promouere et cum ſanguine nouam vim communicare. Ibidem quoque podagra, febre tertiana et quartana laborantibus aegris exhibetur cum felici ſucceſſu panis electriſatus. p. 280.

11. Puerperae ſubitaneus mors *ex metaſtaſi lactea* ad pulmones hic narratur. p. 281.

12. *Peſtis infectionis* notatu digna obſeruatio hic traditur. Communicata nimirum peſtis eſt, per corallia et numos aureos, atque inde probatur argentum et omnia corpora dura aërem impurum poſſe excipere. p. 283.

13. Ill. HALLERI noua tentamina *de ſenſibilitate atque irritabilitate corporis animalis* iam a nobis ex commentariis Gottingenſibus ſunt communicata cum noſtris Lectoribus. *). p. 288.

II. Re-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 597.

p. 311. 14. Relatio *de ſanguine draconis.* Differt hic prorſus a lapatho rubro. De draconis arbore peregrinantes narrant, confici ex ea ſcuta, quoniam gladii aliaque inſtrumenta iis immiſſi non facile poſſunt extrahi.

p. 318. 15. *De mure Auellanario* LINN. et *Talpae europaeae* varietate variegata breuis relatio, et icon.

p. 375. 16. *Continuatio nouorum remediorum collectorum.* Oleum lini in haemoptyſi *) et in carioſorum dentium doloribus, vbi nonnullae guttulae olei recentis, carioſo denti inſtillatae, dolores lenire dicuntur. Cremor tartari ſolubilis poteſt praeparari ex quatuor partibus cremoris et vna boracis, nec quidquam virium, cremori tartari propriarum, in ſolubili perit, praeter vim euacuantem, quae, doſi eius aucta, facile poterit reſtitui. Proportio autem haec, vti Cl. BERGIVS monet, debet obſeruari, alias ſal DE SEIGNETTE producitur.

p. 380. 17. Semina vrticae in aqua vel lacte cocta anthelminticam virtutem certam habere dicuntur.

p. 384. 18. *De nicotianae ſyrupo in aſthmate.* Componitur ex decocto nicotianae duabus libris, vna et dimidia vncia hydromellis et quatuor vnciis oxymellis. Quibus mixtis, digeſtis, decantatis, fit coctione ſyrupus addito ſaccharo. Plura alibi de aucta virtute acris in ſcilla et narcotici in opio, nicotianae propria **).

p. 394. 19. *De eruptionibus Veſuuii, de monte igniuomo circa Mexico* et *de California* breues quaedam tradun-

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 688.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 701.

traduntur relationes, quarum poſteriores excerptae ſunt ex libro, qui 1722 Manhemii prodiit, titulo: *Nachrichten von der amerikaniſchen Halbinſel Kaliſornien.* Enarrantur hic quaedam corpora naturalia, ſatis cognita, atque de vſu eorum in illa gente.

20. *Relatio de femina lethargo affecta, auctore* T. BRADY. A. 1738. mulier 40 annorum menſe Auguſti in ſomnum incidit, qui per 4 dies durabat. Poſt 7 dies iterum ſomno corripiebatur, qui tantum per 17 horas pergebat: atque hoc modo per viginti annos vitam miſeram agebat. Per diem continuo dormiit neque vllo modo poterat ſuſcitari: dormiens autem calorem naturalem habebat; omnes autem excretiones, perſpiratione inſenſibili excepta, ceſſabant. p. 406.

21. Anonymus refert in *Oſtreis* duplices vermes reperiri, alios rubentes, qui quaſi obſtetricantes oſtrearum ſint, dum partes genitales earum irritent, vt oua ſeu pullos excludant: cum enim Oſtreas pullis refertas, his vermibus priuaret, eaedem pullos non pepererunt; quod in aliis, quae vermibus praeditae erant, ſuccedebat: alios albos, phoſphoreſcentes, qui rarius conſpiciantur. p. 412.

22. *Obſeruationes de origine mellis Auctore* BOIS. DE SAVVAGES. Putat Auctor mel non ab apibus fabrefieri, ſed eas tantum partes mellis in vegetabilibus vel ſpecie nectaris, vel roris melini forma diſperſas colligere, quae deinde ſucceſſu in alueariis mellis naturam induant. Hunc rorem mellinum duplicis eſſe generis, vel enim ex plantis exhalare, et roris forma in foliis et aliis plantarum parti- p. 454.

partibus conſpici; vel aphidibus originem ſuam praebere, quae optimis plantarum ſuccis nutritae ſuccum melleum excernunt. Itaque aphides, ex ſententia Auctoris mel faciunt: apes autem tantum id colligunt.

p. 485. 23. *De vtilitate quaſſiae* Auctore IACOBO FARLEY. Peruuianum corticem non ferre poterant nonnulli aegri, ſed eum euomuerunt; quaſſiam vero cum ſerpentaria Virginianae radice et ſine ea ventriculus aſſumebat. Plura de eius virtute alio loco *) iam a nobis ſunt prolata.

24. *Relatio de grauida, cuius imaginatio laeſa eſt*
p. 565. *aſpectu ſimiae.* Auctore C. G. SCHOENWALD. M. D. Filia hic neonata offerebat a ceruice vſque ad os coccygis per totum dorſum cutem crinibus obſeſſam tanquam ſimiae cutaneus habitus, vti ex icone intelligi poteſt. Stat Noſter a partibus imaginationis maternae laeſae, quam alii negant, alii defendunt **), quae, vti arbitratur, excitatur et per terrorem, vt coniunctam cauſſam, viuidior efficaciorque redditur, per quam dein phyſicae vires in conſentientem motum et effectum tranſeunt. Hae phyſicae vires ſecundum directionem iam acquiſitam agunt per grauitatem ſpecificam cet.

p. 577. De efficacia autem animi commotionum et ſpecificis phyſicis viribus notat Noſter, eas non ſemper vnum eundemque effectum ſequi pro hac vel illa conditione corporis. E. gr. grauida memorata non fuiſſet grauida tum temporis,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 242. 259.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. pag. 328 ſeqq. pag. 332 ſeqq.

ris, cum terrore percuteretur ex aſpectu ſimiae, alias ſequelas actiua haec animi paſſio effeciſſet. Fetu enim tum abſente, aliae partes fuiſſent occupatae, forte mammae loco cutis ſimiae eryſipelate ſeu ſcirrho et cancro affectae fuiſſent.

Fateturi denique, Cl. Auctor difficultatem explicandi, quo nimirum modo vires phyſicae per ſingularem animi perturbationem motam, ſpecificos effectus poſſint praeſtare; qua ratione animi affectus has vires dirigat ad partes ſetus ita, vt praeternaturalem earum formam cauſent et qua via hi effectus ſingulares ex ſuis cauſſis explicari poſſint. Subſiſtit autem hic Noſter vltraque progredi non licere mortalibus dolet.

25. *Tentamina de peſte.* Ad eius naturam definiendam bilem peſte infectorum aptam eſſe probatur ex phaenomeno ſequenti, quod apparuit graſſante peſte Lugdunenſi: Colligebatur ſpuma multicolor in ſuperficie aquae, quae in vaſe per nonnullas noctes libero aëri erat expoſita. Qua ſeparata et cani propinata, non diu poſt miſere periit. p. 589.

26. *Singulare remedium ſitim exſtinguendi.* Eſt illud balneum, cuius effectus per leges ſuctionis explicat Cl. FRANKLIN. p. 591.

## IX.

WENCESLAI TRNKA DE KRZOWITZ S. R. I. Equitis, Medicinae Doctoris in vniuerſitate Regia Tyrnauienſi anatomes Profeſſoris publici et ordinarii, hiſtoria febrium intermittentium omnis aeui obſeruata et inventa illuſtriora medica ad has febres pertinentia complectens. Volumen I. De febribus intermittentibus in genere. Vindobonae ex officina Iac. Anton. a Ghelen 1775. 8. maj. pagg. 728. praeter praefationem et dedicationem.

Vniuerſam de febribus intermittentibus tractationem binis voluminibus complecti Noſter vult, quorum vnum ea, quae ad naturam curamque illarum generatim ſpectant, continet; alterum diverſas earum ſpecies ſiſtet, vt recidiuas, intempeſtiue ſuppreſſas, malignas, irregulares, morboſque, qui ex his febribus aut perperam curatis, aut nimis diuturnis oriri ſolent. Quantum fieri potuit, Cl. Auctor a phyſiologicis ac pathologicis explanationibus ſeſe abſtinuit et omnem potius doctrinam ſolis obſeruatis practicis, quae ſedulo et accurate profecto collegit, ſuperſtruxit, illuſtrioreſque caſus clinicos variorum Auctorum addidit.

p. 1. Febris intermittens eſt ea, quae alternis vicibus accedit receditque, nullo ſui relicto ad ſenſum
p. 10. a diſceſſu veſtigio. Omnem intermittentium febrium varietatem definiunt *typus* ſeu *periodus*; *anni tempus*; *menſura* durantis cum acceſſionis, tum integritatis; *complicatio* typorum; *extenſio* morbi in corpore aegro, dum aut vniuerſum, aut partem eius tantummodo in acceſſione affligit; *habitus*, dum ſcilicet

ſcilicet vel conſuetis ſibi ſymptomatibus comparet, vel ſub habitu morbi alius febris ſe inſinuat; *indoles febris* aut mitis vtcunque, aut maligna; *cauſſae* easdem in dato aegri corpore producentes. Quindecimanae, menſtruae trimeſtris, annuae, triennis febris mentio hic eſt facta. p. 22.

Cauſſae, a quibus febris intermittens in corpore humano progignitur, ſunt eaedem prorſus, quae alias perinde febres excitant, nempe conſtitutio vel epidemica aëris, vel endemica loci, vel ſporadica denique hominis, atque ita intermittens febris eſt epidemica, endemica et ſporadica. p. 52.

Natura febris intermittentis, variis febrium intermittentium generibus et acceſſionis febrilis deſcriptione praemiſſis, in capite quarto ad acceſſiones typorum exquiſitorum Cl. Auctor progreditur. Perſequitur hic Noſter exquiſitas quotidianas, tertianas quartanasque febres easque conſiderat ſecundum inuaſionis tempus, quod in quotidianis veſpertinum, aut nocturnum, in tertianis antimeridianum eſt: dein ſecundum frigus, vbi GALENI diſcrimen inter frigus, horrorem rigoremque memorat: denique ſecundum calorem, ſudorem, pulſum, ſymptomata, excretiones, acceſſionis durationem et apyrexiam. p. 73.

Procatarcticas ſeu occaſionales intermittentium cauſas diuidit Noſter in capite quinto in ſporadicas, endemicas ac epidemicas. Ac primum quidem inter ſporadicas contemplatur Cl. Auctor ingeſta, quibus creator vim peculiarem forte indidit, febrim in corpore Noſtro conſtanter, ſi aſſumantur, progignendi. Contagium inter epidemicas intermittentium febrium cauſas Noſter indubitato recenſet. p. 96.

In capite ſexto proegumenae febrium intermittentium cauſae, eius diuerſitas in quauis inter- p. 128.

mittentium ab antea memoratis cauſis et nexus cum procatarcticis primum traduntur, dein ad id
p. 133. progreditur Noſter, a quo febris intermittentis natura pendeat? Tota haec quaeſtio in capitibus ſequentibus tractatur, ſcilicet 1) quae ſit cauſſae proegumenae ſedes? in ſolidiſne an fluidis vel in vtroque et in quibus? 2) Vtrum periodorum ratio in ſola proegumena cauſſa vel huius cum procatarctica concurſu quaerenda ſit? 3) quaenam ſit cauſſae proegumenae in quauis intermittentium ſpecie (de quo in capite ſecundo iam egit Cl. Auctor) diuerſitas. Tot, inquit, enigmata, quot quaeſtiones.

p. 141. Neruoſum ſyſtema in febribus intermittentibus primario affici, inque illo harum proegumenam latere cauſſam tum multa, tum grauiſſima ſuadent rationum momenta. Ac *primum* quidem animi commotiones quandoque intermittentem cauſſant, ſopitam reuocant, alias profligant: *ſecundo*, prima ingruentis paroxyſmi phaenomena docent, aliquid in ſyſtemate nerueo mutatum eſſe; *tertio*, laruatae febres non paucae in vnica ſaepe ſyſtematis neruoſi laeſione, (e. gr. paralyſi, epilepſia cet.) conſiſtunt, vel hanc ſibi haud raro adiunctam habent intermittentes manifeſtae. *Quarto*, morbi peſſimi ſyſtematis neruoſi, vt epilepſia, paralyſis, cet. ſuperueniente febre intermittente plerumque radicitus curantur, et vice verſa hi intermittentem fugant. *Quinto*, primum variolarum ſtadium ſcenam ſuam in ſyſtemate neruoſo ordiri, hodie ſatis conuenit. *Sexto*, hyſterica paſſio maximam cum intermittentibus habet analogiam cet.

p. 147. Iam ad fomitem febrium intermittentium Noſter progreditur, quem, etſi b. SWIETENIVS negat, Cl. Auctor largitur. Materialem eiusmodi ſtimulum adeſſe debere in intermittentibus ſuadent

criſes

criſes intermittentium variae, cauſſae morbi materiales, contagium febrium intermittentium, morbi ex praemature ſuppreſſa febre, vt hydrops, obſtructiones cet. affinitas intermittentium cum morbis aliis periodicis a fomite materiali, per circuitus renato, oriundis, vt eſt podagra, epilepſia cet.

In capite ſeptimo de diagnoſi febrium intermittentium loquitur. Haec circa duo potiſſimum verſatur, quorum primum eſt, vt a qualibet alia febre dignoſcantur eae, alterum vero ad typorum pertinet diſcrimina. Atque hoc rurſus patet ex duplici ratione, nimirum vel ex ipſo febrilis inuaſionis principio; vel ex apyrexia aut ſuccedente febre, aut emanente. Atque hic reſpiciendum eſt ad epidemiae genium, ad vrinas, licet non ſemper, lateritias, exacerbationes cet. p. 204.

In capite octauo narrantur effectus febrium intermittentium generales et ſpeciales. Ad generales referuntur ſolidorum laxitas et debilitas, fluidorum ſpiſſitudo, tenuitas, acrimonia. Specialibus effectibus adnumerantur procliuitas in ſudores, obſtructiones viſcerum abdominalium, hydropes varii, leucophlegmatia, abſceſſus purulenti, ſcorbutus, haemorrhagiae, ſapor deprauatus. Oriuntur quandoque in febre hac et alia mala ab ipſius paroxyſmi vehementibus motibus febrilibus. p. 215.

In capite nono venit Noſter ad prognoſin febrium intermittentium. "Qui quartana vexantur, ait HIPPOCRATES, non vllo magno aliquo morbo corripiuntur. Quodſi antea corripiuntur, quartana ſuccedente liberantur." Idem obſeruatum eſt de tertiana, vti ex exemplis a Noſtro additis elucet. p. 228.

Febres intermittentes haud ita expertes eſſe periculi, quam vulgo quidem fertur, monet Ill. p. 238.

DE HAEN. Quemadmodum itaque morbi grauiſſimi ope febrium intermittentium aliquando ſanantur, ita et grauiſſima mala nonnunquam per eas ipſas febres concitantur. Rurſus hic exempla a Noſtro collecta ſunt.

p. 250. E reduplicata ſebre, ſi fiat ſimplex, bonum eſt.

p. 252. Paroxyſmus poſt exhibitum corticem Peruuianum vehementior factus, febrim breui finitum iri portendere a nonnullis creditur. p. 255. Soluitur febris intermittens variis criticis euacuationibus, ſudore, vomitu ſpontaneo, alui fluxu, vrina, haemorrhagia vteri, narium cet.

p. 261. Soluitur febris intermittens quoque metaſtaſi facta varia, ad lienem, crura, cutem. p. 271. Pariter haec ſoluitur et ictero ſuperueniente, ſi hypochondrium dextrum non ſimul laboret, itemque et conuulſione.

p. 273. Quotidiana intermittens eſt pertinax ac diuturna, nec non procliuis in graues morbos alios, vt eſt ſopor apoplecticus, hectica febris, hydrops cet. p. 276. Tertiana vero eſt breuiſſima intermittentium, diuturnior ſi eſt, in quartanam degenerat, periculi expers eſſe a multis creditur; adduntur vero exempla ab Auctore Noſtro, quae contrarium docent. Efflorescentiae circa os et nares ſuperueniunt intermittentibus ab initio male, circa finem bene ſecundum Ill. ROSENSTEIN obſeruationes. Noſter autem arbitratur has efflorescentias ſignum eſſe criſeos per ſudores. Apparent et in aliis locis, vt in digitis, eiusmodi puſtulae.

p. 287. Quartana ſcandalum olim medicorum ob diuturnitatem et difficultatem curationis appellabatur. Periculo carere eam a veteribus affirmatur, iuniores ad longaeuitatem ea diſponit et proceritatem corpori iuuenili conciliat. Oritur aut per ſe, aut ex

ex aliis typis, lepra aut elephantiaſi affectos raro prehendit. Grauida, quartana laborans ſi viuam pariat prolem, haec plerumque cum quartana in lucem venit. Furunculus in buccis natus eam protinus ſoluit. Quartanam bis in vnum eundemque hominem cadere poſſe affirmatur et negatur.

Quintana febris intermittens eſt omnium p. 306. peſſima. Bis vero eam curauit ope corticis Peruuiani b. WERLHOFIVS.

Miſſis vernalibus et autumnalibus febribus inter- P. II. mittentibus ad partem alteram huius voluminis primi nos conuertimus, quae potiſſimum febribus intermittentibus medendi methodum ſpectat. Ac in prima quidem ſectione traditur has febres p. 311. curandi ratio tempore paroxyſmi. Cum vero febrilis acceſſio, teſtante WERLHOFIO, morbus ſit ſui generis, qui nullo compeſci poteſt remedio, nihil hic reſtat, quam indicatio palliatiua, qua paroxyſmi effectus praui praecauentur, leniuntur imminuunturque. Frigus febrile efficit vaſorum ſpaſticam conſtrictionem, ſanguiniſque coagulum. Ergo laxanda ſunt ſolida ſpaſtice arctata et coagulum reſoluendum eiusque vlterior geneſis impedienda in frigore febrili. Et hic potiſſimum laudat Noſter decoctum Ill. DE HAEN ex radice graminis, taraxaci, oxymelle ſimplici et ſale polychreſto. Tepidum nec adeo copioſum potum in ſtadio frigoris Noſter non reiicit, frigidum autem ſeuere interdicit, quippe qui coagulum ſanguinis magnopere auget, vnde non raro hypochondriorum obſtructiones ac tumores duri generantur. Calor fe- p. 315. brilis vero rarefacit ſanguinem, laxat diſtenditque vaſa. Nimia itaque ſanguinis rarefactio et vaſorum diſtenſio eſt imminuenda. Humores ſpiſſi, acres, in putredinem proni, attenuandi, demulcendi, condiendi ſunt. Hinc quies, ſtragulorum

 mutatio,

mutatio, ſanguinis miſſio, vbi acerbiores capitis dolores et mentis alienationes adſunt, potus acidulatus, vti eſt b. VOGELII, ex aqua fontis, ſyrupo
p. 315. rubi idaei et aceto vini hic conducunt. In ſudore febrili reſpiciendum eſt ad materiam febrilem facilius eliminandam, ad ſubtiliorem ſanguinis partem, quae amittitur, ſubſtituendam et ad vires vitae erigendas.

p. 318. In ſectione ſecunda curandi ratio febres intermittentes tempore apyrexiae traditur ac primum quidem conſiderat Noſter indicationes generales, quae potiſſimum cernuntur in cauſſa proxima deſtruenda et effectibus morboſis a febre productis corrigendis, cet.

p. 322. Deinde ſanguinis miſſio in febribus intermittentibus interdum profecto vtilis et neceſſaria eſt. Id quod hic probat et litem, quae idcirco ab aliis atque aliis Auctoribus eſt mota, Cl. Auctor commemorat. Venarum tundendarum ſelectum, quem veteres inprimis diligenter obſeruarunt, nec omnino reiicit, nec penitus aſſumit.

p. 348. De emeticis et catharticis agitur in tertio capite, quorum remediorum neceſſitatem, vtilitatem et praeſtantiam harum febrium profligandarum iam diu ante medici praedicarunt. Nihilominus autem celeberrimi medici inter ſe interdum diſcrepant. Ne itaque tironibus in tam neceſſaria doctrina ambiguitatis quidquam relinqueretur, illam ad certa quaedam capita Noſter redegit. Quamobrem conſiderat primum horum remediorum in febrium intermittentium curatione indicantia, dein tempora ad ea exhibenda idonea, poſtea ſelectum, cautelas quasdam, limites, ſpecifice quaedam laudata remedia et tandem contraindicantia.

Inter

Inter indicantia emeticum et purgans refert Noſter febris pertinacem typum, ſi ſcilicet, nec horam inuaſionis, nec periodum mutat febris, neque eius vehementia imminuitur, multa etiamſi adhibita ſint remedia. Quoad tempus haec remedia hic exhibendi quaeritur a Noſtro, vtrum melius in paroxyſmo, an in apyrexia ea adhibeantur? porro vtrum in principio morbi, an aliquot acceſſionibus ſuperatis? Tempus integritatis Noſter praefert et ſi ſaburra primarum viarum febri occaſionem dedit, a principio morbi. Quod ſi vero ſublata cauſſa, tum febris pergat, nec obediat remediis, haec remedia ſunt ita porrigenda, vt eorum operatio in tempus paroxyſmi incidat, h. e. paulo ante inuaſionem vel ingruente iam inuaſione. p. 350. p. 356.

In ſelectu horum emeticorum et purgantium remediorum Cl. Auctor ad tria potiſſimum reſpicit: 1) vbi emetica purgantibus ſunt praeferenda et vice verſa; 2) eccoprotica, an draſtica dari oporteat; 3) remedia recenſentur contra has febres, vt ſcammoneum, eſula, helleborus, butyrum antimonii, mercurius vitae, antiquartium DETHARDINGII, puluis Cornachinus, febrifugum ſeu antiquartium RIVERII, vitriolum Cyprinum, et album, aqua ſtillatitia roſarum pallidarum, aſari radix et folia, ſulphur antimonii auratum, vitrum antimonii ceratum, mercurius vitae coeleſtis KLAVNIGII, arſenicum, quorum remediorum antifebrilium hiſtoriam curate Noſter hic congeſſit. p. 364.

Inter cautelas, quas addidit Noſter, memoremus paregorici exhibitiones poſt abſolutam emeſin aut catharrſin: ceterae ſpectant idioſyncraſiam aegri, remediorum naturam, et vim, formamque, qua exhibeantur. p. 406.

p. 412. Dum contraindicantia, quae ſunt grauiditas, quartana cet. et vſum emeticorum et purgantium vetant, Noſter expendit, tres ſtatuit canones; 1) poſt febrem, cortice Peruuiano depulſam, purgantium vſus nec ratione reliquiarum febris expellendarum, niſi rariſſime eſt neceſſarius, nec etiam ſatis tutus ob recidiuae metum; 2) ſi vero ex accidente quodam purgare oportet, cathartico iungatur cortex Peruuianus et operatione finita exhibendum eſt paregoricum, poſt hoc autem doſes aliquot corticis: 3) cauendum, ne purgans die paroxyſmi porrigatur.

p. 417. In capite ſexto tractat Noſter ſoluentia. Duo ſunt ſoluentium genera quorum vnum in fluida ſolummodo, alterum in ſolida et fluida agit et potiſſimum roborando ad lentorem humorum celerius deſtruendum conducit. Ad priorem claſſem pertinent mere vel aquoſa, vel ſaponacea vel ſalina mitiora, vt diluentia, reſoluentia et incidentia, ad poſteriorem vero claſſem referuntur ea, quae praeterea aromate efficaci polleant, vt amara

p. 423. cet. Aqua vel ſimplex pura, vel acidula medicata largiter hauſta refertur hic a Noſtro inter remedia antifebrilia ad primam claſſem pertinentia, porro millepedes et procul dubio araneae, alcalina fixa, ſalia media inprimis ammoniacum, mercurius hic memorantur. De altera claſſe remediorum digeſtiuorum agit Cl. Auctor paulo inferius.

p. 447. Caput quintum complectitur diaphoretica. Indicant autem prae ceteris illorum vſum in intermittentibus perſpiratio ſuppreſſa, epidemica conſtitutio, ab humido frigore atmoſphaerae, endemicae febres in locis humidis frigidis, typus praeſertim tertianarum, licet quotidianae et quartanae perinde hac methodo quandoque ſe profligari patiantur, febrilesque motus pertinaces. Tempus ad diapho-

diaphoreſin maxime opportunum hic Noſter iudicat apyrexiam ſub finem vergentem. Selectus diaphoreticorum hic adhibendorum proficiſcitur partim a varia horum vehementia, partim a peculiari aduerſus has febres nonnullorum diaphoreticorum virtute. Et haec remedia potiſſimum ſunt p. 453.
ſucci plantarum amararum, acida penetrantia, vt acetum, ſuccus citri, alcalina item volatilia, inter quae hic varia animalium ſtercora memorantur, oleum animale DIPPELII, ſulphur minerale, hinc etiam puluis pyrius febrifugum eſt militum, antimonium et crudum et diaphoreticum, aromata acerrima ignea.

In capite ſexto de diureticis agit Noſter et in- p. 485.
ter ea potiſſimum his in febribus efficacia reperta ſunt ſemina paſtinacae et balſamus de copaiua. Roborantia in his febribus Noſter conſiderat in ſe- p. 491.
ptimo capite, quae agunt 1) *neruos roborando* h. e. tantam ipſis elaſticitatem, aut rigiditatem, aut quidquid illud ſit, quod motibus morboſis reſtitit, conciliando, vt ad impulſus febriles periodice excitari ſolitos, non protinus in ſpaſmos cieantur. Quo fit, vt character febrilis elangueſcat pedetentim et aboleatur: 2) *obtundendo neruorum ſenſilitatem*, vt febrilem illum ſtimulum non percipiant. Remedia haec vtrique indicationi facientia ſatis, audiunt neruina et quidem roborantia priora, poſteriora vero narcotica, quorum quaedam hic nominemus: nux moſchata, dictamni albi radix, gummi aromatica, inprimis myrrha, item quaſſia, floresque chamaemeli.

Iam venit Noſter ad adſtringentia in octauo ca- p. 500.
pite. Haec ſunt plantago, gallae, cupreſſi coni ſeu nuces, acaciae radix, cortex iuglandis, ceraſi, fraxini, caſcarillae, ſalicis cet. alumen crudum, martialia cet.

p. 515. Inter narcotica, quae nunc ſequuntur, memoremus nucem vomicam, dulcamarae ſtipites, opium et varia eius praeparata et compoſita.

p. 527. In capite decimo de cortice Peruuiano Noſter diſſerit. Illius efficacia cernitur in ignota illa proegumena reuerſionum periodicarum cauſſa tollenda, ideoque ille verum atque vnicum ſpecificum remedium febrifugum laudatur. Indicant eius vſum febris pertinacia, variis fruſtra adhibitis remediis ſupra a Noſtro nominatis, periculum e febre imminens et febris increſcens, euacuationibus praeſtitis. Puluerem corticis Peruuiani omnibus reliquis formis et praeparatis Noſter refert. In doſi definienda reſpiciendum eſt ad remedii bonitatem et formam aegri aetatem, apyrexiae durationem et longitudinem, ac vel maxime ad morbi magnitudinem periculumque. Porro diſſeritur de variis remediis, quae cortici diuerſas ob rationes admiſcentur, vt rheum, radix ſerpentariae Virginianae, flores chamemaeli, opium et mercurius, aliaque. Contra indicant autem vſum corticis Peruuiani inter alia aegri idioſyncraſia, aegritudo, a febre depulſa, aucta, inflammatio interna, icterus cet. Atque ita vſum corticis indicantia, contraindicantia et coindicantia Cl. Auctor curate conſiderat et exemplis illuſtrat.

p. 583. In capite vndecimo tranſit Noſter ad compoſita febrifuga. Haec ſunt antifebrilis puluis MORTONI, MEADII, DE HAEN, HOFFMANNI, TRILLERI, LANZONI, NIGRISOLI, SENAC, TOZZI et KLAVNIGII cet. Electuarium HOFFMANNI, TRILLERI, NIGRISOLI, pharmacopaei Geneuenſis, SENAC, trochiſci HEVRNII, vinum HOFFMANNI atque TISSOTI. Harum compoſitionum formulae hic inueniuntur et alia praeterea eiuſmodi compoſita indicantur.

p. 597. Caput duodecimum febrifuga externa remedia complectitur, quorum Auctores potiſſimum ſunt

ſunt veteres, etiamſi et ea ipſa a recentioribus *) landantur. Haec ſunt clyſmata, balnea frigida et calida, pediluuia, frictiones ſpinae dorſi variis vnguentis et oleis, quorum hic Noſter mentionem facit; porro electricitas, epithemata varii generis et variis corporis locis applicata. Epithemata haec ſunt vel neruina, vel veſicas aut puſtulas excitantia, vel ſolum ruborem, vel emetica, e. gr. Erygerum ſeu Senecio vulgaris externe applicatum. Loca vero ſunt carpi, plantae pedum, poplites, axillae, cardia, ſpina dorſi ſcrobiculus cordis, regio lienis, renum, cet. Cortex Peruuianus et hic externe ſuadetur ab Auctoribus. Huc porro pertinent tranſplantatio et amuleta, quorum plurimorum vſum Noſter exemplis hic probat. p. 642.

Vltimo capite traditur de regimine diaetetico. Mentionem et hic facit Cl. Auctor appetitus automatici, quo ſedato plerumque a febre conualeſcere aegros exempla proſtant. Ceterum non ſpectatur hic ſolum ad alimentorum quantitatem, et qualitatem, item ad tempus ea exhibendi, ſed etiam ad aërem, lectum ac decubitum, motum muſcularem, animique commotiones. p. 656.

Appendix continet vndecim febrium intermittentium hiſtorias ab aliis aliiſque Auctoribus DE HAEN, DONALD MONRO, SCHELHAMMER, BALLONIO cet. traditas, quae partim ea, quae antea a Noſtro ſunt diſputata, illuſtrant, partim ſingularia ſpectant phaenomena et integrae notatu dignae ſunt. p. 681.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 294.

---

X. ERNST.

X.

ERNST ANTONS NICOLAI *Pathologie oder Wiſſenſchaft von Krankheiten. Dritter Band. Halle in Magdeburgiſchen verlegt von Carl Hermann Hemmerde* MDCCLXXIII. 8. *Seit.* 768. *auſſer der Zueignungsſchrift und Vorbericht.*

i. e.

Pathologia ſeu ſcientia de morbis Auctore Cl. ERNESTO ANTONIO NICOLAI. Tomus III.

Hic tertius tomus complectitur continuationem et finem doctrinae de febribus, quae totum ſecundum tomum *) iam effecit. Finiunt praeterea hunc tomum additamenta ad primum **), quoniam mutauit Noſter conſilium antea ſibi propoſitum, quod cernebatur in eo, vt eſſet hic liber praelectionibus academicis accommodatus. Atque ita incipit cum febre ſcarlatina eiusque diuerſitate, dein agit de vrticata, morbis inflammatoriis, e. gr. pleuritide, peripneumonia, paraphrenitide, eryſipelate pulmonum, inflammatione pericardii, cordis, phrenitide, paraphreneſi, angina, inflammatione ventriculi, enteritide, hepatitide, ſplenitide et nephritide, veſicae, vteri cet. inflammatione. Porro de febre aſode, peſtilentiali, febribus putridis neruoſis, eſſera, Sora, Sare, pemphigo, aphthis cet. Cl. Auctor agit. Iam de ſingulis nonnullis exempli loco videamus.

p. 29. Scarlatina non ſemper Noſtro videtur contagioſa. Multum cum ea conuenit vrticata, quae et dicitur eſſera ſora et ſare, germanice *Wiebelſucht.*

Nunc

*) v. comm. noſtr. decad. III. Suppl. I. pag. 22. quod proxime pollicemur.

**) v. ibid.

Nunc progreditur Noſter ad febres inflamma- p. 34.
torias. Non omnes inflammationes excitant febrem. Nam niſi ſpaſmus fibrarum, quem oportet comitari inflammationem, per totum corpus penetret, nunquam oriri poteſt febris. Atque primum quidem pleuritidem et peripneumoniam vberius perſequitur et pleuritidis varias ſpecies, vt ſanguineam, inflammatoriam, phlogiſticam, veram exquiſitam, legitimam, eſſentialem, puram, ordinariam, putridam, biliosam putridam et non putridam, benignam, malignam, flatulentam, verminoſam, ſtomachalem, inteſtinalem, hepaticam, pituitoſam, catharralem, epidemicam, veram et ſpuriam ſeu notham, veram internam, veram externam, ſpuriam idiopathicam et deuteropathicam, flatulentam catarrhalem. Dein contemplatur Noſter pleuri- p. 130.
tidis ſpecies a Cl. SAVVAGES in noſologia ſua methodica *) conſtitutas, et peripneumoniae diuerſam ſedem atque diſtributionem tradit. Eryſipelas pulmonum, morbus a LOMMIO quidem deſcriptus, attamen obſcure, videtur Noſtro eſſe inflammatio mediaſtini. Carditidem Noſter exponens, Cl. p. 219.
DOEVEREN exempli **) mentionem fecit et varios caſus de exulceratione cordis memorat. Phrenitis ſ. phreneſis ſ. phrenetiaſis alio atque alio p. 225.
modo ab Auctoribus deſcribitur et explicatur. Varias eapropter Cl. Auctor hic collegit Auctorum variorum ſententias et pari modo de paraphrenitide agit. Symptomata paraphrenitidis leuiora ſunt, quam phrenitidis ſequelae, eſt ea non tam cito letalis, quam haec, et facilius ideo curatur. Saepius quoque apparet paraphrenitis, quam phrenitis, ſed

*) Tom II. p. 448 ſqq.

**) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 160.

ſed alio nomine plerumque occurrit. Febres enim exanthematicae, malignae putridae ſaepe nihil aliud ſunt, quam paraphrenitides, quorum morborum cauſſa in abdomine eſt quaerenda. Non
p. 265. probat Noſter diuiſionem, anginae et cynanches, neque enim eam neceſſariam neque vtilem cenſet; potius reſpicit ad reſpirationem et quanto difficilior eſt ea, tanto periculoſior angina euadit. Gaſtriti-
p. 327. tem rarum eſſe morbum alii affirmant, alii negant. Affirmatur praecipue a FRIDERICO HOFFMANNO. Dum Noſter metritidem ſeu hyſteritidem perſequitur, febrem puerperarum peculiarem a Cl. HVLME primo deſcriptam memorat, cuius vero
p. 512. a nobis alibi *) eſt mentio iniecta. GESNERI febris craſſa videtur Noſtro eſſe febris cachectica et febris neruoſa lenta, quam HVXHAMVS accurate deſcripſit, eaque oritur ab acrimonia quadam, quae humores nimis reſoluit et magnam imbecillitatem atque debilitatem inducit.

p. 675. Additamenta ad primam partem finiunt hunc tertium tomum. Si motus corporum, qui per canales corporis humani fiunt, conſiderantur, a tribus potiſſimum cauſſis pendent; nimirum 1) a corpore, quod per canales corporis humani mouetur; 2) a canalibus, per quod motus corporum fit; 3) a vi, qua motus quorundam corporum per canales corporis humani efficitur. E. gr. ſanguis, vaſa ſanguifera, et contractio eorum, porro aër, canales aërei, nares nempe, os et aſpera arteria et vis reſpirationis. Atque ita vrinae fluxum, partum, ſeminis eiaculationem cet.

Quod

*) v. ſupra p. 73. ibi et Cll. LEAKE et WHITE, eandem rem tractantium, ſcripta recenſuimus.

Quod ſi vero hi motus per canales corporis humani rite fieri debent, eorum corporum reſiſtentia contra vim, qua mouentur, non adeo fortis ſit, pariter et canalium reſiſtentia ſeſe habere debet et tertio vis, quae motus corporum per canales corporis humani efficit, tanta ſit, vt reſiſtentiam naturalem, qua pollent corpora mouenda quam habent canales et quam, corpora cum canalibus corporis humani coniuncta praeſtant, ſuperent. Fac itaque, vt ſiue reſiſtentia horum corporum, quorum motus per canales fieri debet, nimis magna ſit; ſiue vt reſiſtentia praeternaturalem in modum magna ſit, quam canales vi, qua mouentur, opponunt, ſiue vt corpora per noſtros canales vis mouens praeternaturaliter parua ſit; tunc deficiens motus eorum corporum per canales corporis humani, quem Noſter obſtructionem nominat, vt oriatur neceſſe eſt. p. 711.

Cauſſa itaque omnium omnino obſtructionum eſt ſiue nimis magna reſiſtentia canalium corporis humani, ſiue nimis magna reſiſtentia corporum, per canales mouendorum, ſiue praeternaturalis debilitas, vis et ita eiuſdem partis, a qua motus corporum per canales corporis noſtri effici debent. p. 713.

---

## XI.

Diſſertatio inauguralis, de morbis cutaneis. Quam eruditorum examini ſubiicit IOSEPHVS DIMSDALE, Britannus. Soc. Med. Edinburg. Sod. Edinburgi: Apud Balfour et Smellie, Academiae Typographos. MDCCLXXIII, 8, mai. pagg. 39.

Gratus Cl. CVLLEN, cui etiam diſputationem hanc adſcripſit, diſcipulus Auctor Noſter, primo loco oſtendere annititur, morbos hos non ſemper, nec niſi admodum raro, a vitiata qualitate ſanguinis ipſius repetendos eſſe, partim quia fluida ſecreta ſaepiſſime in ipſis demum organis ſecretoriis formantur, vti teſtatur mucus et pus; partim quia eruptiones cutaneae interdum tantum a mutatione in ipſius ſanguinis, maiori minoriue impetu ad vaſa cutis determinati, diſtributione pendent, quorſum refert Noſter guttam roſaceam a potu aquae ortam et huic ſubſtituta cereuiſia diſparentem, et exanthemata ab eſu variorum animalium v. c.. mytulorum cet. exorta; obiectionem, a periculo petitam, quod vlcera naturalia aeque ac artificialia, intempeſtiue ſiccata, item repulſionem eruptionum cutanearum ſequitur, non euincere exiſtentiam acrimoniae in ſanguine praeſentis, ſed effectus hos itidem ad mutationem in fluidorum determinatione referendos, et cum effectibus, ſuppreſſionis menſtruorum comparandos eſſe; diſpoſitionem humorum generalem nullam eſſe, inde apparere, quod remediis in eos vniuerſim agentibus adeo parum efficiatur, topica e contrario longe breuiore tempore curationem abſoluant cet. Ab his tamen morbis eximit eos, in quibus manifeſte ab acrimonia humo-

humorum gignuntur ac fouentur cutis morbi, ſcorbutum, luem veneream, ſcrophulas, exanthemata contagioſa (ſine dubio variolas et morbillos; de purpura enim aliter ſentit Cl. Auctor, eamque nonniſi ſymptomaticum morbum putat), venena per vulnera inflicta cruori immixta, cancrum, alioſque affectus reſorptione totum ſyſtema vitiantes. Tunc fontes horum morborum conſideraturus, in naturales ac praeternaturales eoſdem diſtinguit: priorum ſedem declarat in cuticula, vtpote naturali perſpirationis organo, in bulbis pilorum, et denique in ductibus excretoriis glandularum ſebacearum ponit. Praeternaturales fontes amplius non tangit, ſed ad Auctores, qui de variis eroſionibus vlceribuſque ſcripſerunt, prouocat.

Tandem therapeutica quaedam ſubiungit, monens, inutile atque ſaepe adeo noxium eſſe, multos affectus cutaneos, quum mere topici ſint, catharticis aggredi velle; et exemplum pſorae adducit, quae ſulphure et mercurio extus adhibitis breui feliciſſime tollatur, priori tamen remedio, interne vſurpato, vſu carente et altero nonniſi tardius agente; ſaepe etiam ſolummodo parte affecta deleta curationem praeſtari poſſe, vt in tinea (vbi etiam herpetis curatio per veſicatorium adduci debuiſſet); perperam hos morbos, etiam fomite in maſſa humorum haerente, purgantibus ſananda putari, febrilia tamen exanthemata laxantibus antiphlogiſticis non parum leuari. Poſtmodum de delectu diaphoreticorum diſſerit: aquis mineralibus, licet potiſſimum per vrinam euacuent, tamen vſum non denegat; ex vegetabilibus autem, ad decocta lympham depurantia adhiberi ſolitis, ſolum guaiacum virtute diaphoretica pollere aſſerit, ſed num adeo inſignem ſemper vſum praeſtet ipſe

 dubitat;

dubitat; potentius et certius agunt antimonium, inprimis regulina eius pars, et mercurius, qui vero, quibusnam potiſſimum morbis cutaneis accommodandus ſit, aliorum iudicio Auctor Noſter relinquit.

XII.

An Eſſay on the moſt effectual means of preſeruing the health of ſeamen in the Royal nauy, and a diſſertation on fevers and infection. Together with Obſeruations on the Iail Diſtemper and the proper means of preuenting and ſtopping its infection. By JAMES LIND M. D. a new edition *) much enlarged and improued. London printed for P. Wilſon and G. Nicol. 1774. 8. p. 363.

h. e.

Tentamen de mediis maxime efficacibus ſeruandi ſanitatem nautarum in claſſe regia. Accedit diſſertatio de febribus et contagio, vna cum obſeruationibus de febre carcerum et methodo contagium illius deſtruendi et ſe ab illo praeſeruandi. Auctore IACOBO LIND M. D.

Celeberrimus Anglorum medicus Cl. LIND, cuius alia ſcripta iam variis noſtrorum commentariorum locis indicauimus, vno hoc volumine duos libellos iterum eosque auctos et emendatos edidit, qui antea diſtincti iam in lucem prodierant.

In

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 481.

In primo libello, qui regulas de conſeruanda p. 1.
ſanitate nautarum continet, quidquid longa expe-
rientia hac de re Auctorem Cl. docuit, id omne
breuiter et ita deſcribitur, vt et ab iis, qui a medi-
ca arte alieni ſunt, commode intelligi queat.
Cum vero illae in compendio vix tradi poſſint,
ſequentes obſeruationes adduxiſſe ſufficiat. In
ſeptemtrionalibus regionibus, vbi perſpiratio ſae- p. 15.
pe ſupprimitur, vſus allii, ceparum et ſimilium ra-
dicum maxime proficuus eſt. Commendat quoque
Noſter vſum infuſi ſpirituoſi allii.

Naues recens conſtructae ſanitati nautarum p. 23.
ob noxium vaporem, qui ex ligno exhalat, plu-
rimum nocent. Errant nauarchae in eo, quod p. 26.
diaetam nautarum, dum ex frigidiore in cali-
dius clima nauis tranſit, non mutent, eaque
res inter cauſſas morborum, quibus nautae in
calidioribus regionibus infeſtantur, non vltimum
locum tenet.

Methodum vegetabilia et herbas per ſatis p. 39.
longum tempus in recenti ſtatu conſeruandi Cl.
Auctor fuſe deſcribit. Vſum infuſi ſpirituoſi p. 63.
corticis Peruuiani, tanquam egregium antido-
tum contra febres contagioſas commendat. Quam
noxii vapores ex paludibus in regionibus calidis p. 81.
exſurgant, variis exemplis Noſter probat ac fuſe
triſtes effectus, quos in Guineenſi ora eiuſmodi
nebulae habent, enarrat. Methodum aquam p. 88.
marinam per deſtillationem ita purificandi, vt dul-
cisfiat, qualis ea nunc in Anglia vſitatur, deſcri-
bit Cl. Auctor.

Ingratus ſapor, quem aqua marina deſtilla-
ta habet, non a bitumine quodam in eo prae-
ſente pendet, ſed empyreumaticus tantum omni-

bus aquis deſtillatis communis eſt, atque aqua
p. 103. aëri libero expoſita breui perit. Hinc omnia illa additamenta, quibus tranſitum bituminis impedire voluerunt, minus neceſſaria ſunt. Continet enim aqua nullum plane bitumen, ſed tantum ſal marinum et ſalem amarum catharticum et in aqua marina deſtillata nil peregrini, quam quaedam acidi ſalis marini veſtigia reperiuntur.

p. 131. Secundum huius libelli caput regulas exhibet, quae in praeſeruatione et curatione morborum contagioſorum, qui in nauibus occurrunt, obſeruandae ſunt. Fumigationum vſum maxime commendat. In febribus valde contagioſis aegri, qui in aëre libero et tentoriis decumbunt, facilius cu-
p. 151. rantur, quam ii, qui noſocomiis incluſi ſunt. In appendice venaeſectionum incautum vſum in regionibus calidioribus ſaepius nocere, interim tamen illam etiam in plethoricis haud raro neceſſariam eſſe, ita vt medicus ſine ſummo aegri damno eam omittere haud poſſit Cl. Auctor oſtendit. Gallicos medicos ob abuſum venaeſectionis in eiuſmodi malis et Hiſpanicos medicos ex eo reprehendit, quod praeter venaeſectionem in omnibus morbis calidarum regionum, chronicis et neruoſis non exceptis, ſine vllo facto diſcrimine, etiam refrigerantia adhibeant, cum tamen in ſimilibus morbis ſaepius aromaticis et roborantibus remediis opus ſit. Inprimis hoc in conualeſcentium cura obſeruandum eſt. Licet enim in Noſtris regionibus frigus atmoſphaerae tonicam vim exerceat atque aegri poſt morbum acutum ſuperatum ſaepius ſine vllo remedio conualeſcant, in calidioribus tamen regionibus non ſolum roborantia et aromatica, ſed et climatis ſaepe mutatio ad recuperan-

dam perfectam ſanitatem requiritur. Indi et Nigritae copioſas venaeſectiones non ferunt et cibis ſuis ſemper aromata calidiora admiſcent, quae etiam in his regionibus ſummi Numinis prouidentia copioſe creſcunt.

His Cl. Auctor varias obſeruationes thermometricas circa gradum caloris et frigoris, quae in diuerſo climate cum vno eodemque thermometro inſtituta fuerunt, nec non catalogum morborum, addit, qui in 6000 circiter aegris, per duos annos in noſocomium ſuum receptis, obſeruati fuerunt. p. 163.

In diſſertatione *de febribus et contagio*, cuius aliquot capita iam olim titulo inferius citato prodierunt*), quae vero in hac editione multum aucta et emendata ſunt, de morbis contagioſis agit, qui in claſſe regia et noſocomio, cui Cl. Auctor praeeſt, tempore vltimi belli graſſati ſunt. Hiſtoria vero eorum morborum, qui in claſſe obſeruati fuerunt, probat, maximam febrium partem, quibus nautae infeſtantur, a contagio quodam naui inhaerente, aut per veſtimenta et alia vtenſilia nautarum illi illato proficiſci. Febres quoque inflammatoriis plane ſimiles a contagio oriri pluribus exemplis demonſtrat. Alio tempore et in aliis aegris contagioſae febres ſe ſub ſpecie febris intermittentis oſtendebant, in quo morbo veſicatoria, in omni febre ex contagio orta maxime vtilia, celerrimam opem tulerunt. Ad ſtranguriam, quam canthárides ſaepe excitant, impediendam Cl. Auctor clyſmata cum oleo lini et diluentium ac mucilaginoſorum, nec non camphorae internum vſum commendat, quam etiam vnguentis addit, quibus re- p. 181.

 gionem

*) Two papers on fevers and infection.

gionem hypogaſtricam et pubis illinit. In febre lutea ſ. biliosa Americana (*yellow fever*) ſerum ſanguinis e vena miſſi flauum et amaricans eſt. Diarrhoea in his febribus orta ſuſtinenda eſt. In dolore fixo topica remedia interne datis remediis praeferenda ſunt. Frigus contra vulgarem opinionem, contagii progreſſum non impedire probat, imo aër frigidus humidus ſaepe contagii maligni-
p. 218. tatem auget. Aër, quem mari inſpiramus, in aſſuetis inprimis magis ſanitati conducit, quam ille, quo terra continente frui poſſumus. Etiam diarrhoeae leues et chronicae contagioſae ſunt. Contagioſi morbi gradus et periculum a qualitate et natura miaſmatis recenſetur. Hoc ſaepe veſtimentis et ſtragulis inhaeret, pluraque exempla oſten-
p. 226. dunt, illud vel aëris externi acceſſu non deſtrui. Fumigationes vero efficaciſſimum ad delenda miaſmata remedium eſſe Cl. Auctor ſaepenumero expertus eſt. Inprimis ſulphuris fumus conducit.

p. 238. Secundo capite nouis obſeruationibus Cl. Auctor probat, plures morbos, qui maligni proprie non dici poſſunt, tamen contagioſos eſſe. Odor contagioſus, qui ex aegrotorum corpore in eiusmodi morbis exit, comparatur a Noſtro odore ſtraminis corrupti et putridi. Poſt febres contagioſas recidiuae ſaepe occurrunt, inprimis ſi quaedam diaetae vitia committuntur, quae etiam, ſi iam contagium in corpore latet, illius euolutioni anſam praebent. Vſus vomitorii ſub primo horrore febris, quae e contagio orta eſt, antequam pulſus plenitudo et celeritas vomitorii exhibitionem periculoſam reddit, ſaepe aegrum in ſanitatem reſtituit. Idem quoque in recidiuae initio ſimiles effectus praeſtat. Coniungenda tamen etiam cum eo purgantia et clyſmata, atque deinde exhi-

benda

benda ſunt diaphoretica, vt ſal cornu cerui ad grana quinque cum laudani guttis viginti, aut aliquot grana camphorae in ſero lactis vinoſo. Hac methodo ex decem aegris, miaſmate febris malignae infectis, certo octo ſine vlteriore morbi progreſſu reſtitui, Noſter aſſerit. Numquam vero alexipharmaca exhibeantur, niſi praegreſſis neceſſariis euacuationibus. Quodſi vero vomitorio exhibito, tamen euacuationes durent, aut vomitorium neglectum, aut peruerſa medendi methodus adhibita ſit, tunc ſtatim veſicatorium, ſi corpus vel extremitates dolent, dorſo, ſi autem dolor pectus occupat, dolenti loco applicetur. Celerrime opem veſicatoria in initio ſtatim applicata ferunt, ita vt plerumque ex viginti circiter aegris, quibus veſperi veſicatorium applicatum fuit, ſedecim niſi febris ſumma ſit malignitas, altero die calorem, cephalalgiam, dolorem extremitatum et febrem iam amiſerint. Venaeſectio in initio febrium malignarum ſemper nocet aut, ſi etiam a plethora indicata ſit, tamen poſt eam vomitorium non aeque vtile eſt. Huius methodi praeſtantiam Cl. Auctor in multis aegris expertus eſt. Non ſolum aliquot aegrotorum millia ea ſanauit, ſed etiam ex centum et quod excurrit miniſtris, aegris in noſocomio ſuo adſtantibus, octodecim menſium ſpatio quinque tantum perierunt, licet illud noſocomium ſemper maxime aegrotorum febre maligna correptorum copia refertum eſſet, pluresque ex his miniſtris quinquies vel ſexies miaſma ſuſciperent.

Antimonialibus medicamentis ſpecificam contra febres acutas vim Noſter tribuit. Oſtendunt eam etiam tunc, quando non vt euacuans, ſed vt alterans tantum remedium operantur. Ea ſemper in minori, ſed ſaepius repetita doſi exhibeantur. p. 258.

 Vnicui-

Vnicuique doſi tamen quatuor vel quinque grana camphorae et totidem grana nitri Auctor Cl. addit, quod etiam clyſmatibus admiſcendum eſt. Non ſolum in inflammatoriis, ſed et in putridis febribus, imo in ipſa peſte vtiliſſima ſunt. Si antimonialia remedia vomitum vel diarrhoeam excitant, iis opiatum addit. Contrayerua et Serpentaria Virginiana nullam ſpecificam vim contra morbos acutos habent. Opiata inprimis in decremento febrium vtilia ſunt, aegro iam valde debilitato et exhauſto, vbi veram analepticam vim oſtendunt. Ex vno eodemque miaſmate febres indole ſua valde diuerſae in diuerſis aegris, v. c. febres bilioſae, petechizantes, miliares, oriuntur. In hepatis inflammatione, morbi vehementia iam venaeſectione et ſalium mediorum vſu imminuta, mercurius viuus, terreo medicamento mixtus, quam praeparationem in Anglicis officinis *mercurii alcaliſati* nomine inſignire ſolent, in India orientali, in pluribus Anglicis militibus vtiliſſimum ſe oſtendit. Fomenta et pediluuia, a WHYTTIO in delirio febrili adeo commendata, etiam Cl. LIND ſummo cum fructu in ſuis aegris adhibuit. Nigras petechias Cl. Auctor raro vidit.

p. 270. Si nulla alia malignitatis ſymptomata adſunt, ſola petechiarum praeſentia malignam morbi naturam non oſtendit. Valde mutabiles ſunt petechiae et ſaepe leuibus quoque cauſſis euaneſcunt aut pallidiores fiunt. In vniuerſum ſigna prognoſtica in febribus acutis ſaepe fallacia ſunt In aegris iam moribundis pulſus quandoque bonus eſt, aut in diuerſis corporis partibus varius deprehenditur. Hinc ex omnibus ſignis et ſymptomatibus ſimul ſumtis tantum perfectum de aegri ſtatu iudicium formari

formari poteſt. Amiſſus oculorum ſplendor, ſudor foetens et mala natura puris, quod ex vlceribus per veſicatoria excitatis profluit, inter peſſima ſigna referuntur. Diarrhoea, quae poſt morbum acutum ſuperatum remanet, a debilitate pendet, et roborantia remedia exigit. Tuſſis, quae eiuſmodi aegros infeſtat et phthiſin mentitur, non ab vlcere pulmonum, ſed vt Cl. Auctor ſaepius vidit, a ſero in cauitatibus internis et tela celluloſa ſtagnante oritur. Etiam in eiuſmodi aegris roborantia neceſſaria ſunt, quae Auctor cum vſu lactis et rhabarbari cum calomel coniungit.

In cadaueribus eorum, qui morbis contagioſis perierunt, Cl. Auctor fere ſemper magnam puris gelatinoſi in aliqua cauitate effuſi quantitatem reperit. Simile hoc eſt cruſta illa, quae ſanguinem ex vena miſſum in eiuſmodi aegris tegit: ſuperficies viſcerum, quae in cauitatibus contenta erant, in quibus haec puris collectio reperiebatur, variis vlceribus minoribus eroſa deprehendebatur. Pendet vero haec lymphae purulentae effuſio ab exſudatione lymphaticae ſeu glutinoſae partis ſanguinis, quae etiam cruſtam phlogiſticam format et quae in variis morbis ſe a reliquis ſanguinis principiis ſeparat ac in has cauitates extravaſatur. Monet Cl. Auctor hac occaſione ſe tres ſpecies extrauaſationum in morbis, in ſcorbuto nempe, phthiſi et febribus obſeruaſſe. In primo morbo ſanguis non in telam celluloſam ſolum, ſed et in ipſam muſculorum ſubſtantiam effunditur, ex quibus, ſi cadauera hominum ſcorbuto demortuorum diſſecantur, ſaepe magnae ſanguinis coagulati maſſae eximi poſſunt. In inteſtinis etiam, ventriculo, omento cet. in eiuſmodi hominibus maculae rubrae vel nigrae deprehenduntur, quae a cruo-

p. 279.

p. 285.

re

re in telam celluloſam horum viſcerum effuſo oriuntur. Si, vti nonnunquam fit, in ſcorbuticis aqua in pedibus effuſa, oedema producit, illa telam celluloſam ſubcutaneam tantum occupat. Secunda extrauaſationis ſpecies eſt in phthiſi, vbi aqua in telam celluloſam muſculis interiectam extrauaſatur. Tertiam tandem Noſter facit illam exſudationem lymphaticae partis ſanguinis, quae in febribus nonunquam accidit, de qua modo diximus, et quae a peculiari mutatione lymphae eiusque mutatione in materiam puri analogam pendet. Pus vero in febribus ſaepe in pectoris cauitate colligitur. Hinc vſus, quem veſicatoria ſi mox in initio adplicantur, praeſtare ſolent, forte ex eo pendet, quod illa ſeceſſum particularum purulentarum et corruptarum e corpore promoueant. Si infectio a corporibus peregrinis in ſanguinem illatis pendet, eae in lympha ſine dubio continentur, atque earum euacuatio ad ſanationem morbi multum confert. Hinc fonticuli et ſetacea a peſtis ſimiliumque morborum contagio nos tutos praeſtant et abſceſſibus v. c. bubonibus peſtilentialibus ortis venenum ſuſceptum iterum e corpore expellitur. Si veſicatoria vel nullam plane veſicam excitant, vel materia effluens flaueſcens, virideſcens et foetida eſt, hoc ſummum aegri periculum indicat, ita vt vel ex hac ſola re de malignitate morbi iudicium formari

p. 289. poſſit. Non ſumme malignae tantum febres, ſed et leuiores ſaepe contagioſae ſunt atque ſymptomatibus tantum et periculi gradu pro varia

p. 292. aegri conſtitutione differunt. Febres natura ſua malignae contagioſae, nonnunquam ſatis benignae ſunt, vt febris flaua Americana. Nonnunquam febris contagioſa, quae in initio maligna fuit, poſtquam epidemica per aliquod tempus graſſata eſt,

magis

magis benigna ſit, imo contagioſam ſuam naturam amittit, quod exemplo variolarum Cl. Auctor probat. Cauſſam vero huius rei, vt plura alia, quae circa contagium obſeruari poſſunt, phaenomena, non explicari poſſe candide Noſter fatetur.

Tertio capite, quod *additamenta* varia continet, Cl. Auctor variis obſeruationibus confirmat, vnam eandemque febrem contagioſam in diuerſis aegris ſymptomatibus ſuis ita variare, vt febres diuerſas quaſi producat. Anginam malignam, quae in Anglia ſatis frequenter graſſatur, ſpeciem peſtis ſeu ex ea ortam eſſe probat. A TOVRNEFORTIO, qui eam in Archipelagi inſulis vidit, *peſtis infantum* nomine inſignitur. Confirmat Cl. Auctor vſum praecocem emeticorum in hoc morbo. Peſſimum ſignum eſt, ſi in febribus malignis vlcera veſicatoriis excitata cruſta gelatinoſa coriacea teguntur, quae nonnunquam pollicem craſſa eſt et a partibus ſubiectis tantum parua liquoris ex iis exſudantis copia ſeparatur. Si caro ſubiecta maculas albas vel rubras oſtendit, bonum eſt; ſi vero maculae pallidae vel obſcuri coloris ſunt, aeger certo perit.

p. 299. p. 303.

Quarto capite *de febre carcerum* (Iail-feuer) differit, quae in Anglia ſaepius, vti ex aliis ſcriptoribus notum eſt, magnas ſtrages edit. Haec febris vt plurimum, ad neruoſas malignas pertinet, atque licet fere nulla ſymptomata adſint, ex quibus malignitatis ſuſpicio oriri poſſit, tamen ſaepe lethalis eſt. Contagioſa eſt, licet non omnes, qui eius vi expoſiti ſunt, et v. c. vno carcere continentur, afficiat. Miaſma vt plurimum veſtimentis et ſtragulis, non aëri inhaeret. Inter remedia, quibus contagii vis deſtruitur, ignis reliquis omnibus praeferendus eſt. Quae Cl. Auctor de febribus contagioſis, quae tempore vltimi belli in claſſe Gallica

p. 306.

graſſa-

graſſatae ſunt, de methodo contagii febris carcerum progreſſium in carceribus et iudiciis publicis
p. 349, impediendi cet. habet omittimus. Methodum quoque Cl. Auctor deſcribit, qua aegros febribus contagioſis laborantes ex claſſe Ruſſica, quae ad mare mediterraneum iter faciebat, in ſuo noſocomio tractauit.

## XIII.

Pharmacopoea Suecica. Cum gratia atque priuilegio Sacrae Regiae Maieſtatis. Holmiae MDCCLXXV. typis Henr. Fougt Eq. Ord. Waſae Typograph. Reg. 8. pagg. 237. praeter dedicationem, praefationem et tabulam.

Placet profecto haec pharmacopoea, quae et denuo latine impreſſa *) ac in Germanicam linguam cum annotationibus eſt translata **), breuitate, bono ſelectu ſimplicium remediorum et ſimplicitate compoſitorum medicamentorum. Nam ita ea a Collegio Medico eſt ſuſcepta, vt primum medicamenta ſimplicia iuxta alphabeticum ordinem et cum nominibus pharmaceuticis enumerentur, additis nominibus Linnaeanis, dein praeparata et compoſita cum indice eorum exponuntur, adiecta tabula, exhibente quantitatem opii, mercurialium, emeticorum et purgantium in medicamentis compoſitis. Inter canones, qui ſunt propoſiti, quoſdam modo indicemus: herbae,

*) Pharmacopoea Suecica. Holmiae et Rigae apud Fr. Hartknochium. 1776. 8.

**) *Leipzig.* 1776. 8.

bae, plantarum ſummitates et flores ſiccentur celeriter ad lenem ignem; plerique ſucci gummoſi et gummi reſinae triturentur gelu vrgente et ſeparentur ab heterogeneis: pro pulueribus compoſitis fiant ſingulorum ingredientium pulveres et deinde miſceantur exactiſſime in mortario: cet. Comparauimus quaedam compoſita remedia, eaque vtiliter et apte mutata eſſe deprehendimus e. gr. Lohoc ſanum et expertum, p. 131. quod hic linctus leniens appellatur; morſuli Imperatoris, qui hic morſuli aromatici melius p. 133. nominantur: pilulae polychreſtae, ſpecies cephalicae vulgo ſpecies pro cucupha dictae, diaſcordum FRACASTORII, extractum panchymagogum CROLLII cet. p. 145. p. 169.

Exempli loco quaedam compoſita medicamenta hic habeto: *Balſamum neruinum* vulgo balſamum vitae. Recipe olei ſtillatitii caryophyllorum, cinnamomi, lauendulae, macis, ſingulorum ſcrupulum vnum, tincturae ſuccini vncias quatuor. Miſce. *Diaſcordium* vulgo confectio Iaponica ſiue electuarium e ſcordio FRACASTORII. Recipe ſucci Iaponici depurati vncias tres, foliorum ſcordii, fabae pechurim, radicis tormentillae, ſingulorum vncias duas, pulueratis admiſce opii in vini Hiſpanici q. ſ. ſoluti drachmam vnam cum dimidia, ſyrupi roſarum vncias viginti octo. Fiat Electuarium. Si aliquamdiu ſeruatum areſcat, vini Hiſpanici paulum adiiciendo, ad debitam craſſitudinem redigatur. *Emulſio ſalina.* Recipe Tartari Tartariſati drachmas duas, mellis vnciam vnam cum dimidia, aquae fluuiatilis libram vnam. Solutionem in mortario marmoreo triturando miſce cum amygdalarum dulcium p. 73. p. 88.

p. 111. contuſarum vncia vna. Cola. *Extractum cathar-*
*ticum* vulgo extractum catholicum ſiue panchy-
magogum CROLLII. Recipe colocynthidis a ſe-
minibus purgatae vncias duas, aquae fluuiatilis
libras duas, coque leni igne ad dimidium et co-
latura balnei calore evaporetur ad mellis craſſitu-
dinem. Tum ei admiſce ſequentia in pulue-
rem tenuem trita: ſcilicet aloes ſuccotrinae vncias
duas, ſcammonei vnciam vnam, tartari vitriolati
drachmas duas. Maſſae ab igne remotae adde
extracti nucum iuglandis drachmas tres, olei ſtilla-
titii caryophyllorum drachmam vnam. Miſceantur.
p. 146. *Pilulae ſaponaceae* ſiue pilulae anthartriticae.
Recipe ſaponis albi Hiſpanici vncias duas, extra-
cti betulae vnciam vnam, rhabarbari puluerati
p. 148. drachmas duas. Miſceantur. *Puluis alexiterius*
vulgo puluis ſudoriferus DOWERI. Recipe caſ-
cis antimonii diaphoretici vulgo antimonii dia-
phoretici vnciam vnam, radicis ipecacuanhae
pulueriſatae grana ſedecim, opii grana octo. Fiat
p. 153. puluis bene miſcendus. *Puluis nutricum.* Reci-
pe magneſiae albae vnciam vnam, flauedinis cor-
ticum aurantiorum, ſeminum foeniculi ſingulo-
rum drachmam vnam, ſacchari albiſſimi dra-
chmas duas. Mixta in puluerem redigantur.
Index praeparatorum et compoſitorum medica-
mentorum finit hanc pharmacopoeam.

## XIV.

Apparatus medicaminum tam ſimplicium, quam praeparatorum et compoſitorum in praxeos adiumentum conſideratus. Volumen Primum. Auctore IOANNE ANDREA MVRRAY D. medicinae et botanices in Academia Regia Gottingenſi profeſſore publico ordinario, horti regii botanici praefecto, Regiae Academiae ſcientiarum Gottingenſis et Holmienſis vti et ſocietatum oeconomicarum Bernenſis et Cellenſis membro. Gotting. apud Ioannem Chriſtianum Dieterich 1776. 8. mai. pagg. 627. praeter dedicationem et praefationem.

Ergo in praxeos adiumentum hic apparatus medicaminum a Cl. Auctore eſt diligenter collectus et docte conſcriptus, atque talis a nobis deprehenditur, qualem exſpectauimus *). Id quod iam ex praefatione a Noſtro praemiſſa intelligitur, in qua primum, quid ad conſcribendam materiam medicam vtilem pertineat, perſequitur, dein ſuae huius ipſius rationem exhibet, cuius ſumma profecto perquam vtiliter eo redit, vt hic colligat Cl. MVRRAY tam ſimplicia, quam praeparata et compoſita medicamina in verum atque rectum practicum vſum. Ac primum quidem in materia medica recte conſcribenda, vti in praefatione docet, ad hiſtoricam medicamentorum ſimplicium cognitionem, quae baſis eſt reliquorum omnium, quae de medicamento ſcitu ſunt neceſſaria, reſpicit Cl. Auctor, atque in ea requirit, vt praemiſſo nomine pharmaceutico et ſyſtematico talis ſpeciei

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 512.

ſpeciei deſcriptio ſuppeditetur, qua ab affinibus dignoſci poſſit; ſubiectis ſynonymis probatioribus; icone ſelecta; cum patria et ſaepe quoque ſoli genio, quod inſignem vim in mutandis ſtirpium viribus habet, exemplo Valerianae officinalis manifeſto; et ſi qua cum alia ſpecie ſimilitudine arctius iungitur, et huius, etſi apud medicos non vſitatae, notae, diſcriminisque vtriuſque cauſſae enumerentur. Porro character illius partis, quae in uſum vertitur, ſuggeratur, dein ſigna bonitatis cet. Quapropter Ill. LINNAEI tam nomina, quam deſcriptiones praemiſit, ſynonyma adiunxit hinc inde proprio ſtudio collecta, additis fontibus; icones in libris diſperſas, naturaeque conuenientiſſimas et pariter locos natales laudauit; nomina inter pharmaceutica memorat Anglorum et Gallorum: ex itinerariis multa inprimis exotica medicamina deriuauit; praeparata atque compoſita non ſolum Germanorum, ſed etiam Anglorum, Danorum cet. pertractauit, additis praeterea variis compoſitis hinc inde in libris ſparſis.

Hiſtorica parte medicamentorum a Noſtro diligenter conſiderata, ad virtutes eorum expendendas definiendasque Cl. Auctor progreditur. Atque hic Cl. MVRRAY non ſolum medicum vſum curauit, ſed et oeconomicum adiecit. Aliis atque aliis modis, quorſum et chemicam analyſin refert, quibus hoc ab Auctoribus variis ſit peractum, enarratis, optimum virtutum medicaminum magiſtrum experimenta iudicat, nec haec vnice in hominibus vel brutis inſtituta, ſed etiam extra corpus vivum capta, etiamſi et hic Noſter monſtrat antiſtare omnibus reliquis inueſtigandi vires medicaminum modis experientiam in ipſo humano corpore ſuſceptam. Atque hic ſibi poſuit legem, vt iis potiſſimum effatis inhaereret, quarum veritas fida

caſuum

caſuum narratione et ſimplicitate methodi enituit. Quae accuratio quum in recentiora praecipue cadat, ad haec praeſertim ſermonem reſtrinxit. Subinde in hiſtoriam inuentionis deſcendit, fatetur tamen Cl. Auctor ſe potuiſſe plura de hac dicere, ſi practici medici intereſſe haec ſcire putarit. Rarius modum, quo vim exſerant medicamenta, explicare tentauit. Praeſtat enim ſcire, quid remedium efficiat, quam quomodo effectum edat. In huius diſquiſitionis locum fidam omnium momentorum, quae ad curationem ſpectant, commemorationem ſubſtituendam duxit, et ſeriem naturalem in vegetabilibus elegit, vt omnia, quae de medicamento noſcenda ſunt, vno loco traderentur. Vegetabilibus conſideratis, cui quaedam incertae originis detecta ſubiunxit e. g. radicem Lopez, Columbo, Caſſuminis cet. ad animalia et mineralia progredietur Noſter. Peculiare caput remediis arcanis deſtinavit, vti ſunt, puluis febrifugus CLOSSII, puluis IAMESII cet. dein aquas conſiderabit, ſiue pura illa ſit, vel forma fluida, vel in niuem glaciemque condenſata, vel in vapores diſſoluta, ſiue medicata. Poſtea curationes ſequentur per aërem, per electricitatem cet. Sufficiant haec praefationis momenta praecipua ad demonſtrandam huius operis profecto magnam vtilitatem, quod tribus vel quatuor voluminibus abſoluetur. Primum volumen, quod hic breuiter indicemus, (ſunt enim neceſſario Lectores ad ipſum librum legendum amandandi) ſtirpes ſiſtit:

| | |
|---|---|
| Coniferas | Sarmentaceas |
| Amentaceas | Stellatas |
| Compoſitas | Cymoſas |
| Aggregatas | Cucurbitaceas |
| Conglomeratas | Solanaceas |
| Vmbellatas | Campanaceas |
| Hederaceas | Contortas |

p. 6. Pix ſaltim in Suecia, Heluetia aliisque regioni-
p. 17. bus ex pino ſylueſtri prouenit. Terebinthina Ve-
neta melius *laricina* dicitur. Terebinthina commu-
p. 18. nis adſcribitur pino piceae. Sandaracha, quae in
p. 38. Suecia proſtat, eſt reſina iuniperi ex formicarum
aceruis collecta; Maſtichi ſuppar vi diſcutiendi ro-
borandi, inde ad ſuffimigia commendatur. Artifices
p. 71. ad vernicem albam adhibent. Oleum betulinum
p. 72. conuenit cum oleo fuliginis. Folia alni, (betulae alni
LINN.) praeſtantiſſima ad lac puerperarum lacta-
tionem reſpuentium diſſipandum, dum, poſtquam
conciſa ſuper igne in diſco incaluerunt et inſuda-
runt, calide applicantur: primis diebus connubium
cerefolii congruit. Hoc ſimplex remedium omni-
bus emplaſtris cet. praeferendum eſt. Vlcera corro-
p. 78. ſiua iiſdem quoque ſanari feruntur. Cardui tomen-
toſi herba recens, (onopordon. LINN.) nondum pro
dignitate ſua in praxi medica colitur, licet varii vir-
tutem ſucci expreſſi in cancro, dum linteo carpto
vel et ipſa herba contuſa applicatur, confirmarint.
p. 117. Abrotanum mas externe fomenti inſtar diſcutit et
p. 134. gangraenam figit. Abrotani feminae ſ. Santolinae
vſus eſt rariſſimus, etiamſi vires odoris fragrantia
et amarities prodant. Vermes necare, obſtructio-
nes reſerare, hyſtericis ſubuenire et detergere re-
ferunt; alias virtutes experientia vlterius indigen-
p. 195. tes ſilentio praeteriit Cl. MVRRAY. Iungit Noſter
p. 213. cuſcutae Europeae cuſcutam epithymum. Permulta
ad cicutae ſ. conii LINN. hiſtoriam varietatemque
p. 236. ſpectantia accurate hic collecta ſunt. Oreoſelinum
p. 271. Noſter commendat. Cicuta aquatica ſeu viroſa hodie
vix in medicina vſu venit, niſi radix externe applicata
p. 282. et vti quidam volunt, herba in emplaſtrum recepta.
Chaerophyllum externe ad lac repellendum lauda-
p. 303. tur. Aqua Petroſelini ex ſeminibus deſtillata praeſtat
p. 310. aquae ex foliis eiuſdem. De vuis recentibus, paſſis

aggreſtis

agreſtis accurate hic Cl. Auctor agit et muſtum, vinorum genera, ſpiritum vini, acetumque diligenter perſequitur. De tartaro autem ſeu eſſentiali vini ſale infra inter mineralia dicet. Galii lutei radix oſſa rubro colore tingit: herba vero lanam luteam reddit. Colocynth. pulp. ℥jß. aniſ. ſtellat. ʒj. ſpirit. p. 368.
vin. Gall. ℥xx. M. F. Tinctura, quae a Cl. DAHLBERG inuenta eſt et prodeſt in chronicis capitis p. 410. doloribus, initio facto a guttis quindecim vel octodecim ter vel quater de die, augendo doſin gutta vna quotidie, donec aluus emolliatur. Puluis CORNACHINI ſ. Comitis DE WARWICK ſ. puluis de tribus ſ. puluis trium diabolorum, conſtat ex ſcammoneo ſulphurato, antimonio diaphoretico, cremore tartari in puluerem tritis. Silent libri materiae p. 513. medicae plerique de dentaria ſ. dentillaria, plumbagine Europaea LINN. Acrimonia inſignis illi tribuitur. Radix eius odontalgiae medetur, herba contra cancrum vim aliquam praeſtitit externam. Multum hic docetur de virtute varia radicis p. 521. ipecacuanhae, eaque ſpecifica antidyſenterica, antiſpaſmodica, opium mitigante, haemorrhagias ſiſtente cet. Finit hoc volumen accuratiſſima p. 546. et ampliſſima relatio de varia corticis Peruuiani virtute et deſignatione ſpecierum in primo volumine contentarum.

p. 368. et 372. p. 410. p. 500.

Inuenient hic itaque medici vno loco, quae de medicamento noſcenda ſunt, et ſi quaedam deſint, eorum ſupplementum in poſterum pollicetur Cl. Auctor, nec facile poterunt carere hoc vtili libro et qui primum hoc volumen legerint, nobiſcum maxima profecto voluptate exſpectabunt, ſequentia.

## XV.

**Epiſtola gratulatoria de amygdalis et oleo amararum aethereo. Auctore PETRO IOANNE ANDREA DARIES. Lipſiae ad II. M. Auguſti A. C. MDCCLXXVI. 4. pagg. 14.**

Cum negetur ab omnibus propemodum, praeci-
pue a NEVMANNO, oleum amygdalarum
amararum aethereum, Cl. DARIES, data ſcriben-
di occaſione, accurate et appoſite hanc in rem ita
inquiſiuit. Expoſita primum breui hiſtoria amyg-
dalarum, in qua diuerſa pericarpii putamina deſcri-
bit et bene diſtinguit, differentiam amararum
et dulcium amygdalarum a cultura varia oriri no-
tat, coloremque vti ex iuglandis putamine exter-
no, ſic et ex amygdalarum putamine extrahi mo-
p. 6. net; ad praeparationem olei expreſſi progreditur,
in eaque amygdalas ab inſectis arroſas reiicere ſua-
det, cum oleum quam maxime corrumpant. Par-
tes conſtitutiuas amygdalarum etiam non omittit,
atque praecipuam partem conſtitutiuam amara-
p. 7. rum oleum aethereum eſſe affirmat. Oleum
aethereum, qua ratione obtinuerit, deſcribit, ſimul-
que dicit oleum hocce ſemper verſus fundum vitri
p. 9. deſcendere ibique colligi. Ex repetitis experimen-
tis videbatur apparere, hoc oleum tantum in pelli-
culis partibus reſinoſis imbutis haerere. Amyg-
p. 10. dalae proſunt in ſoluendis reſinis et camphora et
in oleo amararum expreſſo videntur particulae
olei aetherei ineſſe nonnullae. Eſt vis venenata
in amygdalis amaris et inprimis in earum oleo
p. 11. aethereo. Furfures vero a deſtillatione remanentes
nihil venenati habebant, ſine vllo enim detrimen-
to eos animalibus Noſter exhibuit.

Experimenta autem, quae cum oleo aethereo in fringilla et rana inſtituit, alios effectus protulerunt. Propinauit fringillae guttulam huius olei et pauco tempore praeterlapſo conuulſionibus exortis haec beſtiola moriebatur. Ex his colligit in oleo aethereo eſſe aethereo-reſinoſo-oleoſas easque acerrimas particulas. Sectionem cadaueris fringillae ſuſcepit atque oeſophagum pylorumque inflammatum, in corde ſanguinem coagulatum, in cranio extrauaſatum, in roſtro liquorem luteum ſpumoſum inuenit. Ob defectum magnae copiae huius olei non multam experientiam in arte facienda ſibi acquirere potuit Cl. Auctor. Arbitratur vero in variis neruorum morbis, paralyſi linguae, lipothymia, malo hyſterico, non inutiles effectus proferre poſſe. Proſtat hoc oleum aethereum amararum amygdalarum Hamburgi in OHRTMANNI pharmacopaei peritiſſimi officina.

p. 12.

p. 13.

XVI.

Academiſk Afhandling om Nyttan af Medicinal-Växters ſamlande, ock planterning innom Riket, vnder Herr ERIC GUSTAF LIDBECKS inſeende, vtgifven ock förſvarad af *Eric Theodor Biörnlund.* d. 22 April. 1775. Lund. Trykt hos Hof-Camer. och Direct C. G. Berling. 26. pagg. in 4.

i. e.

Academica tractatio de vtilitate collectionis medicinalium plantarum, earundemque plantationum intra patriam, praeſide ERICO GUSTAVO LIDBECK, edita et defenſa ab *Erico Theodoro Biörnlund.*

Probabile eſſe, ait Cl. Auctor, ita a natura cui-
cunque regioni eſſe proſpectum, vt vegetabi-
lia neceſſaria in eadem naſcantur, atque minus
omnibus peregrinis opus eſſe, ſi modo indigena re-
cte cognoſcantur et colantur. Ingentem nume-
rum pecuniae ex Suecia auferri exoticis vegetabilibus
oſtendit, cum tamen omnes allatae plantae ſponte
illic naſcantur, vel facile illic coli poſſint. Expe-
p. 11. rimentis enim conſtat, *Gentianam luteam*, *Saluiam*,
*Meliſſam*, *Lauandulam*, *Chamomillam romanam*, *Enu-
lam*, *Aniſum*, *Foeniculum*, *Carduum benedictum*,
*Arum*, *Saponariam*, *Dictamnum album*, *Aſarum*,
*Rutam*, *Sabinam*, aliasque plures peregrinas plan-
tas, clima frigidius perferre. Poſſent quidem lo-
co harum plantarum aliae indigenae plantae repe-
riri, quae vim medicam, ſed minorem haberent,
quae plerumque etiam guſtu et odore debiliores
p. 13. ſunt; vel ſunt ſuſpectae, vt *Actea*, *Pulſatilla*, *Ri-
cinus* etc. Ideoque etiam maximum eſt meritum
Collegii Medici *), quod in pharmacopoeae Sueci-
p. 15. cae noua editione omnia inutilia remedia omiſit. Per-
ennes autem et biennes herbae multae per hyemem
durant et ſponte quaſi, in horto parum cultae propa-
gantur, vt *Gratiola*, *Iris florentina*, *Crocus officinalis*,
*Rubia tinctorum*, *Cyclamen Europaeum*, *Glycirrhiza*,
*Gnaphalium ſtoechas*, *Veratrum nigrum*, *Parietaria*
et aliae ſupra iam dictae, quarum naturam et vim
breuiter recenſet Auctor.

p. 19. Suadet nunc Auctor ſimiles hortos medicina-
les inſtitui, atque optat, vt pharmacopoei et chi-
rurgi culturam et naturam plantarum bene cal-
leant, quin etiam Theologis vtile id futurum eſſe
putat, cum hoc modo, ſi ab vrbibus ſint remoti,
plebi herbis vtilibus prodeſſe poſſint. Pluribus
deinde Cl. Auctor hoc conſilium ad loca nonnulla
Suecica

*) v. ſupra p. 350.

Suecica applicat, atque exemplis illuſtrat: optandumque omnino eſt, vt etiam in aliis regionibus conſilium hoc exſequatur, atque tum indigenae plantae diligentius colligantur et earum vires ſcrutentur, tum plantationes medicinalium herbarum inſtituantur.

## XVII.

*Verſuch einer Naturgeſchichte des Hamſters von* F. G. SVLZER, *D. A. W. D. Mit 2 illuminirten und 3 unilluminirten Kupf. Göttingen und Gotha. Verlegts Johann Chriſt. Dieterich.* 1774. 124 *Seit. in* 8.

i. e.

Tentamen hiſtoriae naturalis Muris Criceti, Auctore F. G. SVLZER, M. D.

Satis bonae relationes et propriae obſeruationes hoc in libro continentur, in cuius prooemio Auctores, qui de Mure Criceto ſcripſerunt, recenſentur, deinde vero primum exteriores partes deſcribuntur: ſequuntur tum obſeruationes ſuper interaneis, poſtea loca, in quibus habitat, ipſum eius habitaculum, viuendi ratio et ſomnus hyemalis indicantur, ac denique ea, quae oeconomiam attinent, recenſentur. Nobis ex his pauciſſima tantum indicare liceat.

Labium inferius Muris Criceti adeo breue eſt, p. 22. vt os claudere ſemper nequeat, niſi voluntaria contractione. Vibriſſae, vtrinque in quinque ſeriebus poſitae, oriuntur ex muſculo tendinoſo, qui cuti ſubiacet, et cum perioſtio maxillae ſuperioris cohaeret, in quo cylindri parui inhaerent tan-

 quam

p. 28. quam vibriſſarum vaginulae. Pedum anteriorum
pollex vix eſt conſpicuus; vno tantum articulo in-
ſtructus, ex cute vix quidquam, praeter vnguem
p. 32. planum, rotundatumque prominet: poſteriores pe-
des ſunt pentadactyli. Notabilia ſunt duo loca in
lateribus, paulo ante crura, in quibus loco pilo-
rum *ſetae* poſitae ſunt, quae ſi reliqui pili paullo
diſtrahantur, in conſpectum prodeunt. Sexus
p. 41. vterque non aliis ſignis, niſi partium genitalium
p. 43. differentia diſtingui poteſt. *Palatum* octo eminen-
tibus tranſuerſis ſtriis ornatur. Praeterea animal-
culum vexatur *Acaro*, qui ſequentibus ſignis a re-
liquis differt: *A. Criceti*, oualis, albus, pellucidus,
pedibus aequalibus, aeque diſſitis, obtuſis. Varie-
tates ſpeciei raro inueniuntur, ſi vlla, nigro corpo-
re ea eſt, quam etiam hic depictam tradit.

p. 55. Ex interioribus partibus notandi ſunt nonnulli
muſculi, qui cuti ſubiacent: prior muſculus *cutaneus*
p. 58. *brachii*, alter *leuator caudae* dicitur. *Saccos bucca-*
*les* hoc animalculum cum nonnulllis *Simiis* com-
munes habet: qui quidem ſunt membranacei, oua-
les, atque omne buccarum ſpatium implent, intra
cutem et muſculos maxillares vſque ad humeros
extenduntur, atque ad colligendum et celandum
p. 64. nutrimentum inſeruiunt. *Penis* vno tantum cor-
pore cauernoſo inſtructus, figuram S. romani imi-
tatur: in glande eſt oſſiculum, ſeſquilineam lon-
gum. Teſticulos *Cricetus*, cum foramen annulare
amplum ſit, facile retrahere et protrudere valet.
p. 72. Femininae partes genitales iis ex *Mure Ratto* ſunt
ſimiles. *Renes*, ſex lineas longi, 4 lati, vix emar-
ginati ſunt; intus paucis papillis inſtructi: glandu-
lae ſuprarenales ſunt lentiformes. *Hepar* quinque-
lobum eſt, et ex lobo ſingulo ductus hepaticus in
choledochum continuatus oritur. *Lien* trigono

priſmati

priſmati ſimilis ventriculo ſubiacet. *Pancreas* fere duplex eſt, ſic quoque *Ventriculus:* prior p. 81. humano ſimilis intus rugoſus, cardia valuula orbiculari praedita, quae impediat aſcenſum ciborum, indeque patet *Cricetum* non ruminare: alter ventriculus ſubrotundus eſt, intus et extus priori magis glaber: inter priorem et hunc eſt quaedam valuula, quae vero tranſitum non impedit. Spina p. 97. dorſi viginti ſex vertebris conſtat, quarum ſeptem colli, tredecim dorſi et ſex lumborum ſunt: reliquam oſſium ſtructuram vlterius hic perſequi breuitate impedimur.

Regiones fertiles et pingues tantum inhabitat p. 105. *Cricetus;* quales in Thuringia et Saxonia, atque aliis Germaniae locis reperiuntur. Ipſum habitacu- p. 110. lum ſingulari diligentia et cura hoc animalculum conficit: quodlibet nempe duo foramina habet, quorum alterum oblique deorſum, alterum verticaliter ſurſum tendit: illud variis gyris contortum, hoc fere recta ad cameras ſubterraneas tendit, quae ouales ſunt, et quarum alia habitationi, alia nido, aliae ad reſeruanda collecta ſemina inſeruiunt. Differentiam deinde exponit, quae in habitaculo feminae et iuniorum reperiuntur.

Caeterum *Criceti* audaces ſunt, et ſe contra p. 124. canes alioſque ſui hoſtes defendunt, ſecum inuicem pugnant, aliaque minora animalcula, Mures, Rattos occidunt et deuorant. Praeterea plantis verno tempore, et autumno ſeminibus veſcuntur: etſi etiam in nido eorum folia Veronicae, Papaueris Rhoeados, Chenopodii, Lithoſpermi, aliarumque plantarum inueniuntur. Raro, nec multum bibunt. Sunt inceſſu tardi, ac natura ad fodiendum proni: Non quidem duobus pedibus ingredi, ſed

iis tamen inſedere, et prioribus manuum inſtar vti poſſunt. Irritati clamant.

p. 142. Medio Februarii ex ſomno hiberno expergiſcuntur, et tum cibis, qui ſuperſunt, veſcuntur prius, quam egrediuntur ex cameris: medio Martii foramina aperiunt, feminae vero demum ſub initium Aprilis. Sub finem huius menſis coëunt ſub terra: femina per 4 hebdomadas grauida videtur: pulli nudi, et coeci, ſed omnibus dentibus praediti, naſcuntur. Capta mater pullos recens natos intercidebat. Plerumque 10–18. fetus quaelibet mater parit, non tamen eos contra pericula defendit; pulli celeriter creſcunt, atque primo anno iam iterum ad propagationem apti ſunt.

p. 154. Hoſtes Criceti ſunt Canes, Vulpes, et Muſtela Putorius. Cricetus ſi hieme indormire vult, aditum aëris omnem impedit, et ſummo tantum in frigore congelaſcit. Dormiens in nido ſuo, lateri incumbit, capite ſub ventrem retracto, quod pedes anteriores cingunt et poſteriores ori adiacent. Membra omnia rigida ſunt, frigida, oculi clauſi, reſpiratio non ſentitur, neque cordis pulſatio. Anatomice
p. 169. diſquiſiuit Noſter dormientem Cricetum. Cor minuti primi tempore quindecies contrahebatur, cum alio tempore 150 vicibus pulſat. Nulla doloris ſigna oſtendebat, raro ſe contrahere nitebatur, ex extenſione coſtarum et os aperiendo reſpirare velle videbatur. His vitae ſignis praeditus erat, reliqua omnia viſcera et inteſtina rigida, ne ſenſilitatem quidem monſtrabant. Sanguis in pectore accumulatus, fluidus, oleoſus et dilucidioris, quam aeſtatis, tempore, coloris erat. Cauſſam huius rigoris Cl. Auctor ponit et in aëre, ſub terra incluſo, et in frigore, quod a puncto congelationis proxime adeſt.

Enar-

Enarrat deinde Cl. Auctor phaenomena, quae, cum euigilat Cricetus, obſeruauit.

Quoad hominem hoc animal maiora conficit damna, quam vſum praeſtat. Nocet deuaſtando cerealia. Prodeſt deuorando mures, pelle, et carne. Deſcribitur modus Cricetum ex habitaculis exfodiendi. Icones bonae ſiſtunt brunum Cricetum cum varietate nigra depictum: deinde Acarum, buccales ſaccos, partes genitales et capitis ſceleton repraeſentant. p. 176. p. 185.

## XVIII.

De Metallis petrefactis recitatio, quam in conſeſſu Ducalis Societatis Latinae Ienenſis d. 1 April. An. 1775. habuit, deinceps nonnullis additamentis auxit ADAMVS POTKONICZKY, Pannonius - Neoſolienſis. Ienae, Litteris Strauſſianis, 3 plagg. in 4.

Noua quidem, ſed vix ſatis probata ſunt, quae proponuntur a Cl. Auctore. Si animalia aut vegetabilia in petras mutantur, duplicem ſubeant neceſſe eſt mutationem, et euaporationem, et impraegnationem. Fluidiores nempe illorum partes diſſipantur, ſolidiores remanent, earumque interſtitia nouis terrenis particulis, in aqua, cui haec corpora immiſſa ſunt, haerentibus, replentur, ſicque corpora illa duriora redduntur, ſeu in lapides mutantur. p. 4.

Metalla conſtare videntur Auctori, partibus terrenis, mercurialibus, ſalinis et ſulphureis. Priores ſunt *fixiores*, reliquae *volatiliores*, quae vel per varia ſalia, vel ſingulae per ſe, vel plures ſimul coniunctae et cum ſulphureis mixtae, aut p. 6.

plane,

plane, aut ex parte, corrodi et reſolui poſſunt: ſic aërem, aquas et humum abundare ſequitur. Iam ſi metalla, vel aëri tempeſtatibusque expoſita, vel ſub humo ſint, ſi aquis madeant, aut merſa ſint, corroſio et reſolutio partium volatiliorum, quae *euaporationi* eſt ſimillima, ſequitur; tum particulae fixiores metallorum reſiduae adhaerebunt partibus terrenis, in aqua haerentibus: ſic eorum interſtitia his implebuntur, ipſaque duriora, ſeu petrificata euadent.

p. 9. Metalla, quae pauciores et ſubtiliſſimas habent particulas terreſtres, vel nunquam, vt aurum, argentum, vel rariſſime, vt ſtannum et plumbum, *petrefacta* inuenientur; copioſius contra, quae plures et craſſiores continent, vt cuprum et ferrum, idque poſterius inprimis natura ſua, mutationi in petram idoneum eſt.

p. 12. Iam *metalla* etiam *petrificata inueniri* comprobare annititur. Non procul ab vrbe Ienae inventum in fonte *ferrum petrificatum* dicitur; nam adhaerebat in aditu fontis lapidi laterali, de quo olim valuae ſuſpenſae erant, eiusque parti inferiori aquae immerſae adeo, vt vi eſſet decutiendum; formam cardinis prae ſe ferebat; coloris lutei ſubrubicundi erat, et pluribus locis particulae metallicae ferreae ſupermanſerant. Sic etiam in Vngaria maior moles ligni petrefacti, et in eo tres claui maiores, in lapidem luteo rubrum, duritie a reliquo diuerſum, commutati, inuenti fuerunt. Quin
p. 14. imo in muſeo Ill. WALCHII contineri ait Auctor tria ferri petrificati exempla. 1. Fragmentum gladii cum vaginae parte in lapidem ſolidum mutatum, in cuius mediae adhuc nonnullae ferreae particulae ſunt. 2. Ancorae pars, in vncum deſinens.

3. Cla-

3. Clauis, nodo maiori, cuſpide truncatus: in quorum media parte etiam conſpiciuntur ferreae particulae.

Nobis mutatio fieri poſſe videtur, ſed minus recte petrificatio dicitur: cum, vti recte iam alius Auctori obiecit, in iis non ſit conſpicua futura eorum ſtructura naturalis. Ipſius ochrae ferreae origo ita forte nonnunquam explicanda eſt.

## XIX.

STEPHANI BLANCARDI lexicon medicum tripertitum renouatum, in quo artis medicae termini, in anatome, chirurgia, pharmacia, chymia, re botanica, etc. vſitati, dilucide et breviter exponuntur. Hiſce adiungitur Graecorum vocum etymologia, tum earum belgica, germanica, gallica, anglica etc. interpretatio, cum indicibus locupletiſſimis. Editio nouiſſima, cui, quae nouiter inuenta, aut nunc rectius congnita ſunt, addidit et interiecit D. IACOBVS FRIDERICVS ISENFLAMM Seren. Margg. Brandenb. Onold. et Culmbac. Conſil. Aulicus, in Acad. Frider. Alexandr. Erlang. Medic. et Anat. Prof. Publ. Ord. Acad. Imper. Natur. Curioſ. Collega. Vol. I. A—M. cum gratioſiſſimis priuilegiis S. Caeſ. Maieſt. et Ser. Elect. Sax. Lipſiae Sumtibus Eng. Benj. Schwickerti MDCCLXXVII. 8. pagg. 832. praeter praefationes.

Non

Non poſſumus non, quin indicemus breuiter hanc nouiſſimam eamque ſumme neceſſariam lexici Blancardiani editionem, diligentiſſime curatam a Cl. ISENFLAMM. Quantum ſit huius editionis augmentum, iam ex titulo quodammodo patet. Non ſolum enim Cl. ISENFLAMM multa loca mutauit et ab erroribus liberauit, ſed et multas nouas interiecit res eaſque breuiter, et profecto accurate definiuit. Pertinent autem omnes res, in hoc lexico medico collectae, ad rem medicam. Pauca hinc aut vix vlla de iis plantis, mineris, conchyliis, inſectis aliiſque animalibus inueniuntur, quae ſolum conquirit nouitatis et raritatis ſtudium aſſeruat, et intuetur curioſitas. Aliena ſic Cl. ISENFLAMMO fuere, quae aliena a materia medica. cet.

Gratias itaque habemus Cl. ISENFLAMMO maximas pro inſigni ſtudio et aſſiduitate, quam in lexico hoc renouando atque locupletando adhibuit. Superat enim id profecto tum rerum copia, tum diligentia priora quae hactenus publicata fuerunt, atque medicis maxime commendandum eſt.

XX. Noua

## XX.

## Noua phyſico medica.

Societas et Commercium Litterarium Regium Medicinae, nuper *Pariſiis* fundata, prima iam vice conuenit: et definita laborum ſuorum ratione, quaeſtionem propoſuit.

*Quae ſunt in febribus exanthematicis circumſtantiae, vbi regimen frigidum praeferrendum eſt calido, et vbi contraria methodus adhibenda eſt?*

(*Quelles ſont dans les fievres exanthématiques les circumſtances, ou le regime refraîchiſſant eſt préférable à l' échauffant, & celles ou il faut employer une méthode contraire?*)

Quicunque hancce rem diiudicare propoſuerit, ſyſtematis rationem fugere, at ante 1 Iunii 1777 ſolutis vectigalibus ad Cl. VICQ – D' AZIR Pariſiis commentarium mittere rogatur. Optimae elaborationi praemium trecentarum librarum menſe Auguſto 1777 concedet Societas. Societatis Praeſes eſt Cl. LASSONE.

Celeberrimus medicus Batauus ad quaeſtionem Pariſinam, quam in noſtris commentariis*) repetitam legerat et quae remedium complectebatur, quo infeſtum variolarum virus infringatur, reſpondit et hos aphoriſmos nobiſcum beneuole communicauit.

I. Variolae ſunt morbi non inflammatorii, ſed inflammatio cutanea ipſarum eſt ſymptoma.

Quod probatur ex contagio inflammationi haud proprio, tum et ex abſentia inflammationis in benignis variolis.

II. Va-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 729.

II. Variolae ſunt ſpecies exanthematum eryſipelatoſorum.

Quaecunque enim in genere de eryſipelate a probatis Autoribus praedicantur, variolis competunt.

III. Eryſipelas varioloſa tendit in corruptionem acrem, vnde febris continua putrida exanthematica.

Docent foetor, dolor, puſtulae, linguae ſqualor, caeteraque.

IV. Si inflammatio pergit, variolae fiunt purulenlentae; ſi praecauetur vel abigitur, puſtulae erunt aquoſae, cruſtaceae, ſicceſcentes.

V. Diagnoſis huius inflammationis, eſt pulſus durus, caeteraque ſigna communia.

VI. Sedes inflammationis non in ipſis puſtulis, ſed has circumambiens in cute nonnunquam luculenter apparet.

VII. Inflammatio cutis variolas prae caeteris periculoſas ſiſtit, et a principio ad finem debellanda venit, quod ſequentem in modum perficitur.

α) V. S. pro re nata iteranda, ſimulac variolae praeſagiuntur, eſt inſtituenda.

β) Potus per totum morbi decurſum ſit copioſus cuiusuis generis, aqueus, acidiuſculus, humectans, lacte ſolo interdicto.

γ) Simulac variolae erumpunt, vbicunque vel dolor vel pruritus adeſt, cutis decocto fabarum diligenter foueatur.

δ) A principio ad finem morbi quotidie exhibeatur purgans, plurimum vero intereſt, quale? ſequens vero ſpecifice agere autumo, cuius aſſertionis lapis lydius ſit experientia:

℞ Fol.

℞ Fol. Senn. mund. ʒij — ℥ß.
Succ. Citr. rec. ℕij.
F. Infuſio cum Aq. feruent. ℥j — ℥ij.
Colatur. add.
Syr. Roſar. ſol. cum Senn. ℥j.
F. Hauſtus mane ſumendus.

ε) Verum quod prae ceteris inculco, per octiduum morbi primum, plane nullo, ſi fieri poterit, vtatur cibo vel alimento, quod ieiunium ſi nimis durum videtur, tenuiſſimum hordei decoctum concedam.

ζ) Surgat aeger e lecto fruaturque aëre libero, quantum licet.

η) Ita febrem ſecundariam fere nunquam incidunt, nec aphthae, nec ptyaliſmus ceteraque ſymptomata, immo perraro variolae ſuppurantes, morbusque iam regulariter et placide decurrit, ſtadiumque exſiccationis abſoluit feliciter.

Noſtrum duximus, hos aphoriſmos ita, vti nobiſcum communicati ſunt, hic inſerere, cum tempus Ipſi Facultati Medicae Pariſinae eos offerendi praeterlapſum ſit et haec medendi ratio digna videatur, quae vlterius perpendatur a medicis practicis. Nomen vero Auctoris reticemus, Eo Ipſo ita volente.

Cll. ſodales Academiae Regiae ſcientiarum *Pariſienſis* loco Cl. DE FOVCHI *) Ill. DE CONDORCET munus ab epiſtolis Academiae perpetuum mandarunt.

Cl. IOANNES PHILIPPVS DV ROI medicinae doctor et Praeſidii Militaris Brunſuicenſis medicus ordina-



*) v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 547.

ordinarius die 1 maji. 1776 inter ſodales Academiae Imperialis Naturae Curioſorum eſt receptus.

Cl. IOANNES IACOBVS REICHARD Medicinae Doctor *Francofurti ad Moenum* Practicus Ordinarius et horti botanici Senkenbergiani praefectus die 11 nouembris 1775 Academiae Imperialis Naturae curioſorum et die 24 maji 1776. Societatis Academicae principalis Haſſiacae, quae *Gieſſae* floret, factus eſt ſodalis ordinarius.

Cl. HENRICVS CHRISTIANAS PEIN Prouiſor primarius in pharmacopoea Regia poſt obitum Cl. B. BRANDES *) in locum Profeſſoris Publici chemiae et pharmaciae in collegio medico chirurgico Berolinenſi eſt deſignatus.

*Harderouici* menſe auguſto 1775 in locum Virorum Cll. N. G. OOSTERDYK, P. A. NAHVIS et I. TH. ROSSYN, quorum primus *Lugduni Batauorum* vocatus eſt, alter et tertius *Vltraiectum*, ſuffecti ſunt:

Cl. MATTHIAS VAN GEVNS Medicinae Doctor, hactenus Practicus Groninganus eiuſque Metropolis Phyſicus et Archiater, tanquam Medicinae, Praxeos, Chemiae et artis obſtetriciae Profeſſor Ordinarius, vt et Regionis Gelrozutphanicae Archiater;

Cl. RVDOLPHVS FORSTEN Medicinae Doctor Lugduno Batauus, vt medicinae theoreticae, anatomes et chirurgiae Profeſſor ordinarius,

Cl.

*) v. ſupra p. 168.

Cl. BERNARDVS NIEVHOFF hactenus Philoſophiae Profeſſor in Gymnaſio Dauentrienſi, tanquam Philoſophiae, Matheſeos et Aſtronomiae Profeſſor ordinarius.

Habuerunt die natali Academiae iunio 1776 anni Cl. VAN GEVNS orationem inauguralem in quaeſtionem: *an expediat Reipublicae medicinam facientium opera?* Cl. FORSTEN *de Belgarum meritis in phyſiologiam corporis humani;* Cl. NIEVHOFF *de hodiernorum ſenſu recto in phyſicis.*

*Vpſaliae* dimiſſionem petiit Ill. LINNAEVS ſenior a munere Profeſſoris. At Rex Clementiſſimus Illo in regimine Academico carere noluit, ideoque iuſſit, vt a praelectionibus quidem vacaret, ſtipendio inſtructus emeriti; attamen Conſiſtorii Academici et Facultatis Medicae ſeſſionibus intereſſet pro arbitrio. Eius filius autem ordinarius conſtitutus eſt Profeſſor cum ordinario ſtipendio.

*Ibidem* Cl. SPARRMANN, qui cum FORSTERIIS iter ad Polum Antarcticum fecit, in patriam redux eſt et itineris ſui diarium elaborare ſtudet: Aues illius ſub itinere collectae infelici fato Gothoburgi flamma perierunt. GEORGIVS ROTHMANN, qui anno 1773 in Africam vela dabat, regioneſque ditionis Tripolitanae interea perluſtrauit, etiam hoc anno domum reuerſus eſt.

Experientiſſimus I. G. GALLESKY *Chronopoli* (Tilſit) die 12 iunii 1776 mortuus eſt. Librorum et rerum naturalium apparatum, quem reliquit, bibliothecae eius vrbis donauit.

Experientiſſimus ARONS SOHN die 14 iunii 1776. *Berolini* deſiit vivere.

Die 4 ſeptembris 1776. Celeberrimus ANTON DE HAEN ſeptuageſimo et tertio aetatis anno *Viennae* e viuis ereptus eſt.

Cl. IOANNES ELLIS hiſtoriae naturalis peritiſſimus Regiae Societatis Socius *Londini* octobris menſe 1776 obiit.

## XXI.

## Index phyſico medicorum ſcriptorum quae anno 1774 prodierunt.

Catalogue hebdomadaire cet. v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 165.

Philoſophical Tranſactions Vol. LXIV. v. ib. Vol. XXI. p. 112.

Abregé de l' hiſtoire & des mémoires de l' Academie Royale des ſciences de Paris concernant l' hiſtoire générale et particuliere, la phyſique, la chymie, la medécine & toutes les ſciences naturelles. Par Mr. PAVL de la ſocieté royale de Montpellier & de l' Academie de Marſeille Tom. V. à Paris 4. (*Quaedam mutauit annotationeſque breues addidit Cl. Editor*).

Hiſtoire & mémoires de l' academie royale des Sciences de Paris Année 1771. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 401.

Tables de l' hiſtoire & de mémoires de l' Académie Royale des ſciences. Tom. VIII. à Paris 4.

Mémoires de l' Academie Royale de chirurgie. Tom V. à Paris 4. (*Eiuſdem libri tomi XIII. XIV. et XV. ibidem in forma duodecima prodierunt.*)

Mémoi-

Mémoires de mathematique & de phyſique préſentées. Tom. VI. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 453.

Noui commentarii Petropolitani Tom. XVIII. v. ib. p. 575.

Kongl. Vetenskaps Handlingar Vol. XXXV. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 375.

Eiuſd. libr. verſio Germanica. per Ill. KAESTNERVM. v. ib.

Societatis medicae Haunienſis collectanea Vol. I. v. ib. Vol. XXI. p. 233.

*Berliniſche Sammlungen VI. Band,* (cuius epitome cum quinto volumine huic ipſi commentariorum noſtrorum volumini breuiter inſerta eſt.)

Almanach de ſanté à Paris 12.

*Neue Mannichfaltigen. Zweyter Jahrgang Berlin* 8. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 360.

*Der Arzt der Reiſenden. Langenſalza.* 8.

*Vermiſchte Beyträge zur phyſicaliſchen Erdbeſchreibung. Erſter Band. Brandenburg* 8. *m. K.* vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 360.

*Verhaltungsregeln bey nahen Donnerwettern, nebſt denen Mitteln ſich gegen die ſchädlichen Würkungen des Blitzes in Sicherheit zu ſetzen, zum Unterricht für Unkundige. Gotha* 8. *m. K.*

Catalogue des curioſités naturelles, qui compoſent le Cabinet de M. De * * *. ib. 8.

*Der Naturforſcher 1ſtes bis 6tes Stück. Halle* 8. (quem librum proxime indicabimus).

Four introductory lectures in natural philoſophy Lond. 8.

*Handbuch der Naturgeſchichte Dritter, Vierter und letzter Band. Aus dem Franzöſiſchen. Nürn-*

*berg* 8. *m. K.* vid. comm. noſtr. Vol. XXI. pag. 372.

*Beyträge zur Beförderung der Naturkunde Erſter Band. Halle* 8. (Varia continet omni attentione digna).

The ſcripture - theory of the earth throughout all its revolutions and all the periods of its exiſtence, from the creation to the final renovation of all things. Lond. 8

Table pour ſervir à l'hiſtoire anatomique & naturelle des corps vivans à Paris. fol. v. comm. noſtr. ſupra pag. 263.

Hortus Malabaricus v. HILL.

Icones lignorum exoticorum cet. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 205.

Onomatologia botanica completa. Tom. VI. Franc. et Lipſ. 8. maj.

*Sätze aus der Naturgeſchichte der Pflantzen und dem Ackerbaue, nach welchen die Herren* CHRISTIAN *Graf* AICHHOLT FRANZ VON KIENMAGE, GEORGE *Graf* FESTETITS *von Tolna;* IOHANN *Graf* HADICK, IOSEPH *Freyherr* LUSINSZKY VON RIGLICZE, IOSEPH *Freyherr* VON PÜCHLER *an der K. K. Thereſianiſchen Akademie geprüfet worden. Wien* 8.

*Hiſtoriſche Mineralogie oder Beſchreibung der Mineralien und Anzeigung der Oerter, wo ſie gefunden werden. Breſslau und Leipzig* 8. (Auctor eſt IO. GOTTL. VOLKELT, liber compilatus, nec ſemper bene.)

*Beyträge zur Naturgeſchichte, beſonders des Mineralreichs aus ungedruckten Briefen gelehrter Naturforſcher und aufmerkſamer Freunde der Natur. 1ſter Theil Altenburg* 8.

Multa

Multa vtilia hoc in libro traduntur, vt de quibuſdam lapidibus et petrefactis Wimarienſis regionis, de foſſilibus variarum regionum, de concha triloba rugoſa ſ. *Entomolitho paradoxo* LINN. ex cuius diuerſis indiuiduis componitur inſectum ignotum, cancro quodammodo ſimile; de *Belemnite*, vbi negatur FERMINVM eius protypum detexiſſe, aliae vtiles obſeruationes de petrefafactis, et quibuſdam muſcis, etc.

*Abhandlungen der freyen oekonomiſchen Geſellſchaft etc. Aus dem Ruſſiſchen ins Deutſche überſetzt. Petersburg und Riga* 8.

*Altmarkiſch oekonomiſch phyſikaliſch Magazin. Berlin* 8.

*Berliner Beyträge zur Landwirthſchaftswiſſenſchaft. Erſter Band. Berlin* 8.

*Schriften der Leipziger oekonomiſchen Societät. Dreſsden* 8. mai.

*Geſammlete Nachrichten von den Verfahren der Holländer, wenn ſie waſſerdichtes Mauerwerk machen. In zwey Sendſchreiben nebſt beygefügten zween Kupfertafeln einem guten Freunde mitgetheilt von —. Dreſsden und Leipzig* 8. *m. K.*

*Abhandlung von Hacken als einem vorzüglichen Ackerwerkzeige anſtatt des Pfluges. Berlin* 8. *m. K.* (Multis argumentis et experimentis demonſtrat Auctor in plurimis regionibus hamum eſſe aratro praeferendum. Vtilis oeconomis liber).

*Briefe über die Stallfutterung. Von einem Mitgliede der oekonomiſchen Geſellſchaft in Bern. Bern.* 8.

*Sicheres Mittel um künftigen Hornviehſeuchen zuverläſsig vorzubeugen von einem ächten Patrioten. Glogau* 4.

*Abhandlungen und Erfahrungen der fränkiſch phyſikaliſch oeconomiſchen Bienengeſellſchaft auf das Jahr* 1772 *und* 1773. *Nürnberg* 8.

*Nachtrag zu den Anmerkungen zur Verbeſſerung der Bienenzucht in Sachſen. Dem Publiko zum Beſten herausgegeben von einem Bienenfreunde in Plauiſchen Grunde bey Dreſsden. Dreſsden* 8.

*Kurtze Abhandlung derjenigen inländiſchen Pflanzen durch deren unvorſichtigen Gebrauch bey Menſchen und Vieh großer Schade ja der Tod ſelbſt veranlaſſet werden kann. Durch ein Mitglied der ökonomiſchen Geſellſchaft in Bern. Bern* 8. *maj.* (Complectitur hic liber ea, quae Ill. HALLERVS iam de hac re propoſuit).

*Kurtze Abhandlung von den oekonomiſchen mediciniſchen und mechaniſchen Nutzen und Gebrauch der innländiſchen oder bey uns freywachſenden Bäume und Stauden* ib. 8. (Auctor tam huius libri, quam antecedentis dicitur I. H. KOCH. Plantae inſignitae ſunt Linnaeanis, Hallerianis et Heluetis nominibus).

Hiſtory of Iamaica: or general Survey of the ancient and modern ſtate of that Island, with reflections on its ſituation, ſettlements, inhabitants, climate, products, commerce, laws and Governement. Lond. 8. (*De ſaccharetis et de cacto, ficus Indica dicto, quaedam oeconomica. Commendantur etiam recte arboreta et cultura arborum exoticarum vtilium v c. earum, quae aromata largiuntur, in hac inſula*).

A tour to Scotland and voyage to the Hebrides anno 1772. Cheſter 8. (Auctor eſt THOMAS PENNANT).

The additions to the quarto edition of the tour in Scotland 1769 and the new appendix reprinted

for the accommodation of the purchaſers of the firſt and ſecond editions. Lond. 8. (Auctore THOMA PENNANT).

*Anmerkungen auf einer Reiſe nach der Levande.* V. DOHM.

*Reiſe eines franzöſiſchen Officiers nach den Inſeln Frankreich und Bourbon dem Vorgebürge der guten Hofnung u. ſ. w. Nebſt neuen Bemerkungen über die Naturhiſtorie und die Menſchen. Aus den Franzöſiſchen überſetzt und mit einigen Anmerkungen verſehn. Altenburg* 8. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 365.

Succincta medicorum Hungariae et Tranſiluaniae biographia v. ib. Vol. XX. p. 638.

Nouvelle chymie du goût & de l'odorat, ou l'art de compoſer facilement & à peu de frais les liqueurs à boire & les eaux de ſenteur. à Paris 8. c. f. (*Noua editio aucta emendataque*).

Pharmacopoea collegii regii medicorum Edinburgenſium. Edinburg. 8. (*Noua medicamina huic editioni, quae iam* 1776 *additamentis* Cl. BALDINGERI *aucta in Germania, denuo vulgata eſt, ſunt adiecta et antiqua quaedam omiſſa*).

*Auserleſene kleine Werke dreyer berühmter Engliſcher Chymiſten Herrn* PRIESTLEY, HENRY et BLACK *die Schwängerung des gemeinen Waſſers mit fixer Luft, die Magneſia und Kalckerde, die Fäulungswidrige Kraft gewiſſer Arzeneyen uud andre erhebliche Gegenſtände betreffend. Kopenhagen und Leipzig* 8. *m. K.* (Plurima, quae aërem fixum ſpectant, legi poſſunt in comm. noſtr. Vol. XXI. p. 83. 89 ſeqq. p. 124 et 126).

*Chymiſche Abhandlungen von Salpeter.* vid. ib. pag. 261.

Remark's

Remarks on Mr. THOMAS HENRY's improved method of preparing magneſia alba cet. By a phyſician Lond. 8. (*Verboſus liber communia de magneſia profert atque Auctor problema chemicum nondum reſolutum ſe ſoluere gloriatur:* decomponere nempe ſal Epſomienſe et colligere terream eius baſin puram, hac ſcilicet ratione. Coctae ſolutioni tenui ſalis cathartici Anglici addit lixiuium alcalinum, praecipitatum denuo coquit et poſtea fundit in aquam bullientem multotiesque aqua eluit).

A refutation of Mr. HENRY's ſtrictures on GLASS's magneſia, ſupported by a ſeries of experiments made under the inſpection of many Gentleman of the faculty in the univerſity of Oxford. To which is annexed a recommendatory letter from the late celebrated Dr. HUXHAM. By the preſent proprietor of GLASS's magneſia. Lond. 8.

An eſſay in favour of ſuch public remedies as are uſually diſtinguished by the name of Quack — medicines: wherein the obiections thereto made againſt them, are fully answered, and their virtues ſet forth in a proper light, by a country Gentleman &c. ib. (*Sine anno et forma.*)

Mémoire ſur l' influence de moeurs des francois ſur leur ſanté à Paris 12.

An eaſy way to prolong life by a little attention to our manners of living. P. I et II. London 8.

*Die Kunſt das menſchliche Geſchlecht fruchtbar zu machen. Langenſalza.* 8.

*Vermiſchte Aufſätze über die körperliche Erziehung der Kinder. Budingen.* 8.

Principes

Principes d' inſtitution, ou de la maniere d' elever les enfans des deux ſexes, par rapport au corps, à l' eſprit & au coeur. à Paris 12.

*Bequemes Handbuch zur vollſtändigen Kochkunſt. Schwerin und Güſtrow* 8.

Vocabulaire de la noſologie de M. SAUVAGES, contenant tous les termes techni ques, qui s'y trouvent avec leur explication, leur analogie & leur renvoi au corps même. à Paris 8. Voll. 3. (*Etymologiam nominum morborum continet.*)

Animadverſions on a late treatiſe on the kinkcough. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 657. (*Hunc tractatum de tuſſi conuulſiua* GVILIELMVS BVTTER *ſcripſit, quem inuenies ibidem* p. 649.)

Nouveau traité des contre coups de la tête à Paris 8.

The London practice of phyſic, the ſecond edition. Lond. 8.

Conſiderations on the uſe and abuſe of antimonial medicines in fevers and others diſorders: containing a chemical examination of all the antimonial preparations in the ſeveral diſpenſatories: and a ſpecial inquiry into the nature, properties and effects of febrifuge medicines particularly emetic tartar Dr. IAMES and the Edinburgh powder, read in a ſociety of phyſicians and publiſhed, by Order of the Preſident and council. Lond. 8.

The medical magazine: or general repoſitory of practical phyſik and ſurgery. Calculated for the aid and aſſiſtance of the phyſicians, the ſurgeon, the apothecary, the chemiſt and the priuate Gentleman; and eſſentially neceſſary to conduct medical

dical ſtudents and hoſpital pupils. By a ſociety of Gentleman of the different branches of the profeſſion ib. 8. (*Singulare inſtitutum eſt, cum quiuis faſciculus aliquot paginas lexici medici, aliaſque phyſiologiae, anatomiae, chemiae, chirurgiae, verſionis libri Ill.* MORGAGNI *de ſedibus et cauſſis morborum, nec non obſeruationes practicas ex recentioribus Auctoribus ſaepe collectas cet. comprehendat.*)

De thermis Borbonienſibus apud Campanos ſpecimen medico-practicum ſiue de legitimo circa illos tractatu practico Prolegomena. Caluomonti 4. (*Auctore* D. IVVET.)

Aduerſaria medico practica Vol. III. P. IV. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 674.

*Mediciniſche Commentarien einer Geſellſchaft der Aerzte zu Edinburg. Altenburg.* 8. (Cl. KOENIGSDÖRFER curauit hanc verſionem).

Reliqua proxime.

---

Contenta

## Contenta in hac parte.

I. Iournal de médecine cet. Par Mr. ROVX Tom. XXXIX et XL. p. 195
II. Iournal d'un voyage cet. Par Mr. COLLINI. 252
III. ZIMMERMANN *Beobachtungen auf einer Hartzreiſe etc.* 261
IV. Table pour ſervir à l'hiſtoire anatomique & naturelles de corps vivans. 263
V. IACQVIN Hortus botanicus Vindobonenſis. 271
VI. STECHMANN diſſ. de artemiſiis. 298
VII. MÜLLER zoologiae Danicae prodromus. 302
VIII. *Berliniſche Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft der Naturgeſchichte V und VIter Band.* 307
IX. DE KRZOWITZ hiſtoria febrium intermittentium omnis aeui obſeruata cet. 322
X. NICOLAI Pathologie III*ter Band.* 334
XI. DIMSDALE de morbis cutaneis. 338
XII. An Eſſay on the moſt effectual means of preſerving the health of ſeamen in the Royal navy cet. By LIND. 340
XIII. Pharmacopoea Suecica. 353
XIV. MVRRAY apparatus medicaminum. 354
XV. DARIES epiſt. gratulat. de amygdalis et amararum oleo aethereo. 358
XVI. LIDBECKS afhandling om nyttan af medicinal växters ſamlande ock planterning innom riket. 359

XVII.

XVII. SVLZER *Verſuch einer Naturgeſchichte des Hamſters.* p. 361

XVIII. POTKONICZY de metallis petrefactis. 365

XIX. BLANCARDI lexicon medicum tripertitum renouatum per ISENFLAMM Vol. I. 367

XX. Noua phyſico medica. 369

XXI. Index phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1774 prodierunt. 374

# COMMENTARII
## DE REBVS
## IN
# SCIENTIA NATVRALI
## ET
# MEDICINA
## GESTIS.




## VOLVMINIS XXII. PARS III.

---

LIPSIAE MDCCLXXIX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Lugduni Batauor. apud Fratres Luchtmann, Londini apud Fr. Elmsly
Venetiis apud I. B. Paſcali, Romae apud St. Richard, Aug.
Taurinor. apud Giraud et Gravier.

## I.

Noua acta Regiae Societatis ſcientiarum Vpſalienſis. Vol. II. Vpſaliae, ap. Io. Edmann. Reg. Acad. Typog. anno MDCCLXXV. 1 Alph. 16 plagg. 4. tabb. aen. 9.

Noſtrum ducimus pergere in indicandis actis celebris huius Societatis, ea, qua ſupra *) fecimus, methodo.

1. *De diuerſa origine Finlandorum et Lapponum obſeruationes* SIMONIS LINDHEIM, *hiſtorico philoſophicae.* p. 1.

2. *De nummis Gothorum extra Suiogothiam. Auctore* CAROLO RENALDO BERCH. p. 40.

3. *De nummis Arabicis in Suiogothia repertis, disquiſitio* CAROLI AVRIVILLII. p. 79.

4. *De acido aëreo commentatio* TORBERNI BERGMANN. p. 108. Cl. Auctoris ſententia ſuper hac re, a PRIESTLEYO in altera commentarii ſui de aëre editione commemorata, et actis Regiae Scientiarum Academiae Holmienſis breuis de eadem materie Auctoris expoſitio inſerta quidem eſt: nunc tamen accuratiſſimum huius doctrinae examen

 ex-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 191.

experimentis et obſeruationibus firmatum exhibet.

Ex duplici ſenſu, quo aëris fixi adhibetur denominatio, vel latiori, vel anguſtiori, poſteriori hic vtitur. Late ſumitur pro omni fluido elaſtico, quod ſub corporum decompoſitione in medium prodit, quocunque demum medio eliciatur, et cuiuscunque praeterea ſit naturae. Anguſtiore ſignificatione eam denotat ſpeciem, quae alcalinis terris et ſalibus ineſt, igne vel acidis extricanda et quae ſub fermentatione e multis vegetabilibus copioſe erumpit. Haec depurata acidam prodit indolem, ideoque *acidum aëreum* a Cl. Auctore vocatur.

Iam triplicem methodum, qua purus aër fixus obtineatur, igne, acidis, et fermentatione vberius deſcribit, et inſtrumenta tabula aenea depicta tradit.

p. 113. Aër fixus purus acidi qualitates omnes oſtendit. 1. cum aqua facile vnitur. Grauitas ſpecifica aquae, quam dicit *aëratam*, ſ. aëre fixo impraegnatam, reſpectu deſtillatae eſt, vt 1, 0015 ad 10000: thermometro gradum + 2 monſtrante. Subtiliſſima haec aura vero etiam in libero aëre, qua magnam partem iterum auolat, idque citius in ratione incaleſcentis maſſae: interim quo minuitur magis, eo retinetur reſiduum pertinacius, vt ſemihorae coctionem poſtulent vltimae reliquiae. Congelatio eandem promte et penitus ſecernit.

Deinde aquae vnitus aër fixus huic debilem, gratam, et titillantem aciditatem communicat. Eſt haec genuinus aquarum mineralium frigidarum ſpiritus, qui acidulis nomen dedit, et mediante quo, additis iuſta proportione ſalibus convenientibus, Selteranas, Spadanas et Pyrmontanas

per-

perfecte imitari licet: et qualibus ſexto iam anno Cl. Auctor fruitur inſigni ſanitatis emolumento.

Tincturam heliotropii coeruleam diſtincte rufat; color vero rufus in vaſe aperto cito euaneſcit. Aliorum vero ſuccorum coeruleorum colorem mutare nequit aër fixus. Sic quoque aqua aërata, ab omni peregrino liberata acido, papyri heliotropio coeruleo tinctae colorem non mutat: ideo, quod partim ſubtiliſſimi acidi ſufficiens moles planam ſuperficiem attingere nequeat, partim quod ſuae volatilitati abſque remora hic obedire poſſit.

Si alcali vegetabile aëre fixo impraegnatur, ſal p. 118.
obtinetur, quod in cryſtallos abit priſmaticas, quadrangulas, apicibus vtrisque e duobus triangulis inuerſis, tecti inſtar conniuentibus, formatis. Cryſtalli hae neque in aëre humido deliqueſcunt, neque in ſicco fatiſcunt, et Cl. Auctori *alcali vegetabile aëratum* audiunt. Alcali fixum minerale, aëre fixo plerumque ita onuſtum reperitur, vt abſque vlteriore eiusdem accumulatione in cryſtallos cogi poſſit decaëdras vel octaëdras apicibus oppoſitis truncatis. Si vero calcis vſtae ope cauſticitatem adquiſiuerit, eodem modo, ac vegetabile, ſatiari poteſt. Cryſtallorum recentium 100 partes continent aëris fixi 16, aquae 64, et alcalini puri 20; adeo vt 100 partes alcali puri aëris fixi 80 ad ſaturationem requirant: contra aequale alcali vegetabilis pondus non niſi 42 adſumit. Nam in genere ſalium ſimplicium naturam eſſe demonſtrat eam, quae, validiores fuerint, ad ſatietatem minore egeat quantitate.

Alcali volatile cauſticum aëre fixo mitigatur, p. 124.
quodam modo figitur et ad cryſtalliſationem fit pronum. Terra ſpathi ponderoſi aëri fixo vnita eſt: vt vero Cl. Auctor hanc vnionem intimius cognoſceret, volatile menſtruum vſtione expulit, reſiduo aquam

affudit, quaſſauit, et deinde percolatione facta in libero aëre ſuperficiem cremore tarde veſtitam vidit; et quidquid ſolutum erat hac via, eodem, quo cum aqua calcis accidit, modo ſeparabatur. Centenarius continet aëris fixi 5, aquae 30, et terrae ponderoſae purae 65 partes. Aqua terrae huius $\frac{1}{900}$ ſui ponderis ſuſcipit, eaque onuſta mercurium ſublimatum corroſiuum deiicit flauum, dulcem nigricat, colores vegetabiles, vt aqua calcis, mutat. Haec terra aëre fixo ſaturata aquam vulgarem vix, ſed aëratam facilius ſubit, quae $\frac{1}{1350}$ ſui ponderis arripit. Atque haec ſolutio papyrum fernambuco illitam reddit coeruleam, heliotropio vero tinctam ſaturatiorem efficit, tincturam huius vero abundans menſtruum rufat.

p. 126. Spathum calcareum igne ponderis $\frac{45}{100}$, et efferueſcendi facultatem in acidis amittere, acritatem vero et ſolubilitatem adquirere teſtantur experimenta: quam mutationem ſic explicat: vſtione expelli $\frac{34}{100}$ aeris fixi, et reliquas $\frac{11}{100}$ aqua conſtare cryſtalliſationis. Quam analyſin ſyntheſi confirmat. Calx aërata ſuperfluo aëre fixo eo perducitur, vt facilius ab aqua ſuſcipiatur. Totam igitur inter calcem crudam et viuam diſcrepantiam ex praeſentia vel abſentia aëris fixi et aquae cryſtalliſationis pendere putat.

p. 131. Magneſiam albam ſalina indole gaudere ratur, cum in calore moderato ponderis ſui $\frac{1}{850}$ ſoluat aqua deſtillata. Analyſi etiam terra peculiaris, aëre fixo et aqua ſaturata obtinetur. Centenarius eiusdem 25 partes aëris fixi, et 30 aquae cryſtalliſationis continet.

p. 133. Argilla pura i. e. terra aluminis ab aëre fixo vix attingitur: omnino tamen ab eo non reſpui, ſi tenera ſatis et diuiſa ſit, aluminis probat praeci-

pitatio,

pitatio, alcali aërato facta. Silicea terra aëris fixi omnem eludit vim.

In ſtatu elaſtico aër fixus nullum ſoluit, nec corrodit metallum, niſi forſan ſub calcinatione; aquae vero vnitus aggreditur ferrum, zincum, magneſium ſ. magneſiam nigram. Ex reliquis p. 136.
nonnulla, praecipitationis momento, ſubtiliſſime diviſa, aquam aëratam ſubeunt. Cobaltum depuratum et niccolum interdum ſolutionis ſigna praebent.

Liquores inflammabiles aërem fixum auide p. 137.
abſorbent; cum phlogiſto puro autem aegre coniungitur aër fixus, fieri tamen videtur vel per ſcintillas electricas, in aëre fixo crebro elicitas, vel per ferrum ſulphuri admixtum madefactumque in aëre fixo fermentans. In vtroque caſu aër fixus phlogiſto ita oneratur, vt dein aquae reſpuat vnionem.

Aer fixus deiicit, alcalibus puris ſoluta, ſulphur, hepar, et hepar volatile ſ. ſpiritum fumantem ſulphuratum BEQVINI. Liquor ſilicum in aëre libero demittit terram ſiliceam, quod aëre fixo per illum enatante breui perficitur. Sapo aëre fixo aegre decomponitur. Cuprum alcali volatile aëratum adgreditur aeque, ac purum.

His praemiſſis gradus intenſionis eruere ſa- p. 139.
tagit. Atque vidit experimentis ſequentem eſſe attractionum electiuarum ſeriem pro acido aëreo. Terra ponderoſa pura firmiſſime retinet acidum hoc, deinde calx pura, poſt alcali fixum vegetabile, tum minerale, vtraque pura, haec ſequitur magneſia pura, hanc alcali volatile purum, poſtea zincum, deinde magneſium, denique ferrum. Alia vero ratio eſt huius attractionis, ſi hae materiae iam aëratae ſecum vniantur, quam vocat attractionem electiuam duplicem. Nempe alcali volatile purum e. g. nec terram ponderoſam, nec calcem, nec

magneſiam acido quodam vulgari ſolutas praecipitare valet: quod alcali volatile aëratum promte praeſtat. Nam alcali volatile minori vi omnia appetit acida, quam calx: itaque hoc ſale puro nulla peragi poteſt decompoſitio; ſi vero aëre fixo eſt imbutus, quarta aduenit materia connubium calcis ambiens, vt duplici vi ſimul diſtrahatur ſal calcareus; altera nimirum alcali puro competente, acidum ſollicitatur, altera vero aëri fixo propria, calx pura, et hae vires vnitae priſtinam binorum principiorum cohaeſionem ſuperant. Calces metallorum ignobilium, via licet ſicca paratae, praeſertim vetuſtae, aëre fixo non carent.

p. 147. Iam cum ex his acida aëris fixi natura ſatis demonſtretur, *acidi aërei* ſ. *atmoſphaerici* nomine eum inſigniri mauult, cum vbique terrarum eiusdem magna adſit copia: quin imo ipſius aëris vulgaris principium quoddam proximum conſtituere videatur, vti PRIESTLEYVS coniicit. Obſtant tamen huic opinioni tentamina, in quibus, mediante phlogiſto, fluidum aëreum itidem mutatur, idque ſine vllis aëris fixi liberati indiciis.

p. 152. Recenſet etiam experimenta, quibus probetur, aciditatem aëri fixo eſſe eſſentialem. Grauitatem ſpecificam acidi aërei ponit 0, 0018, aëris vulgaris depurati 0, 0012: vt igitur aër fixus vulgarem $\frac{6}{10000}$ circiter ſuperet.

Noxia cauernarum quarundam aura eiusdem eſt naturae, atque acidi aërei. Ex grauitate vero acidi aërei colligit infima atmoſphaerae ſtrata hoc magis abundare, quam ſuperiora. Ex his patet, cur loca altiora in genere ſint ſalubria. Neque ſemper eiusdem eſt tenacitatis acidum aëreum, cum quasdam particulas aqua lubentius, alias ſegnius abſorbeat.

Acidum

Acidum aëreum ignem exſtinguit; imo animalia enecat, quae poſt mortem pulmones collapſos non in aqua ſubſidentes, pluribus locis inflammatos offerunt. Cor, animali calente, extractum nullo modo ad motum excitari potuit. p. 156.

5. *Diſquiſitio de attractionibus electiuis*, *Auctore* EODEM. Leges, quas attractio in ſuis operationibus ſequitur, hic diſquirit. Attractionem mundanorum corporum *longinquam;* illum vero ad vnionem niſum, qui inter quaeuis corpora in telluris ſuperficie vicina, attractionem *propinquam* nominat: atque hae aliis legibus adſtrictae videntur. p. 159.

Attractionum propinquarum plures diſtinguit ſpecies: 1. attractionem *aggregationis*, ſi materiae homogeneae ad vnionem tendunt, quo maior maſſa procreatur. 2. *compoſitionis*, ſi heterogenea miſcentur, et qualitas mutatur: quae, dum inter duo pluraque ſimpliciter vniendo excercetur, 3. attractio *ſolutionis* ſ. *fuſionis* vocatur. 4. inter tres relatiue cum vnius excluſione *attractio ſimplex electiua.* 5. inter duo compoſita, quorum quodlibet duobus tantum conſtat principiis proximis, ſub mixtione permutandis, *attractio duplex.* Vltimae binae in ſequentibus praecipue examinabuntur.

Prius inquirit, an attractio pendeat a rebus ſolum circumſtantibus, vel an earum ſit certus et ſtabilitus ordo: atque experientia probari ait, plura phaenomena de conſtanti ordine teſtari, etſi quoque nonnulla ſint, quae a conſueto ordine videantur declinare. Sic caloris varia intenſio corporum affinitates vel infringit, vel omnino invertit; in iis caſibus, vbi idem gradus nonnullas materias prae aliis notabiliter volatiles efficit. p. 162.

Attractio duplex electiua alias leges habet, quae, niſi attendatur et a priori diſtinguatur, vi- p. 166.

 detur

detur exceptionem a conſtanti ordine conſtituere, pro qua tamen habenda non eſt. Sic creta, ne quidem vſta, tartaro vitriolato aqua ſoluto addita, nullam efficit decompoſitionem: ſed ſi cretae ſolutioni inſtillatur acidum vitrioli, deiicitur gypſum. Si vero creta alio acido minerali prius fuerit ſoluta, quatuor in ſcenam prodeunt ſubſtantiae, et quod antea efficere non potuit, acido ſibi vnito adiuta valet. Explicat haec vberius Cl. Auctor ſchemate, in quo tartarus vitriolatus ſ. alcali vegetabile vitriolatum et calx acido ſalis ſoluta eidem immiſcentur aquae; id quod idem eſt, ac ſi quatuor hae materiae ſeparatim aquae iuſta ratione immiſcerentur ita, vt nunquam bina acida in eadem horizontali linea collocarentur: inde fit, vt maior ſit ſumma attractionum inter ea, quae horizontaliter, quam quae verticaliter ſunt oppoſita, ideoque attractio inter alcali fixum et acidum ſalis, vna cum attractione inter acidum vitrioli et calcem maiorem efficiunt ſummam, quam attractio inter alcali fixum et acidum vitrioli, vna cum illa, quae inter acidum ſalis et calcem locum habet. Haec quoque aliis exemplis comprobat.

Si metalla, acidis ſoluta, aliis deturbantur metallis, id duplici abſoluitur affinitate, quam phlogiſton efficit. Si alterutra materies ſenſim priſtinam mutat indolem, eiusdem attractiones etiam mutabuntur. Hinc acido marino e baſi alcalina expellitur acidum nitroſum, inde quoque arſenicum album in deſtillatione decomponit ſalia neutra, quae acido ſcatent nitroſo; non vero ea, quae marinum continent. Subiungit hic quaedam de ferri in acido vitrioli ſolutione.

p. 174. Ex ſolubilitate etiam anomaliae apparent. Sic alcali fixum minerale, acidis vnitum ad ſatietatem et aqua ſolutum, addito alcali vegetabili puro

manet

manet in ſolutione limpida, nullaque congrumatio, neque vlla obſeruatur praecipitatio. Inde alii putarunt, alcali minerale non praepollere vi attractiua prae vegetabili. Neque, ſi alcali minerale ſede extrudatur, ſolutio turbabitur, cum idem ſit per ſe ſolubile, neque limpiditatem impediat. Itaque ex hoc phaenomeno nihil ſequitur. Si vero ſolutio vaporet, reperietur tandem alcali minerale liberum ſeorſim cryſtalliſatum, praetereaque ſal neutrum pro natura acidi, quod examini fuerit ſubiectum. Sic etiam metalla quaedam ex acidis deiecta nimio alcali facile iterum ſolutione euaneſcunt. Si materies ſede extruſa nouam ſoluit combinationem, nouum adeſt impedimentum, quo decompoſitiones celantur. Pertinent huc praecipitationes ex ſubducta ſolutionis aqua, addita materie, quae combinationem priſtinam non mutat, aquam tamen eidem eripit, ſi vtrique ſimul non ſufficit, vnde in paruas cryſtallos, inſtar praecipitati, ſubito concreſcit: quae quidem acido vitrioli probe concentrato fiunt, ſi iuſta doſi inſtillatur ſolutionibus ſalium, quos aqua difficulter ſuſcipit, et quorum principia proxima acidum vitrioli diſtrahere nequit.

Ex copula trium materierum quarundam hae anomaliae oriuntur, vt coaleſcant tres ſine excluſione vllius; quod incommodum inprimis via premit ſicca: nam terrae tam inuicem, quam cum ſalibus mixtae, et pleraque metalla colliqueſcunt. Idem ſaepe valet de quatuor ingredientibus. p. 176.

Sales neutri determinatam acidi abundantiam recipere poſſe, atque ex eadem anomalias ſequi exemplis probat, e. g. ſoluatur tartarus tartariſatus pauxillo aquae deſtillatae, inſtilletur dein acidum tartari, mox materia ſpongioſa alba fundum petet, quae verum praebet tartarum. Cauſſa p. 167.

huius

huius mutationis ex natura materierum eruitur. Eſt tartarus alcali vegetabile, plus acidi, quam ad ſaturationem opus eſt, continens; quod ſi, alcali vegetabili addito, tollas, habebis tartarum tartariſatum, qui quidem a tartaro ſola materierum proportione differt, vnde maxima, inprimis quoad ſolubilitatem, oritur diſcrepantia. Eodem modo ſe habet ſal DE SEIGNETTE, et ſal acetoſellae. Eodem modo explicat Cl. Auctor experimentum quod 1760 diuulgauit Cl. BAUME', qui illius ope apparere exiſtimat, tartarum vitriolatum omnino acido nitri poſſe decomponi. Sic quoque baſes ſalinae, terreſtres, et metallicae nonnunquam ſaturitatis limites transgrediuntur.

p. 182. Iam accedit ad determinandas attractiones electiuas ſimplices: et primo methodum, qua ad eas determinandas vſus eſt, deſcribit, deinde nouam attractionum tabulam condit; quae vltra 30000 exquiſita requirit experimenta, ſi perfectionem quandam adtingere debet. Quae, cum vnius viri labore vix perfici poſſint, Cl. Auctor obſeruationes, a ſe hactenus factas, profert, aliosque chemicos, vt eidem rei perficiendae operam dent, inuitat.

p. 186. Supremum tabulae ſtratum, quemadmodum dicit Cl. Auctor, continet 50 rectangula horizontaliter diſpoſita, exhibentia 50 diuerſas ſubſtantias, ſignis indicatas vel cognitis, vel nouis. Hae ſubſtantiae ſunt 1. acidum vitrioli, 2. acidum vitrioli phlogiſticatum, 3. acidum nitri, 4. acidum nitri phlogiſticatum, 5. acidum ſalis, 6. acidum ſalis dephlogiſticatum, 7. aqua regis. 8. acidum fluoris mineralis, 9. acidum arſenici, 10. acidum boracis, 11. acidum ſacchari, 12. acidum tartari. 13. acidum acetoſellae. 14. acidum citri. 15. acetum deſtillatum. 16. acidum formicarum. 17. acidum phoſphori. 18.

ri. 18. acidum aëreum. 19. alcali fixum vegetabile purum. 20. alcali fixum minerale purum. 21. alcali volatile purum. 22. terra ponderoſa pura. 23. calx pura. 24. magneſia pura. 25. argilla pura. 26. terra ſilicea pura. 27. aqua. 28. aër nudus. 29. phlogiſton. 30. ſulphur. 31. hepar ſulphuris ſalinum. 32. alcohol vini. 33. aether. 34. oleum eſſentiale. 35. oleum vnguinoſum. 36. aurum. 37. platina. 38. argentum. 39. hydrargyrus. 40. plumbum. 41. cuprum. 42. ferrum. 43. ſtannum. 44. wiſmutum. 45. niccolum. 46. arſenicum. 47. cobaltum. 48. zincum. 49. antimonium. et 50. magneſium.

Hae ſubſtantiae ſunt quaſi capita, quaeque ſuae columnae verticali, ad quas ſingulae inferiores ita referuntur, vt quo propiores, eo etiam affinitate vel attractione ſint validiores. Lubenter tabulam hanc affinitatum ſubiungeremus, niſi inſtituti ratione impediremur. Ideoque neque ipſam harum ſubſtantiarum affinitatem indicare poſſumus, ſed ad ipſam tractationem Lectores remittere neceſſe eſt. In explicatione, 8 plagulis contenta, obſeruationes lectu digniſſimae offeruntur et ardua haec doctrina multis nouis augetur inuentis. A quibus recenſendis eo maiore iure abſtinemus, quum Cl. Auctor ſub finem diſſertationis polliceatur, ſe hanc diſquiſitionem denuo ſeorſimque edendam curaturum, et neceſſariis explicationibus nouisque obſeruationibus ditaturum eſſe.

6. *Obſeruationes macularum varii generis in diſco Iouis et coniunctionum inferiorum ſatellitum eius, habitae in Obſeruatorio Stockholmenſi a* PETRO WARGENTIN. p. 247.

7. De

p. 267. 7. *De motu Cometae* anni 1770 ab ERICO PROSPERIN.

p. 283. 8. *Cycas Caffra deſcripta a* CAROLO PETRO THUNBERG. E Promontorio Bonae Spei transmiſſa d. 1. Maii 1774. Hottentotti, nunc in vlteriorem partem Africae conceſſi, agriculturae nullam operam dant, frugibus ideo pane parando deſtituuntur: hinc bulbos varios effodiunt, quibus veſcuntur. Eſt in hac terra magna bulboſarum plantarum copia; vt Ixiae, Gladioli, Iridis, Moraeae, Ornithogali, Cyanellae, aliarumque. Aliis Populis, *Nomaquas* dictis et Caffris Milii genus eſt, cuius ſemina in farinam contuſa ad panificium adhibent. Aliis familiare eſt e Palmae cuiusdam arbore elicitam medullam tractare ita, vt panem quodammodo nanciſcantur. Huius arboris de-
p. 284. ſcriptionem et iconem tradit. Dicitur *Cycas caffra*, foliis pinnatis, pinnis lanceolatis, petiolis inermibus. Creſcit in decliuibus montium colliumque. Floret Auguſto. Eſt planta diphyta. *Mari*, calyx. Amentum ſtrobiliforme, ouatum, grande, pedunculatum ex apice radicis vel trunci excreſcens, erectum. *Squamae* ſubtriquetrae, antheris tectae. *Corolla* nulla. *Filamenta* nulla. *Antherae* ſeſſiles, confertiſſimae, ouatae, ſupra rima longitudinali dehiſcentes, vniloculares, glabrae, magnitudine milii. *Pollen* album.

*Feminae* calyx. Amentum vt in mare, ſed grandius. *Squamae* pedicellatae, apice ſubtetragono, lateribus compreſſis in hamum productis: hami pedicello duplo breuiores. *Germina* obtuſiſſima, poris aliquot intruſis. *Stilus* et *Stigma* deſunt. *Drupa* ſimplex, intra ſingulam ſquamam libera, oblongo ouata, ſeptemangularis, glabra, ſenſim inferne attenuata, carnoſa pulpa rubra,

bra, apice obtuſiſſima carne denudata nucleum continens. *Nux* ouata, triangularis, vnilocularis. *Nucleus* albus, ſolidus.

Truncus arboris lignoſus, ſed fragilis. Medulla in eo continetur ſatis craſſa, eaque, ſimulac extruſa fuerit, pelli inuoluta in humum defoditur, per menſis aut longius temporis ſpatium. Putrefacta deinde inter duos lapides pertunditur, et affuſa aqua in maſſam ſubigitur, e qua placentae formantur, quas ſub calente adhuc cinere coquunt.

9. *Ericae tres nouae ſpecies deſcriptae et delineatae* a LAURENTIO MONTIN. 1. *Erica paſſerina*, antheris muticis incluſis, floribus lateralibus ſolitariis, corollis campanulatis, calycibus tomentoſis, foliis ternis. 2. *Erica Thunbergii* antheris muticis incluſis, floribus ſubumbellatis, corollis ſubgloboſis inflatis, foliis ternis. 3. *Erica cernua*, antheris criſtatis incluſis, floribus ouatis capitatis, calycibus ciliatis, foliis quaternis. Omnes tres habitant ad Cap. B. Spei, miſſae a Cl. THUNBERG. p. 289. p. 290.

10. *Vita* OLAVI CELSII, S. Theol. Doctor. et Profeſſ. Primar. in Academ. Vpſalienſ. et Dioec. Vpſ. Archipraepoſiti. Etſi iis praeſertim, quae Theologum perficiunt et exornant, doctrinis inclaruit; tamen cum a primis annis, vbi ſacrum perſcrutaretur codicem, obuia loca longe plurima notauerat, quae intelligi ab omni parte nequirent ſine herbarum atque arborum, de quibus agunt, certiore cognitione; botanicae et hiſtoriae naturali dedit operam. Primum ſpecimen edidit *de Auibus*. Dein munificentia Regis Auguſtiſſimi CAROLI XI menſe Ianuario A. 1696 iter literarium inſtituit per Daniam, Germaniam, atque hic Lipſiae p. 295

ſiae per plures menſes commoratus eſt, Fribergam quoque et Dreſdam aliaque celebria doctoribus loca inuiſit. Poſtea Belgium, Galliam, vbi Lutetiis apud DODARTVM et TOVRNEFORTVM botanicam coluit, Italiam, Auſtriamque adiit, atque per Vratislauiam, Berolinum, Gryphiswaldiam ac Stralſundam redux Holmiam delatus eſt. Primum moliebatur opus de *Plantis Biblicis*, Bochartiano Hierozoico non impar futurum. Iuuenis igitur RVDBECKIO dum *campos* ederet *Elyſios*, adfuerat, ſub literaria peregrinatione vbique botanicos conſuluit, hortos adiit et Vpſaliae fixis laribus, non viridarium modo aluit, ſed et per aeſtates in Vplandiam aliasque patriae regiones geſtiit excurrere. Deinde ſolenne habebat botanicae Philologiae dicare excerpta, quibus completa quinque denſiora volumina muſeo botanici horti legauit. Sanitate egregia fruitus eſt et per quinquaginta vltra annos docendi munus ſuſtinuit. Ingraueſcentibus annis hernia affectus eſt, qua leuata plures annos vixit; tandem tamen nullius affligente ſenſu morbi, placide exſpirauit die XXIV Iunii, anni MDCCLVI. annos natus prope ſex et octoginta. Praeter ſchediaſmata Actis Societ. Vpſal. inſerta, et Botanicem ſacram quoque ſpectantia, ex ſcriptis ſuis phyſicam ſpectant ſequentia.

*Auctarium plantarum Vplandicarum*, in Act. Acad. Holm. 1740.

*Hierobotanicon ſ. de Plantis Biblicis Sacrae Scripturae diſſertationes* breues. Vpſal. P. I. 1745. P. II. 1747. 8.

---

II.

II.

*D.* CARL WILHELM POERNERS, *Churfürſtl. Sächſſl. Bergraths, chemiſche Verſuche und Bemerkungen zum Nutzen der Färbekunſt, Leipzig, bey Weidmanns Erben und Reich*, 1772. 8. *I Theil*, Alph. 1. pl. 10. *II Theil*, Alph. 1. pl. 15. *III Theil*, 1773. Alph. 1. pl. 16.

i. e.

Obſeruata et experimenta chemica tinctoriae arti inſeruientia, Auctore D. CAROLO GVILIELMO POERNERO. Tomus I. II. et III.

Variorum corporum, quibus artifices in tingendis ex lana confectis rebus vtuntur, accuratius examen non poſſe non maximae eſſe ad excolendam hanc artem vtilitatis, res profecto eſt certiſſima et adeo euidens, vt mirari ſatis nequeamus, praeter HELLOTVM vix vllum in eo allaboraſſe, vt tinctoriae arti fundamenta certa, eaque experimentis ſuperſtructa poneret. Etenim cum tinctoria ars ſit profecto quaedam ipſius applicatae chemiae pars, fundamentisque nitatur ex ea ſola petendis: ad intelligendum haud difficile erit, huius ſtudium illi arti fauere, et ad eam augendam multum tribuere. Animaduerterunt autem hunc ſyſtematis artis tinctoriae defectum alii, qui cum eſſent experti, Cl. POERNERVM multos eam ob rem inſtituiſſe labores, vt corporum tinctoriae arti inſeruientium cum variis additamentis mixtorum ad lanam relationes intelligeret, rogarunt eum, vt hoc in ſe reciperet munus, et ex multiplici ſua experientia regulas erueret, quas artifices poſſent ſequi.

Neque renuit Cl. POERNERVS horum precibus, arbitratus tamen eſt, ſyſtematice conſcriptum de hac materie tractatum artificibus, quippe qui ſoli experientiae adſueti ſint, obeſſe potius, quam prodeſſe. Qua de re id praeſertim Noſter tentavit, vt experimenta ipſa cum tingentibus corporibus inſtituta ſollicite enarraret, et ex iis deinceps demonſtraret, quaenam addenda ſint his corporibus media, quibus vel extrahi melius, vel exaltari color poſſit, et quae fugienda?

Diſpeſcuit omnem hanc rem in quatuor et viginti tractatus, quorum primum volumen ſex continet, in quibus de radice Curcumae longae, de Serratula tinctoria, de Matricaria Chamomilla, de Gallis, de cortice Betulae Alni, et de coloribus ex mixtione nonnullorum horum corporum ortis agitur. Secundum volumen in ſeptimo, octauo, nono, decimo et vndecimo tractatu experimenta cum ligno Braſilienſi, Sandalo rubro, radice Rubiae tinctoriae, Coccionella et Indigo inſtituta complectitur, in duodecimo autem de coloribus ex variorum horum corporum mixtione productis exponitur. In tertio tandem volumine ſequuntur in decem tractationibus experimenta cum Reſeda luteola, ſemine Trigonellae foeni graeci, Verbaſco Thapſo, Geniſta tinctoria, Carthamo tinctorio, Moro tinctoria, Orleano, Orſeille, Haematoxylo Braſiliano et Iſati tinctoria inſtituta. Viceſimus tertius autem tractatus colores ex his corporibus inuicem mixtis productos contemplatur, et viceſimus quartus de modo agit, quo diſquiri debet, vtrum tinctoriae arti inſeruire quoddam corpus poſſit, nec ne? Quo autem luculentius pateat, qua cum cautione experimenta Cl. Auctor inſtituerit, et quam vtilia tinctoriae arti illa ſint futura, age, quaedam exhibeamus ſpecimina.

Ac

Ac primum quidem cuiuslibet corporis in tinctoria arte ſolemnis chemicam praemittit analyſin, enarrat deinceps rationem, qua in panno vel texto ex goſſypio facto (*Kattun*) praeparando vſus eſt, et ipſa tandem cum ſalibus, aliisque additamentis inſtituta ad colorem extrahendum experimenta perſpicue tradit. Et in prima quidem primi tractatus p. 2 ſectione docet, rotundum *Curcumae radicis* genus et medicae et tinctoriae arti optime inſeruire. Partes vero hanc radicem conſtituentes terreae et terreo mucilaginoſae ſunt, in quibus ſalis quicquam ineſt, quod tamen ſeorſim ſeparari nequit, ſed terreis et paucis oleoſis magnopere adhaeret. Vocat Cl. Auctor hanc partium terreo-mucilaginoſarum cum ſalinis et oleoſis mixtionem mucilagineo-ſaponaceam, cui etiam tingens huius radicis principium immixtum deprehenditur. Porro vndecim enarrat Cl. Auctor experimenta, quibus tingentem hanc materiem vario modo extrahere conatus eſt. Additamenta, quae ad hunc ſcopum Cl. POERNERVS adhibuit, ſunt ſalia media, acidum vegetabile et minerale, gypſum, martis et veneris vitriolum, ſal alcali fixum et volatile, olea expreſſa atque aetherea, ſpiritus vini et ſapo. Apparet ex his periculis, omnia haec corpora ad extrahendam tingentem materiem apta eſſe, eam tamen magis magisque pro additamenti ratione mutari, ſic acida colorem magnopere exaltant, alcalina vero eum in bruno-rubrum mutant.

In altera ſectione experimenta, panni tingendi cauſa inſtituta, enarrat Cl. Auctor, quem, vt ad recipiendum tingens principium aptiorem redderet, antea in diuerſis lixiuiis ex nitro crudo, ſale communi, ſale ammoniaco, cremore tartari, aceto, alumine, gypſo, vitriolo martis, vitriolo veneris et ſapone praeparatis, macerauit et coxit.

Sequuntur in tertia ſectione pericula goſſypii tingendi cauſa inſtituta, quod eodem, quo pannum modo ad recipiendam tingentem materiam aptiorem reddidit. Patet vero ex copioſis a Noſtro cum hac radice factis experimentis, pro varia additamenti ratione varium ſemper euaſiſſe colorem, ita vt ex ducentis ſexaginta et octo diuerſis procedendi modis vix duo eadem ratione pannum vel lanam tinxerint. Quam falſa autem illa ſit opinio, qua ex curcumae radice colorem, qui in aëre diu duret, extrahi haud poſſe ſtatuitur, experimentis edoctus Cl. POERNERVS animaduertit. Etſi enim diffitendum non eſt, alumen et tartari cremorem, quibus vt plurimum artifices in extrahendo tingente huius radicis principio vſi ſunt, huic ſcopo non inſeruire, ſal commune tamen, ſal ammoniacum et veneris vitriolum eidem egregie opitulantur. Salis ammoniaci praeſertim ope ex curcuma colorem aëri prorſus reſiſtentem extrahi, pannisque impertiri poſſe Noſter expertus eſt: vt tamen in accommodata quantitate ammoniacum ſal adhibeatur oportet, quippe cum nimia eiusdem copia raram reddat lanam, tingentesque curcumae particulas debilitet, nimis exigua contra eiusdem portio neque lanae poros ſatis aperiat, neque tingentes radicis partes ſufficienter extrahat; ex his tamen non fluit, vna cum ſale ammoniaco alia media, quae faciant ad pulchritudinem panno conciliandam, adhibenda non eſſe. Salis communis vſum ad hunc ſcopum egregium quoque Cl. Auctor expertus eſt, recte tamen illud ammoniaco ſali poſtponit. De aceto idem, quod de alumine diximus, valet, ſi vero alia corpora, e. g. ammoniacum aut commune ſal ſimul cum aceto adhibueris, vtile illud reperies. Quanquam autem negandum non eſt, et copioſa illa a Cl. Auctore facta experimenta

ſatis

ſatis ſuperque euincunt, plurimis cum curcumae radice productis coloris ſpeciebus hoc eſſe commune, vt externo aëri haud reſiſtant; eius vſum tamen prorſus disſuadendum non eſſe, ſed iis rebus tingendis, quae libero aëri raro exponuntur, inſeruire poſſe, Noſter exiſtimat. In fine huius p. 189. tractationis ſuam ſuper *arſenici* in tinctoria arte vſum ſententiam Cl. POERNERVS addit, eaque in eo verſatur, vt, quamuis colores illud ſaepenumero exaltet, ſplendoremque iis conciliet, tamen, cum aduerſus aërem colores haud defendat, et ob venenum noxium hominibus euadere poſſit, locum illi relinquat nullum.

Accedimus ad ſecundum tractatum, qui ex- p. 191. perimenta cum *Serratula* capta complectitur. Ac primum quidem refert Cl. Auctor chemicam huius plantae analyſin docuiſſe, abundare in eadem partes mucilagineas et terreo-reſinoſas, quibus acidi cuiusdam ſalis quicquam immixtum eſt. Tingens autem huius plantae principium in terreo-reſinoſis partibus reſidet, vt tamen mucilaginea pars ab eodem prorſus libera non ſit. Sequuntur hanc plantae ipſius diſquiſitionem copioſa panni, xylinique tingendi cauſa inſtituta pericula, ad quae eadem fere additamenta, quae ad labores cum curcumae radice factos ſelegerat, adhibuit. Eluceſcit vero ex his, hanc plantam inter vtilia tingentia corpora ſibi vindicare locum, quanquam enim naturalis eiusdem color admodum gratus non eſt, quippe qui ex flauo in viridem vergit, aliis tamen tingentibus corporibus ſi addita fuerit, haud ſpernendum, eumque aëri reſiſtentem panno tribuet colorem. Sal commune, gypſum et alumen ad pannum non ſolum praeparandum, ſed quoque ad extrahendum tingens ſerratulae principium optima

ſunt media. Aëri plurimae ex ſerratula productae colorum ſpecies diu reſiſtunt, omnibus autem reliquis palmam praeripiunt eae, quibus praeparandis veneris vitriolum, alumen, aut gypſum cum alumine mixtum ſeruierant.

p. 285. In tertii tractatus prima ſectione pericula partium *Chamomillam* conſtituentium detegendarum cauſa facta occurrunt, atque ex his quidem edocemur, easdem, quae ſerratulae inſunt, et huic plantae ineſſe partes, copia tamen oleoſarum et mucilaginearum partium in noſtra planta maior eſt, quam in ſerratula, ſalinum autem principium in chamomilla vel prorſus deeſt, vel oleoſo-mucilagineis partibus ita immixtum, vt ſui praeſentiam nullo modo patefaciat. In altera et tertia huius tractatus ſectione experimentorum ad tingens principium ex chamomilla extrahendum, pannoque et xylino applicandum inſtitutorum reperitur catalogus. Concludit vero Cl. Auctor ex ſuis experimentis, chamomillae tingendi facultatem debiliorem eſſe ea, qua curcumae radix aut ſerratula gaudet: eſt quoque coloris ex chamomilla producti aduerſus aërem reſiſtentia minor, quam ſerratulae, curcumae autem colorem ſuperat. Media ad pannum praeparandum optima ſunt ammoniacum ſal, aut coeruleum vitriolum cum communi ſale mixtum; illi tamen colores, ad quos producendos ſal commune cum veneris vitriolo Noſter adhibuerat, non quidem citrini ſunt, ſed partim bruni, partim virides, grato tamen ſplendore gaudent. Cum tartari cremore, alumine et veneris vitriolo producti virides colores egregii ſunt, qui et per ſe adhiberi, et aliis quoque tanquam fundamentum inſeruire poſſunt. Xylino impertiti ex chamomilla colores admodum durabiles non ſunt, quippe

quippe cum a coctione in alcalino lixiuio valde mutentur; reſiſtunt tamen eidem illi, qui xylino cum gallis, alumine et cauſtico lixiuio praeparato applicati fuere.

In tractatu de *Gallis* docet nos Cl. Auctor, Turcicos ad tingendum aptiores eſſe, quam Europaeos, eosque componi ex copioſis terreis, paucis reſinoſis et acidis particulis, in quibus etiam inflammabiles quaedam inuolutae ſunt. Quanquam autem galli vix quicquam tingentis in ſe habent materiei, tamen, ſi martiale vitriolum ipſis additur, niger ex illis extrahi poteſt color, quare ad hunc praeſertim praeparandum in experimentis cum gallis inſtitutis Noſter reſpexit. Ac coeruleum quidem et viride vitriolum in diuerſis proportionibus gallis addidit, eosque in aqua coxit et panno applicare ſtuduit, qua ratione mox nigrum, mox violaceum, mox brunum reddidit pannum, atque hinc manifeſtum eſt, gallorum cum martiali vitriolo mixtionem praecipuum eſſe ad producendum nigrum colorem fundamentum; attamen hi colores per ſe neque ad ouium, neque ad arboream lanam nigram reddendam commendandi ſunt, cum prior absque alio additamento nigra quidem euadat, diſpendium tamen inde nanciſcatur, quod, niſi alia media ſimul addideris, tollere nulla ratione poſſis; poſterior autem ſine aliis mediis prorſus nigra non fiat. p. 351.

Ex quinto tractatu notamus, partes *corticem Alni* conſtituentes copioſas terreas eſſe, quibuscum ſalina cum inflammabilibus partibus mixta ſubſtantia coniuncta eſt. Ex laboribus, quos panni, xylinique cum hoc cortice tingendi cauſa Cl. Auctor inſtituit, patet, eum, ſiue per ſe fuerit applicatus, ſiue cum aliis ſalinis corporibus mix- p. 404

tus, tinctoriae arti parum prodeſſe. Quamuis autem hic cortex tingentis principii vix quicquam in ſe contineat, tantum tamen abeſt, vt omnis in tinctoria arte vſus expers ſit, vt aliis potius tingentibus corporibus, quae reſiſtendi facultate deſtituuntur, hanc ipſam vim tribuat, coloresque ex iis productos aduerſus aërem defendat. Niger autem color, quem nonnulli ex hoc cortice et martis croco praeparari iubent, propterea commendandus non eſt, quod neque gratum colorem ille conciliat lanae, neque eodem modo illam tingit, ſed maculoſam potius reddit.

p. 427. Ex ſexto tractatu diuerſas, quas Cl. Auctor cum his corporibus fecit, mixtiones tantum notandas eſſe cenſemus, cum, ſi ſingulos colores ex horum corporum mixtione productos excerpere vellemus, verendum nobis eſſet, ne nimis fieremus prolixi. Ad primam autem mixtionem ſerratulam et curcumae radicem; ad alteram eandem radicem et chamomillam, ad tertiam ſerratulam, chamomillam et radicem curcumae; ad quartam eandem curcumae radicem et gallos, ad quintam betulae alni corticem et curcumae radicem; ad ſextam ſerratulam et chamomillam; ad ſeptimam ſerratulam et gallos; ad octauam ſerratulam et corticem betulae alni; ad nonam gallos et chamomillam; ad decimam eandem chamomillam et betulae alni corticem; ad vndecimam tandem eundem corticem et gallos adhibuit. Ceterum varia, ſalina praeſertim media, his corporibus addidit, tingentemque eorundem materiam et panno et xylino applicare Cl. POERNERVS ſtuduit.

Vol. II. Secundum obſeruationum et experimentorum Cl. POERNERI volumen ad perfectiorem reddendam

dendam tinctoriam artem hoc magis accommodatum eſt, quo praeſtantiora illa ſunt corpora, quorum ad lanam relationes in illo clare et perſpicue enarrantur. Dabimus pro more et ex hoc volumine quaedam ſpecimina. Septimi tractatus p. 3. prima ſectio tentamina, quibus Cl. Auctor ad indagandas *Ligni Braſilienſis* (*Fernambuk*) partes conſtituentes vſus eſt, complectitur, quibus clarum fit, ſubſtantiam quandam reſinoſae ſimillimam cum mucilagineis, ſalinisque partibus mixtam in hoc ligno occurrere, reſinoſamque, in qua et tingens huius ligni principium ineſt, per admixtas has partes in aqua ſolubilem reddi. Pannum cum hoc ligno tingendum per ſal commune, ſal ammoniacum, tartarum, alumen, ſtanni ſolutionem, tartarum et ſtanni ſolutionem, tartarum et alumen, ſtanni ſolutionem et alumen, gallos, ſalque ammoniacum et gallos praeparauit, hocque modo varios, eosque partim egregios ipſi tribuit colores, quorum tamen plurimi, cum aëri vix reſiſtant, haud commendandi ſunt. Additamenta autem illa, quorum ope pannus hoc ligno tinctus reſiſtendi facultatem nanciſcebatur, ſunt ſal ammoniacum, vini acetum, alumen, ſtanni ſolutio, martis et veneris vitriolum, quibuscum Braſilienſe lignum coquebatur, pannoque in ſola aqua macerato applicabatur. Neque inepta fuit panni cum alumine, aut tartari cremore ſtannique ſolutione inſtituta praeparatio, cum hac quoque ratione panni color aduerſus aëris vim egregie defenderetur. Quos vero xylinum cum hoc ligno tractatum acceperat colores, ii omnes per coctionem in alcalino lixivio magnopere mutantur, qua de re ſuadendi omnino non ſunt.

In octauo tractatu *Lignum ſandali rubri* con- p. 96. ſiderat Cl. Auctor, cuius analyſin, praemiſſa breui

naturali eiusdem hiſtoria, vti ſemper ſolet, tradit. Eſt autem tingens huius ligni materies quoque in reſinoſa parte, cui mucilaginea intime admixta eſt, contenta, atque in tanta quidem penuria, vt, ſi aptis mediis ad eam extrahendam haud fueris vſus, pannum vix ac ne vix quidem tingas. Qua de re et textum ex goſſypii linique filamentis conflatum (*Kanneſas*), et pannum vario modo praeparare, aptioremque ad recipiendum tingens huius ligni principium reddere Cl. Auctor allaborauit. Tametſi autem hac ratione id erat conſecutus, vt colorem ipſum exaltaret, viſuique acceptiorem redderet, reſiſtentia tamen aduerſus aëris vim ii, quos pannus in ſe receperat colores, prorſus deſtituebantur. Textum vero ex lana linoque factum, cum antea in ſola aqua eſſet maceratum, ab huius ligni decocto, aluminis, vitrioli coerulei, aut ſalis alcali ope praeparato, ita tingebatur, vt coctioni in alcalino lixiuio vel prorſus reſiſteret, vel gratius omnino per eandem fieret. Huius texti praeparationi optime ammoniacum ſal cum alcalino coniunctum inſeruire Cl. Auctor expertus eſt, quippe cum coctio in alcalino lixiuio nihil quicquam valeat ad extrahendum texti hoc modo praeparati et cum rubro ſandalo tincti colorem.

p. 137. Accedit Cl. Auctor in nono tractatu ad exponendas *Rubiae tinctoriae* vires. Solent vero tenuiores huius plantae radices et maiorum radicum cortices inuicem mixti et pulueriſati ſub nomine *Faerberröthe*, medulla contra maiorum radicum ſub nomine *Grapp* in tinctoria arte haud raro vſurpari; qua de re grata omnino atque accepta noſtris hominibus eſſe debet C. POERNERI relatio, Dahliae prope Oſſitium in Circulo Miſenenſi coli rubiam tinctoriam, quae maiori omnino cum vtilitate, atque ipſa exotica, in tinctoria arte poſſit adhiberi. Ex tentaminibus ad indagandam mixtionem medullae radi-

radicum (hac enim ſola, neque vnquam minoribus radicibus *Faerberröthe* dictis Noſter vſus eſt) eluceſcit, ingentem terrearum partium copiam in ea occurrere, quibuscum terreo-mucilagineae, reſinoſae et forte ſaponaceae quaedam coniunctae ſunt. Tingentem materiam et in hac radice reſinoſa occultat pars. Ad tingendum cum hoc corpore pannum quod attinet, praeparationem eiusdem cum ſale communi aut tartari cremore nulla ratione ſpernendam eſſe, extrahendae vero ipſi tingenti materiae ſtanni ſolutionem et alumen egregie inſeruire Cl. Auctor fatetur. Xylinum cum hac radice vario modo tinctum, quanquam coctioni in alcalino lixiuio omni ex parte non reſiſtebat, ad inutile productum Cl. Auctor tamen non refert, quippe nonnullae ſpecies, praeter reſiſtentiam, omnes Turcici lini (*Türkiſches Garn*) prae ſe ferebant notas, qua de re chemicos hortatur, vt experimenta ab ipſo incepta proſequantur, experianturque, quid alia media ad procreandam xylino cum hac radice tincto reſiſtentiam valeant, quo facto dubium ſupereſſe nullum arbitratur, quin eam tandem xylinum nanciſcatur firmitatem, quam in Turcico illo admiramur.

Progreditur Cl. POERNERVS in decimo tractatu ad *Coccionellam* diſquirendam, quo nomine Chryſalis inſecti a LINNAEO inter Coccos relati inſignitur. Experimentis ſuis niſus Noſter ſtatuit, componi hoc corpus ex partibus oleoſo-reſinoſis et ſalino-terreſtribus, idque per intimam harum partium mixtionem in aqua ſolubile fieri. Inter media, quibus pannus cum hoc corpore tingendus praeparari poſſit, optima ammoniacum ſal, vini acetum et tartari cremorem eſſe, alumen vero aut tartari cremorem cum alumine mixtum huic ſcopo nequaquam inſeruire Cl. Auctor monet, etenim pannus hac ratione praeparatus reſiſtendi vim p. 245.

adipi-

adipiſcitur omnino nullam. Xylinum coccionellae ope rubrum redditum, quod antea vario, eoque admodum mixto modo praeparabatur, per coctionem in alcalino lixiuio prorſus mutatur, ita vt, niſi aliis mediis, metallicis forte ſolutionibus vtaris, ad hoc textum tingendum coccionellam vix adhibere poſſis.

p. 332. Vndecima tractatio nobile tinctoriae artis ſubiectum ſub examen vocat. Scilicet ex Indigofera putrefacta praeparatur corpus coloris ex coeruleo nigri, cui *Indigo* nomen datur, quodque ex martiali terra cum exigua ſalinae ſubſtantiae portione mixta componitur. Tingentem huius corporis materiem reſidere putat Cl. Auctor in terra illa martiali cum phlogiſtica et ſalina forte ſubſtantia intime mixta. Ad diſſoluendum hoc productum cum vrinam, acetum, aliaque menſtrua, quibus tinctores vtuntur, haud quaquam ſufficientia inueniſſet Cl. Auctor, alio, eoque triplici modo illud ſoluit, et ſub tincturarum nomine ad pannum et xylinum tingendum adhibuit. Verſatur vero primae tincturae praeparandae ratio in eo, vt dimidiam Indigo vnciam cum quatuor vnciis olei vitrioli miſceat et ſenſim ſenſimque quadraginta et octo vncias aquae purae affundat, quo facto egregia oritur Indigo ſolutio. Ad ſecundam tincturam praeparandam cuidam portioni prioris tincturae alcalini ſalis lixiuii tantam copiam infudit, vt acidum ſuperſaturetur, hocque modo coeruleus puluis praecipitetur. Separatur deinceps hoc praecipitatum a ſupernatante humore et in vini aceto ſoluitur. Tertiam tincturam ex drachma Indigo in vncia vna et dimidia olei vitrioli ſoluta et cum alcalino lixiuio ſuperſaturata praeparauit, etenim puluerem hoc modo praecipitatum in vini aceto quoque ſoluit. Atque hae quidem illae ſo-

lutiones

lutiones ſunt, quibus vel per ſe, vel cum aliis additamentis mixtis ad pannum, xylinumque varia ratione praeparatum tingendum Noſter vſus eſt. Et pannum quidem quod attinet, eum vel in aqua, vel in aluminis aut alcali ſalis ſolutione coxit, maximam tamen vtilitatem alumen afferre didicit, quippe quo efficitur, vt prior tinctura vel ſola, vel cum gypſo coniuncta pannum egregie tingat, eumque aduerſus aëris vim defendat. Salis alcali vſum ad pannum praeparandum non prorſus quidem ſpernendum, ſed alumini tamen poſtponendum eſſe Cl. Auctor expertus eſt. Ad textum ex goſſypio factum tingendum priorem tincturam adhibuit, textumque ipſum cum ſola aqua, veneris vitriolo, ſale alcali, ammoniaco et alcalino ſale, gallisque et ſale alcali praeparauit, diuerſosque partim egregios ipſi tribuit colores, qui tamen per coctionem in alcalino lixiuio vehementer mutantur, atque adeo ſuadendi non ſunt.

Accedimus ad vltimum huius voluminis tractatum, ex quo diuerſas, quas Cl. Auctor fecit, corporum tingentium mixtiones notamus. Et Braſilienſe quidem lignum cum ſandalo rubro, rubia tinctoria, coccionella, indigo, curcumae radice, ſerratula, chamomillis, gallis et betulae alni cortice; Lignum ſandali rubri cum rubia tinctoria, coccionella, indigo, curcumae radice, ſerratula, chamomillis, gallis et cortice betulae alni; Rubiam tinctoriam cum coccionella, indigo, curcumae radice, ſerratula, chamomillis, gallis et betulae alni cortice; Coccionellam cum indigo, curcumae radice, ſerratula, chamomillis, gallis et cortice betulae alni; Indigo tandem cum curcumae radice, ſerratula, chamomillis, gallis et cortice betulae alni coniunxit, et ex his tri- p. 389.

ginta

ginta et quinque diuerſis mixtionibus colores aliorum mediorum ope extraxit, eosque et panno et xylino applicare anniſus eſt.

Vol.III. p. 1. Supereſt tertium experimentorum Cl. POERNERI volumen, in quo primum locum tractatio de *Reſeda luteola* tenet. Qualitas huius plantae illa, qua flauo lanam tingit colore, in reſinoſis partibus cum terreis mixtis abſcondita eſt, ceterum ſalinae et mucilagineae partes in illa quoque offenduntur. Media, quibus ex reſeda extrahi tingens materies, pannoque applicari poſſit, optima Cl. Auctor alumen, veneris et martis vitriolum, ſtanni ſolutionem et ſal commune inuenit, quippe quae et ſuaues et aëri reſiſtentes colores panno tribuunt, quare ab eorum vſu ſummam vtilitatem futuram eſſe iudicat. Neque xylinum cum hac planta tinctum inter inutilia producta numerat, vtraeque enim, quas modo de panno laudauimus, proprietates et huic communes ſunt, quam ob rem noſtros ciues hortatur Cl. POERNERVS de hac planta in noſtris terris maiori in copia excolenda, praeſertim cum euictum ſit, noſtrum ſolum ab ea haud ſperni, tingendisque corporibus eam magis aptam eſſe, quam ſerratulam.

p. 44. Tractatus decimi quarti prima ſectio docet nos, ſemen *foeni graeci* ex copioſis oleoſo-mucilagineis, terreisque partibus componi, quibuscum exigua reſinoſarum et ſalinarum partium copia coniuncta eſt. Praeparatur pannus cum hoc ſemine tingendus optime cum alumine, etenim vel ſine additamento, vel cum tartari cremore, coeruleo aut viridi vitriolo, aliisque mediis coctum hoc ſemen panno huic etſi non ſemper viſui acceptos, admodum reſiſtentes tamen largitur colores. Suadet etiam Cl. POERNERVS huius ſeminis mixtionem

cum

cum aliis tingentibus corporibus, quo quippe modo colorum ex illis productorum reſiſtendi facultatem augeri veroſimile eſt. Xylinum cum foeni graeci ſemine flauum redditum amittit rurſus ſuum colorem, cum in alcalino lixiuio coquitur, neque vlla ratione, niſi forte viridi aut coeruleo vitriolo addito, hanc proprietatem ipſi conciliari poſſe, Noſter arbitratur.

*Verbaſci Thapſi* flores, de quibus decima quinta tractatio exponit, componuntur ex terreis adſtringentibus, reſinoſisque partibus, in quibus tingens materies abſcondita eſt. Pannum cum his floribus tingendum optime praeparari per alumen Cl. POERNERVS Auctor eſt, extrahendi vero coloris pannoque applicandi cauſa vtilia ſal commune, acetum, ſtanni ſolutionem et coeruleum vitriolum reperit. Ad xylinum vero tingendum haud aptum verbaſcum eſt, reſiſtendi enim facultate prorſus deſtituitur, et quanquam dubitandum non eſt, quin media quaedam hanc vim xylino tribuant, verendum tamen tunc eſſe exiſtimat Noſter, ne citrinus verbaſci color nimis mutetur, iisque forte coloribus fiat ſimilis, qui minoribus ſumtibus poſſunt obtineri. p. 81.

Experimenta cum *Geniſta tinctoria* inſtituta complectitur decima ſexta tractatio. Reſinoſas huius plantae partes tingentis materiei vehiculum, easque cum paucis terreis et ſalino-mucilagineis mixtas eſſe Cl. Auctor in prima ſectione edocet. Altera colores contemplatur, quos pannus varia ratione praeparatus ex geniſta cum aliis additamentis mixta adeptus eſt: fatetur autem Noſter, ab aëre eosdem magnopere mutari, ita, vt, praeter illum, quem pannus cum alumine, vinique aceto praeparatus ex geniſta cum communi ſale cocta acceperat, nullius vſus videatur ſuadendus eſſe. De xylino cum hac planta tincto Cl. POERNERVS p. 111.

NERVS quoque affirmat, proprietate, qua coctioni in alcalino lixiuio reſiſtere debeat, illud deſtitui, neque vlla ratione, niſi forte calcis viuae aquam et alumen, aut coeruleum vitriolum ad praeparationem eiusdem, ſal alcali vero ad colorem extrahendum, xylinoque enarrata methodo praeparatum applicandum adhibueris, hunc finem obtineri poſſe dicit.

p. 138. Ad *Carthami tinctorii* (*Saflor*) diſquiſitionem in decima ſeptima tractatione Noſter accedit. Componuntur hi flores ex reſinoſis, oleoſis, acidisque intime mixtis partibus, in quibus ineſt materies, quae lanae flauum tribuit colorem. Vſus eſt Cl. Auctor ad pannum praeparandum aluminis ſolutione cum tartari cremore mixta, eamque reliquis, quas etiam adhibuit, praeparandi rationibus praeſtare didicit. Inter media panno praeparando idonea acetum quoque refert, quippe cum ſtanni ſolutio, aut eadem et tartari cremor ex carthami floribus colorem extrahant, qui pannum ita praeparatum praeclare tingat. De xylino cum carthamo tincto affirmare cogimur, vix vllius vſus illud eſſe, cum coctioni in ſaponaceo lixiuio nulla ratione reſiſtat; ſuſpicatur tamen Noſter, repetitam xylini praeparationem cum alumine, calcisque viuae aqua ad augendam hanc facultatem multum contribuere poſſe.

p. 165. In duodeuiceſima tractatione *Mori tinctoriae* analyſin et ad lanam relationes Cl. POERNERVS enarrat. Eſt vero hoc lignum ex reſinoſis, terreis adſtringentibus, mucilagineisque partibus compoſitum: colores, quibus producendis inſeruit, flaui ſunt, iique, quanquam viſui admodum accepti ſunt, propterea tamen, quod aëri vix reſiſtunt, a Cl. Auctore non commendantur. Ceterum vini acetum ad pannum praeparandum, ad

extrahendum autem huius ligni colorem ſtanni ſolutionem, cremoremque tartari ea eſſe media, quibus diu aduerſus aëris vim defendi pannus poſſit, experimenta a Noſtro facta demonſtrant. Ad xylinum in aqua maceratum tingendum vix aptum invenit hoc lignum, quippe cum nullum corpus, praeter coeruleum vitriolum, ex eodem colorem extrahat, qui xylino tingendo ſit idoneus.

*Orleani* diſquiſitionem vndeuigeſima tractatio enarrat. Hoc ex ſeminibus *Bixae Orellanae* L. praeparatum corpus componitur ex reſinoſis, mucilagineisque partibus, quibuscum volatilis ſalino - oleoſa ſubſtantia coniuncta eſt. Tametſi vero Cl. Auctor et pannum et xylinum in aqua, vini aceto, aliisque ſalinis ſolutionibus coxit, tingentique materiae extrahendae apta corpora Orleano addidit, lanaeque praeparatae applicauit, fere nulla tamen inde orta eſt coloris ſpecies, quae reſiſtendi vi gauderet; quare ſuadet Noſter, vt, qui Orleano in tingenda ouium lana vti voluerint, reſiſtentiae eidem conciliandae medium in ſale communi quaerant, quocum extrahi color, pannoque cum vini aceto praeparato poſſit applicari: namque hac ratione praeſtari hoc poſſe veroſimillimum eſt. p. 197.

Progredimur ad vigeſimum tractatum, qui experimenta cum tingente corpore ex *Lichene Roccella* L. calce et vrina praeparato tradit. Conſtituentes huius corporis, *Orſeille* dicti, partes reſinoſae et mucilagineae terreſtres ſunt, quae cum tingente materie mixtae colorem ipſi ex coeruleo rubrum tribuunt. Pannus in ſola aqua maceratus cum hoc corpore, ſalis ammoniaci, tartari cremoris aut coerulei vitrioli ope et gratum et aëri diu reſiſtentem colorem accepit. Commendat praeſertim Noſter tartari cremorem, qui, ſiue in ſola aqua, ſiue in ſalis communis aut aluminis ſo- p. 226.

 lutione

lutione pannus fuerit coctus et maceratus, vtrique huic proprietati panno conciliandae prae reliquis aptus inuentus eſt. Xylini autem cum hoc corpore tincti nulla fere eſſe poteſt vtilitas, cum reſiſtendi facultate illud prorſus deſtituatur.

p. 261. *Haematoxylon Braſilianum* L. (*Kampecheholz*) de quo in viceſima prima tractatione Cl. Auctor diſputat, tingentem offert materiem, quae ſalino inflammabilibus et terreo mucilaginoſis partibus immixta deprehenditur, quaeque pannum pro additamenti ratione mox coeruleum, mox nigrum reddit. Plures quidem, quos pannus ex hoc ligno in ſe receperat colores, ab aëre magnopere mutantur, ita vt, praeter alumen, coeruleum et viride vitriolum, ad praeparandum pannum Noſter nullum poſſit laudare medium; ad extrahendum autem colorem ſtanni ſolutionem vtilem inuenit, quippe quae panno cum alumine praeparato colorem tribuit talem, qualis et viſui eſt acceptus, et aëris vi omnino reſiſtat. Neque xylinum in aqua maceratum et cum hoc ligno et ſale communi, aceto aut coeruleo vitriolo tinctum reſiſtendi facultate deſtituitur; ſuadet tamen Cl. POERNERVS, vt xylinum hac ratione tinctum in ſaponaceo lixiuio coquatur, quo facto perennem illud nanciſci colorem aſſerit. Ceterum diuerſa media, quibus ad praeparandum xylinum vſus eſt, nihil quicquam ad reſiſtendi vim augendam contulerunt.

p. 302. In vigeſimo ſecundo tractatu tentamina cum *Iſati* inſtituta enarrantur. Praeparatum hoc ex *Iſatis tinctoriae* L. foliis per conciſionem, calcisque et aquae admixtionem corpus ex reſinoſis, pluribusque terreis partibus intime mixtis componitur, vimque poſſidet, lanae coeruleum colorem tribuendi. Ad recipiendam Iſatis tingentem materiem pannum cum aqua et cum alumine praepa-

rauit,

rauit, ſicque non ſuaues minus, quam aëri reſiſtentes colores ipſi tribuit, quorum tamen praecipui illi ſunt, quos pannus cum alumine praeparatus ex Iſati cum tartari cremore, aut alumine cocta in ſe receperat. Decoctum Iſatis cum viridi vitriolo praeparatum xylinum in aqua maceratum optime tinxit, quanquam enim per coctionem in ſaponaceo lixiuio hoc xylinum mutationem patiebatur, maxima tamen ipſi manebat ſuauitatis ſpecies. Ceterum commendat Noſter Iſatis vſum ad xylini cum aliis corporibus tingendi praeparationem, quippe quod exinde admodum aptum ad hunc vſum euadere opinatur.

Viceſima tertia tractatio in decem ſectionibus eorum experimentorum, quae cum tingentibus corporibus inuicem mixtis lanae tingendae cauſa inſtituit, exhibet catalogum, ex quo nos, prout in ſexta et duodecima tractatione fecimus, omnes notabimus mixtiones. Ac Reſedam quidem luteolam cum Braſilienſi ligno, Rubia tinctorum, Coccionella, Indigo, Orleano, Orſeille et Haematoxylo Braſiliano; Semen Foeni graeci cum ligno Braſilienſi, Rubia tinctorum, Indigo et Haematoxylo Braſiliano; Verbaſcum Thapſus cum ligno Braſilienſi, Rubia tinctoria, Indigo et Haematoxylo Braſiliano; Geniſtam tinctoriam cum Braſilienſi ligno, Rubia tinctorum, Coccionella, Indigo, Orſeille et Haematoxylo Braſiliano; Carthami tinctorii flores cum ligno Braſilienſi, Rubia tinctoria, Coccionella, Indigo et Haematoxylo Braſiliano; Morum tinctoriam cum ligno Braſilienſi, Rubia tinctoria, Sandalo rubro, Coccionella, Indigo, Orſeille et Haematoxylo Braſiliano; Orleanum cum Braſilienſi ligno, Rubia tinctoria, Coccionella, Indigo, Orſeille et Haematoxylo Braſiliano; Orſeille cum ligno Braſilienſi, Rubia tinctoria, Coccionella, Indigo et Haematoxylo Braſiliano; Haematoxylon Braſilianum cum p. 328.

 ligno

ligno Braſilienſi, Sandalo rubro, Rubia tinctoria, Coccionella, Indigo et Gallis; Iſatim cum Gallis, cortice Betulae alni, Serratula, ligno Braſilienſi, Rubia tinctoria, Sandalo rubro, Indigo et Haematoxylo Braſiliano coniunxit, media varia addidit, tingentemque horum corporum materiem cum ouium, tum arborum lanae applicauit.

p. 591. Accedit tandem in vltima tractatione Cl. POERNERVS ad exponendam rationem, qua in diſquirendis corporibus vti debemus, vt appareat, an apta illa ad tingendum ſint, nec ne? Quo autem vtiliorem, et ad erudiendum artificem aptiorem futuram hanc tractationem eſſe nos ſumus perſuaſi, eo maiorem dabimus operam, vt praecipuas Cl. Auctoris circa hanc rem regulas ſollicite ediſſeramus. Ac primum quidem illud corpus, cui tingentem ineſſe materiem ſuſpicaris, in aquae ſimplicis ſufficiente quantitate cum xylini, aut panni in aqua antea cocti et macerati particula per quoddam temporis interuallum coquendum eſt, ita vt, ſi modo tingens principium aliis partibus non nimis ſit inuolutum, lana omnino tingatur; quodſi vero eadem hac ratione vel nullum, vel admodum debilem in ſe recepit colorem, coctio eiusdem cum tingente hoc corpore, variisque ſalinis mediis, e. g. ſale communi, ſale ammoniaco, alumine, vini aceto, viridi aut coeruleo vitriolo repeti debet, quo quippe modo tingentem cuiusdam corporis vim certiſſime experieris. De ipſa vero tingentis materiei praeſentia ſi certus fueris redditus, veram eius naturam et mixtionem vt cognoſcas, neceſſe eſt. Qua de re hoc corpus in aqua ad dimidiae partis conſumtionem coquatur, decoctum depuretur et in varias portiones diuidatur. Admiſceatur cuidam

por-

portioni ſalis acidum, ſi quid fundum petit, pulviſque praecipitatus rurſus in alcalino lixiuio vel penitus, vel ex parte tantum ſoluitur, lixiuiumque tinctum inde euadit, de reſinoſa aut inflammabili tingentis principii natura cum terreſtribus partibus intime mixta certi reddimur; ſin acidi ſalis ope nihil praecipitatur, ſed decoctum potius exaltatur, inflammabiles partes cum ſalinis mixtas tingentem materiem conſtituere euincimur. Decocto autem cum ſalis acido mixto, ex quo neque ſeceſſit quicquam, neque color eius plenior euaſit, ſi alcalinum lixiuium admiſceatur, puluisque inde praecipitetur, dubium nullum eſt, quin abſorbentis terrae naturam ille habeat. Viridis vitrioli ſolutio cum decocto mixta terreae ſubſtantiae naturam patefacit. Etenim ſi violacei aut atri coloris materies praecipitatur, de exigua reſinoſae ſubſtantiae portione cum magna adſtringentis terrae copia mixta perſuademur; quo minus autem hoc praecipitatum corpus ad nigrum aut violaceum accedit colorem, eo magis quoque ab adſtringentis terrae natura abhorret, tuncque tingens materies ex reſinoſo mucilaginea ſubſtantia compoſita eſſe deprehenditur. Per aluminis ſolutionem decocto admixtam ſi quicquam praecipitatur, diſquirendum illud vlterius eſt, vt appareat, an ſola tingens materies illud conſtituat, ſiue aluminis terra eidem ſit admixta: et primum quidem cognoſcimus, cum materies ſeparata in alcalino lixiuio vel penitus, vel ex parte ſoluitur; ſi vero aluminis terrae portio ſimul fuerit praecipitata, per vitriolicum acidum certi reddimur. Ceterum alumen, prout ſalis acidum, reſinoſo terreſtres partes detegit. Per admixtum alcalinum lixiuium ſi quid ex decocto ſeparatur, illudque in ſalis aut vitrioli acido ſoluitur, quod

tamen raro accidit, abſorbentem terram cognoſcimus; ſin ſolutionem in his acidis recuſat, vt, plurimum terreo mucilaginoſam habebimus ſubſtantiam. Salia media, vt ammoniacum aut commune ſal, raro ex decocto quicquam deiiciunt, ſi vero hoc euenerit, ſeparatumque corpus ſolutionem in alcalino lixiuio haud recuſauerit, illudque tinxerit, de indole eiusdem terreo reſinoſa ſumus perſuaſi. Ceterum ad mutationem coloris decocti ab admixtis ſalinis corporibus quoque animaduertendum eſt, cum exinde vel maior, vel minor partium tingentium ſolutio, earumque interdum in magis gratum colorem conuerſio egregie pateſcant.
p. 604. In vltimis huius tractatus paragraphis Cl. Auctor quaedam experimenta cum *Vrtica*, *Scordio*, *Centaureo minori*, *Abſinthio*, *Ligno Pruni*, *Ligno Saſſafras*, *Radice Chinae*, *Radice Rhabarbari* et *Aloë* panni tingendi cauſa inſtituta addidit, quae horum quoque corporum in tinctoria arte vſum praeclarum docent.

## III.

IOHANN FRIEDRICH GMELINS, *der Arzneyk. Dokt. etc. Abhandlung von den giftigen Gewächſen, welche in Teutſchland und vornemlich in Schwaben wild wachſen. Ulm in der Stettiniſchen Buchhandlung.* 1775. 8*vo* *Seitt.* 228.

i. e.

Tractatus de herbis venenoſis Germaniae, inprimisque Sueuiae indigenis. Auctore Cl. IOANNE FRIDERICO GMELINO.

Cl. Auctor, cuius iam alibi a nobis mentionem eſſe factam recordamur, commendandus eſt

vel

vel ob hos ipſos venena contemplandi conatus plurimum, cum, quantum propoſiti difficultas licuerit, rem diu vexatam primo ad praeſtantiae cuiusdam faſtigium ſuſtulerit. Recenſuit vero in hoc ſuper venenatis herbis commentario, eas, quae Ipſi ex endemiis fuerunt cognitae, ita vt, praemiſſis quibusdam in patria receptis denominationibus, eas, quas a LINNEO in Syſt. ipſius Ed. XII. ſtabilitas eſſe nouimus, ſubiungat, et ex HALLERI, SCHAEFFERI aliorumque quorundam virorum ſcriptis ſynonyma iconesque addat. Ea vero, quae modo diximus, propria, eaque ad naturam facta, deſcriptio plantae, venenoſarum vel interdum ſalutiferarum virium teſtimonia et remedia apte opponenda ſequuntur.

Sed ne iuſto amplior noſtra euadat oratio, iam quae in libro reperiantur, paucis enarrabimus. Loquitur vero Cl. Auctor in introitu, praemiſſo, de rei herbariae praecipuo vſu in dignoscendis fugiendisque venenis conſiſtente; et modum venenorum agendi periculoſum, a partibus actiuioribus, neruos inprimis afficientibus, quibus reliqua antecellant corpora naturae, petendum eſſe cenſet. Luget vero non immerito, veneni notio- p. 14.
nem vix ac ne vix quidem definiri poſſe, propterea quod ipſorum agendi modus ſibi non ſemper reperiatur conſtans et quod ſaepius a diuerſitate corporis varie dirigatur. Redegit vero venena reſpectu virium, in acrium, ſtupefacientium, adſtringentium, (quae tamen rarius occurrunt) vel ex prioribus compoſitorum claſſes.

Signa quoque commemorat externa, vires p. 24.
venenatas plantarum hypothetice declarantia, quae in neglecta brutorum deuoratione, plantarumque ipſarum forma triſti, glutinoſa maleque olenti poſi-

ta ſunt, quae tamen merito pro dubiis pronunciaſſe videtur. Ordinem vero naturalem, quem dicunt, in contemplandis diuerſis ſtirpium generibus ſecutus eſt, adeoque ab incompletis ortus ſenſim ad perfectiores proceſſit plantarum familias. Haec vero plantas diuidendi methodus etſi in genere nobis non displiceat, tamen ex parte monendus videtur Cl. Auctor, quod eas plantas in plures diuiſerit claſſes, quae in vnam erant redigendae, quod quidem de polyantherarum ranunculorumque valere videtur generibus.

p. 34. Fungi vero, quorum plurimos pro dubiis atque fallacibus aſſumſit, etſi *Agaricum muſcarium* LINN. ſolum, vtpote notiſſimum et maxime deteſtandum ex venenoſis fungis genus, ſpeciatim conſiderauit; fungi, inquam, colore nigro, coeruleo, viridi diſcolorique inſtructi, odore ſubputrido, corpore mucaginoſo tenacique inſigniti, in putredinem celerrime abeuntes, coquendo duriores euadentes, et ſtipite cauo praediti a Cl. Auctore pro nociuis habentur. Antidota his oppoſitura, cognita quidem, repetere tamen licebit. Commendanda autem emetica omni acido carentia, vt ipecacuanhae radix, vitriolum album, potusque calidus frequentius propinatus. Ipſum quoque acetum, vim veneni frangens, vel oleoſum quoddam non rancidum copioſius ingeſtum, ad illam inuoluendam, reperietur vtiliſſimum. Terreorum vero, adſtringentium, diaphoreticorum, narcoticorum, inter quae opium eminet, aliorumque a veteribus hic adhibitorum remediorum vſum, niſi in genere, certe in hoc venenorum genere prorſus negligendum eſſe ſuadet. De *Agarico muscario* illud attentionem noſtram meretur, quod Ruſſiae Galliaeque incolis hicce fungus

varie

varie coctus eſca ſit gratiſſima et quod in Kamtſchadaliae regionibus ex ipſo potus inebrians optimi paretur ſaporis.

Ad incompletarum herbarum ordines, quorſum vnico floris tegumento praeditae pertinent, retulit *Chenopodium Hybridum*, de cuius vi venenata RVSTII *) nos certiores fecit induſtria, *Daphnen Mezereum*, *Polygonum Hydropiper*, *Aſarum Europaeum*, *Arum maculatum* et *Mercurialem perennem*. p. 41.

Ex graminibus vero *Lolii temulenti* ſolius fecit Cl. Auctor mentionem, in quo quidem contemplando, cum saepius ſegeti internaſcatur, ſtudioſiſſime curauit, vt ex ipſo comeſto oriunda pericula euitentur. Deſcripſit enim non ſolum externam ipſius faciem ſedulo, verum quoque remedia, quorum ope vel ex agris euelli, vel ex frumento collecto elici poſſit, vel ita certe mutari, vt de vſu illius amplius timendum ſit nihil. Emendabitur vero quae ipſi eſt nocendi facultas, toſtione, coctione in aqua ſimplici, vel aromatum, pinguium, aut denique braſſicae ſalitae admixtione. p. 58.

Iam vero ad Euphorbias ſe conuertit, atque cum omnes huius generis conueniant ſpecies, characteres genericos, nocendi modum, medicamenta ipſis opponenda, et quem caute adhibitae praeſtent medicis vſum, praemiſit. Commemorata vero ſunt *E. chamaeſyce*, *peplus*, *exigua acuta*, *pa-* p. 68.

Dd 5 *ralias*,

*) in Diff. de limitanda laude balſami vulnerarii DIPPELII, et olei martis per deliquium. Gotting. 1774. 4to.

*ralias*, *helioſcopia*, *verrucoſa*, *platyphyllos*, *eſula*, *cypariſſias*, *amygdaloides*, atque *ſyluatica*.

p. 81. Liliacea has ſequuntur, ex quibus *Colchici autumnalis* et *Veratri albi*, venenorum, ex STOERKII aliorumque ſcriptis ſat cognitorum, fecit mentionem.

p. 95. Ex Ringentibus *Pedicularis paluſtris*, et *Digitalis purpurea* niſi venenatae, certe dubiae, Ipſi videntur.

p. 99. Ad Solanaceas plantas, iſtas ſumme venenatas, ſtupefacientesque monopetalas regulares redegit. Commemorauit itaque *Daturam*, *Stramonium*, *Daturam Tatulam* per hypotheſin venenatam, *Hyoſciamum nigrum*, *Atropam Belladonnam*, *Solanum Dulcamaram*, *Solanum nigrum vulgare* et *Bryoniam albam*.

p. 135. Ad Polyandras venenatas vero relatas legimus *Actaeam ſpicatam*, cuius venenoſae vires a LINNEO detectas eſſe nouimus, *Aconitum Napellum* et *Lycoctonum*. *Anemonem Pulſatillam*, *nemoroſam et ranunculoidem*, quae quidem Ipſi venenoſi quid portendere videntur. *Clematidem vitalbam*, et *flammulam*. Erraſſe vero videtur Cl. Auctor in eo, quod *Anemonem Pulſatillam* LINN. pro *Pulſatilla nigricante* STOERKII *) habuerit, quam nimirum reliqui omnes non immerito pro *Anemone pratenſi* LINN. ob formam magis conuenientem, habere ſolent.

p. 156. Ranunculi Cl. Auctori omnes videntur ominoſi, quare ſingulos quoque huc retulit, quos Germaniae indigenos nouit. Nos vero, etſi KRAPFII **) hac in re nitatur auctoritate, vtriusque aſſertis nondum commouemur, vt plantas, oleribus merito adſociandas, veneni nomine proſcindamus.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 530.

**) v. comm. noſtr. Decad. II. Suppl. I. p. 128.

damus. Neutiquam tamen negamus eſſe plurimis Ranunculis necandi vires, ob ſummum, quo pollent, acorem, inſitas. Continet quoque ordo hic *Hellebori foetidi* et *Calthae paluſtris* hiſtoriam.

In Vmbellarum vero, vltimum locum occupantium, deſcriptione, id egit indefeſſe, vt venenoſae ab ſalutiferis facile dignoſcantur familiis, quare ſingulae herbae venenoſae ſalutarium, ipſi ſimilium, characteres illico ſubiunxit. Sic *Conio maculato Liguſticum Peloponneſiacum*, *Oenanthen fiſtuloſam*, *Phellandrium aquaticum*, *Cicutam viroſam*, *Scandicem odoratam*, et *Cerefolium*, *Chaerophyllum ſylueſtre*, *bulboſum*, *temulentum et hirſutum*, *Apiumque Petroſelinum* formaeque ipſorum ſubiunxit diſcrepantiam, *Sium latifolium* deſcripſit, *Cicutae viroſae* conuenientis cum *Angelica ſylueſtri*, *Aegopodio Podagraria*, *Sio nodifloro* aliisque modo commemoratis, docuit formam diuerſam. Addidit quoque *Aethuſam Cynapium*, *Chaerophyllum ſylueſtre*, *bulboſum* atque *temulum*, eaque pro venenis habet. Vltimi vero *Chaerophylli temulenti* ſolummodo ob nominis triuialis Linneani venenoſam faciem, mentionem feciſſe, Ipſe fatetur. p. 180.

## IV.

EIVSDEM *allgemeine Geſchichte der Gifte* 1. *Theil. Leipzig in der Weigandſchen Buchhandlung.* 1776. 8*vo Seitt.* 530.

i. e.

EIVSDEM hiſtoria generalis venenorum. Tomus primus.

Quae modo laudauimus Cl. Auctoris de venenis indigenis merita, multo magis aucta ſunt hoc, quod nunc indicaturi ſumus, opere. Tractavit

vit nempe vniuerſum pharmacorum lethalium ambitum ita, vt, praemiſſis in primo volumine generalioribus de venenis notandis, animalia hominibus interitum minitantia exponat, dein in altera operis parte herbas varie necantes deſcribat, et in vltimo denique libro ex minerali regno petitas diuerſas venenorum ſpecies prodat, quibus ipſis incognitorum quorundam venenorum hiſtorias ſubiungat. Qua quidem in re, quanta praeſtiterit Cl. Auctor, vt appareat, ſuccinctam Lectoribus noſtris exhibere librorum ipſorum epitomen, propoſuimus.

p. 7. Exhibuit vero Cl. Auctor ſtatim ab initio libri artis topicologicae definitionem, quae quidem ob notionem veneni ipſius amplam arduamque non ſine ſumma conſtitui firmarique poteſt difficultate, et in genere vniuerſae artis conſpectum breuem quidem, attamen accuratum proponit. Enarrat nimirum tanquam in introitu diuerſas venena cognoſcendi vias, auxilia variis generibus oppoſitura, et methodum venena ipſa nociuis viribus deletis contra morbos interne applicanda. Dicitur vero venenum corpus organicum, (ſidera enim nunquam hoc nomine proſcindenda) in naturam animalem non mutabile, mortem hominibus parua doſi, modo non perſpicuo, cellerrimeque concilians. Cognoſcuntur vero nocentes corporum naturalium qualitates ex rationibus ſequentibus; ex odore nempe teterrimo, ſubnauſeoſo, ex vi cauſtica externa, ex affinitate cum venenis dudum cognitis, ex abſtinentia beſtiarum ab illorum eſu vel ex damnis in animantibus brutis oriundis. A quibus vero poſterioribus cum ob naturarum diſcrepantiam ſaepius minus tuto colligi poſſit, ſuadet Cl. Auctor, vt in corporibus humanis experimenta inſtituantur, cum iis, de quorum virtute ambigitur, corporibus.

p. 18.

p. 27.

bus. Ad hanc vero rem conſequendam triplicem
propoſuit rationem, vel enim *ſanguinem* e venis
eductum ad hoc adhibere, iuſſit criterium, quod
tamen cum neque omnia venenorum genera ſan-
guinis imo neruorum perturbent maſſam, alia ve-
ro extra corpus ſanguinem deſtruant, quae ore
ſumta ne tantillum quidem nocere ſoleant, pro
dubio ſigno merito habuiſſe videtur. *Corpora* ve-
ro *malefactorum* ad hanc encheireſin aptiſſima, cum
non ſemper medicis tentaminibus committantur,
exiſtimat *medicorum ipſorum corpora* ad haec cona-
mina eſſe adhibenda, ſi cautiones, ab vnoquo-
que facile praeuidendae, non fuerint neglectae, ad
quod quidem non rationibus ſolum variis, verum
quoque quorundam medicorum ſumma auctorita-
te pollentium, exemplis alios inſtigare annititur.
Suadet deinde medicis, vt ſi ad homines, quos vene- p. 45.
no interemtos eſſe arbitrantur, fuerint arceſſiti, ſibi
caueant, ne vel in ipſius morbi diagnoſticis ſignis,
vel certe in venenoſae cauſae natura diſtinguenda
errent. Requiritur ea propter, vt primo naturam
mentemque et aegroti et ipſius cognatorum, eo-
rumque inſcitiam vel malitiam diſcere ſtudeant,
quae quidem ſaepius ſuſpicionem admodum fir-
mam praebere ſolent, videndum enim eſt ſedulo,
ne cum morbis putridis diuerſis, quales ſunt fe-
bres petechiales malignae, vel cum ipſis febribus
lentis confundantur. Quibus vero exploratis, ne-
ceſſe eſt, vt, ſi de veneno ſumto fuerit certum,
omnia eligantur, quae veneni naturam indolem-
que ipſis declarare poſſint. Valent vero ad hanc
rem cognoſcendam, loci, in quo venenum fuerit
repertum, ſedula diſquiſitio, vaſorum, in quibus aſ-
ſeruatum fuerit, inſpectio, excrementorum ipſo-
rum, veneni partes immutatas ſaepius producen-
tium, contemplatio, et alia plura, quae comme-
morare

p. 65. morare longum foret. Praeſeruationes generales, a variis temere laudatae, locum nunquam habent, ſed in ſpecie iis ſolum cautiones quaedam ſunt commendandae, quorum opificia, venenis iisdem diu multumque tractantibus, inquinantur. Sic metallicis, vt ex multis quaedam adducamus exempla, oleoſa cuiusvis generis proſunt, iis vero, qui aqua forti vel ſimili re efficienda occupantur, ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis naſo admotus eximie
p. 72. conuenire ſolet. Antidota, quae ad venenoſam vim eneruandam offeruntur, ſunt *emetica*; ſiquidem modo ingeſtum in ventriculi latebris adhuc retentum fuerit venenum, ad ſalini generis pharmaca ſoluenda deſtruendaque adhibeantur *aquoſa*, *olea* recentia odoris ſaporisque expertia venenorum acidorum imminuunt agendi potentiam, *mucilagines* his recte meritoque ſubſtituuntur, cum humoribus non ſolum facilius multo miſceantur, verum etiam calorem ventriculi olea deſtruentem optime ferant, *lac* vtiliſſimum erit in quouis veneni genere, niſi illud vel acidum vel ſpirituoſum fuerit, quae nempe lac cogere conſueuerunt, *acetum* alcalinis venenis putredinem inducentibus potentiſſime reſiſtens, metalla reſinasque optime et ſoluens et diluens, exhiberi nunquam poteſt, ſi venenum acidae fuerit naturae. Quae ab aliis commendata ſunt antidota niſi noxia certe inutilia Cl. Auctori videntur. Pertinet vero ad illorum claſſes *ſapo*, qui non niſi in ſcopo emeſin ciendi commendandus Ipſi videtur, *mel*, *opium* in ſummis ſpasmis propinetur, propterea quod non tam in veneni ipſius partes agat, quam in inteſtinorum vaſorumque parietes, et quod humorum ſumma reſolutio, ſolidorumque debilitas iſtius vſum nunquam non comitetur. Ex *terris* innumeris fere, veteribus vſitatis, *terram calcaream* et *argillaceam* in venenis acidae indolis exhi-

exhiberi quidem poſſe conceſſit, nunquam tamen in earum vſu acquieſcere ſuaſit, reliquas vero omnes, ventriculum onerandas, obeſſe plus, quam prodeſſe merito affirmauit. Quae praeterea a medicis commendata ſunt calida irritantiaque alexipharmaca, quorſum eſſentiae, ſpiritus, tincturaeque hoc nomine inſignitae pertinent, ea ſi quidem venenum quoque calefacientis fuerit naturae, ne medicaſtris quidem infimis reliquenda erunt. Ad cognitionem ſcriptorum de venenis agentium acquirendam et ad vſum huius doctrinae perſpiciendum, ad amplos ſuper his rebus tractatus Lectores remittere cogimur. p. 117.

Commemoratis vero diuiſionibus venenorum a diuerſis Auctoribus adhibitis, Ipſe ſuam ſubiunxit, quam dignam habemus, quae a nobis excerpatur. Diuiſit nimirum omnia venena a) *in vapores*, qui ſunt *obtundentes*, *ſuffocantes*, *ex vtrisque compoſiti*, et *paralyſin efficientes* b) *in venena palpabilia*, quae ſunt 1) *animalia* vel a natura vel a morbo in beſtiis procreata 2) *vegetabilia*, quae vel *naturalia* vel *non naturalia* ſunt, priora nocent vel ore ſumta vel corpori exteriori admota 3) *mineralia*, quae in *mechanica*, *chemicaque* diſpeſcit. Singula harum claſſium genera denuo ſubdiuiſit, ratione effectuum, quibus agant, in *acida*, *obtundentia neruos*, vel *adſtringentia*, quae omnia poſtea magis illuſtrare poterimus. p. 165.

Medentur homini vaporibus noxiis exſtincto varietas aëris, omnium in corpore reperiundorum vinculorum ſolutio, ſitus corporis erectus, frictio motusque vniuerſi corporis lenis, pediluuia calida, venaeſectio larga, aëris vel fumi tabaci in os, naſum vel anum iniectio, emeſis ope irritantis externi p. 170.

terni producta, odorem acrem ſpargentia, ſcuta
ſtomachica, aquae frigidae adſperſio, cucurbitu-
lae, emetica ex tartaro emetico parata, et, ſi in vi-
p. 187. tam iam redierit, cardiaca. Vapores, qui neruos
obtundunt, emendantur facillime aceti ope, iisque
omnibus, quae in genere contra vapores adhibenda
propoſuimus, omiſſo modo fumo nicotianae. Sunt
vero duplicis generis, *obtundentes proprie ſic dicti*,
et *exhalationes rerum graueolentium in locis aëri non*
*peruiis.* Ad priores pertinent exhalationes hyoſci-
ami, daturae, lolii, papaueris, croci, nicotianae,
nerii, lini, cannabis, conii, chaerophylli, fun-
gorum, hippomanes, atque rhois; ad poſteriores
vero liliorum, polianthis, violarum, ſambuci, po-
tuum inebriantium, aſae foetidae, et aliorum
p. 190. multorum. *Vapores ſuffocantes* ſunt a) *metallici*,
b) *acidi*, c) *alcalici*. E prioribus eminent arſenicales,
qui oleoſis euitantur, remediis vero inter genera-
liora dictis, fumo tabaci neglecto, tolluntur. In
vaporibus vero acidis, oleoſa et ammoniacalia ſpi-
rituoſa proſunt, pertinet vero ad horum vaporum
ſeriem acidum vitrioli, ſulphuris, nitri atque ſalis.
Ad alcalicos vero, quibus acetum aliaque acida ex ve-
getabilibus parata opponuntur, referenda ſunt,
phosphorus, ſpritus ſalis ammoniaci vterque, ſpiri-
tus vel ſal cornu cerui, plantarum leguminoſarum,
p. 212. alliorum, meloesque veſicatoriae perſpiratio. *Va-*
*pores obtundentes et ſuffocantes ſimul* emendantur
acceſſu aëris liberioris, ſuffimigiis ex ſulphure,
puluere pyrio, faſciis, aceto vel ſpiritu ſalis ammonia-
ci tinctis, ori naribusque applicatis. Homines
vero inde aegrotantes, ſanantur venae ſectione inpri-
mis in collo inſtituta, fumo tabaci, irritantibus qui-
busvis. Oriuntur vero eiusmodi vapores a lithantra-
cibus, vbi fodiuntur, a carbonibus in loco clauſo
aſſeruatis, a ſebaceis, oleo, cera, terebinthina
igni

igni traditis, a corporibus fermentantibus, vel putreſcentibus, ab hominum incarceratorum exhalationibus, in cellis cryptisque vel diu clauſis vel nouiter exſtructis, eiusdem quoque indolis ſunt inflammabiles iſti vapores in fodinis metallicis contenti. Tandem ad vltimum genus vaporum peſtiferorum, ad eos ſcilicet, qui paralyſin primo intuitu efficere videntur, accedimus. Ortum ducunt a plumbeis mercuriique exhalationibus, et vel tabem vel phthiſicam mortem inducere ſolent, niſi oleoſis, diluentibus vel electricitate ex medio tollantur. p. 245.

Tranſit iam Cl. Auctor ad alteram venenorum claſſem, ad *palpabilia* nempe, et illorum primum ordinem, *animalia*, vsque ad finem huius partis conſiderat. Sunt vero haec venena vel *naturalia* vel *praeternaturalia*, quorum priora inprimis in amphibiis reperiuntur, inque folliculis prope dentes poſitis aſſeruantur, et vehementiam ſuam tunc demum exſerunt, ſi per vulnus quoddam externum cum ſanguine ipſo immediate fuerint communicata; machinae enim humanae ſanitati non obeſſe dicuntur, ſi per os aſſumta, digeſta, per vaſa reſorbentia demum ſanguini miſcentur. Laudantur vero in hisce malis acida quaeuis inprimisque acetum, alcalia volatilia, oleum oliuarum, ob putredinem tamen ab hoc facile oriundam timendum, radix ſenegal ore ſumta externeque vulneri applicata, radix ophiorrhizae, lignum ophioxyli ſerpentini, aqua frigida ad vulnus eluendum, cucurbitulae vel veſicatoria parti affectae applicata. Sunt vero ſerpentium venenato morſu infeſtorum duo genera, *crotali* nempe atque *colubri*. Prioris illius quinque recenſentur ſpecies *Cr. miliaris*, *horridus*, *dryinas*, *duriſſus*, et *mutus*. Poſterioris vero multo p. 256. p. 268.

plures deſcribuntur, quarum nomina haec: *Col.*
*atropos*, *leberis*, *dipſas*, *mycterizans*, *lacteus*, *ſeue-*
*rus*, *ſtolatus*, *atrox*, *corallinus*, *naia*, *ammodytes*,
*lebetinus*, *niueus*, *vipera*, *haie*, *berus*, *preſter*,
*cherſea*, *aſpis*. Horum animantium formas pro-
prietatesque lectu digniſſimas tradidit Cl. Au-
ctor, quae cum ob ſpatii breuitatem repetere non
p. 296. poſſimus, nomina ſolum ſedulo deſcripſimus. Ne-
que defuerunt omni aeuo viri, qui huic illique
animali vires nocentes immerito adſcriberent, quo-
rum quoque animalium nomina tanquam in cata-
logo ſubiungi curauimus. Sunt vero *veſpertilio*
*murinus*, *tetrodon lineatus* et *ocellatus*, *trachinus dra-*
*co*, *apis mellifera*, *veſpa communis*, et *crabro*, *ſcor-*
*pio*, *aranea tarantula*, *raia paſtinaca*, *rana bufo*, et
p. 304. *lacerta gecko*. Sunt quoque quaedam animantium
genera, quae ſi comeſa fuerint, mortem inducunt
hominibus. Inter haec referendae ſunt *labri* quae-
dam ſpecies, *coturnices*, *cancer ruricola*, *mytilus*
*edulis*, *oſtrea edulis*, *perca venenoſa*, *hirudo* et *meloë*
*veſicatorius*. Notandum tamen eſt duo poſteriora
ſolummodo, ſemper venenatam exſerere vim, prio-
ra enim tunc demum veneficis viribus praedita
ſunt, ſi cibum quendam venenoſum aſſumſerunt.
Quae vero ab *meloë* et hirudine oriantur damna,
et qua ratione ſiſtantur, cognitum eſt, adeoque
p. 313. repetere ea noluimus. Animalia, ſenſum electri-
citatis producentia, duo adhuc ſunt detecta; *raia*
*torpedo* nempe et *gymnotus electricus*. Quae vero
immerito animantium venenatorum coetui an-
numerantur, cum neque mortem afferant, ne-
que mala, medicinam multam poſcentia. Venit
p. 325. iam ad vltimum genus venenorum animalium,
ad illud nempe, quod per morbum demum in ani-
malibus gignitur. Afficiuntur vero ſingula fe-
re animantium genera morbo quodam capitis,

quo

quo tempore ſi momorderint hominem, is in hydrophobiam incidit. De quibus quidem affectionibus et de remediis apte opponendis, ea de cauſa nihil ſumus dicturi, quod pluribus cognita eſſe arbitremur. Fatendum vero omnino eſt, ea, quae ab Cl. Auctore ſuper his rebus ſint dicta, Lectorum ſatisfactura eſſe expectationi.

## V.

EIVSDEM *allgemeine Geſchichte der Pflanzengifte. Nürnberg. bey Gabriel Nikolaus Raſpe.* 1777. 8. 1 *Alph.* 11 *Bog.*

i. e.

Vniuerſalis venenorum vegetabilium hiſtoria. Auctore EODEM.

In praefatione Cl. Auctor rationes indicat, cur quasdam plantas, quae interdum ex abuſu noxiae fiant, a venenis ſeparauerit, alias autem, etſi in minori doſi medicamenti inſtar agant, inter venena retulerit. Atque eas tantum plantas nominauit, quarum venenum certis experimentis probatum eſt: obſeruationes aliorum, illuſtrationis cauſſa, ſedulo commemorauit. In deſcribendis plantis magnam adhibuit operam, vſumque medicinalem vel alium breuiter tantum indicauit, et tentamina in animalibus inſtituta, ſi ad confirmandam vel demonſtrandam plantae venenatae vim quid conferrent, vberius quoque enarrauit.

Etſi ex characteribus quibusdam externis, atque ex obſeruatione plantarum, quas animalia in paſtu intactas relinquunt, plantae venenatae cognoſcuntur; tamen experimentis inſtitutis, et experientia caſu facta, ac medicorum et botanicorum repetitis obſeruationibus venenata plantarum indoles certiſſi- p. 2.

me cognoſcitur. Symptomata a venenis ſumtis medicum quoque ſaepe doceant neceſſe eſt: atque ſymptomatibus differunt venena animalium et mineralium a vegetabilibus, iis ipſis etiam diſcernat medicus, ex qua venenorum vegetabilium claſſe id
p. 12. ſit, cuius vires infringere ſtudet. Ipſa igitur venena vegetabilia, ſunt 1. *naturalia*, quae ex natura ſua vires venenatas habent; 2. *praeternaturalia*, quae vires noxias ex morbo, et mutata corruptaque naturali indole obtinent.

Naturalia venena nocent vel *intus* ſumta; vel *extus* applicata, vel vtroque modo. Priora ſunt acria, ſtupefacientia et paralyſin inducentia. *Acria*, eaque guſtu acerrimo rodente, odore tetro et ſuſpecto cognoſcuntur. Effecta ſubitanea et atrociſſima in internis partibus exſerunt, quae ſimilia ſunt ſymptomatibus febrium inflammatoriarum. Volatile, quod iis eſt, non tam copioſe odore ſentitur, quam in ſtupefacientibus; ſed deſtillatione, vel exſiccatione perit. Venenata harum acrium venenatarum plantarum indoles, ſalinae naturae proxima eſt, quibusdam exceptis, quarum vis a reſina pendet. Ideo, cum aqua ſalia diluat, haec ipſa, tepida, copioſiſſime ingeſta et externis partibus balneis et quocunque demum modo applicata, efficaciſſimum antidotum eſt habenda. Quae quidem aquae vis augetur, additis mucilaginoſis radicibus, herbis et fructibus, lacte, butyro; ſaepe acida vegetabilia, acetum, ſerum lactis acidum, potentia antidota praebent.

Quoad botanicos characteres hae plantae venenatae multum differunt: ideoque in claſſes eas diſpeſcit. Sunt enim

p. 23. 1. *Cucurbitaceae*, vti *Cucumis Colocynthis*.

2. *Lilia*,

2. *Lilia*, ſ. bulboſae. Huc pertinent *Fri-* p. 25.
*tillaria imperialis*, *Colchicum autumnale.*

3. *Perſonatae*, e. g. *Pedicularis paluſtris*, quae p. 39.
a bobus devorata mictum cruentum excitat: *Digitalis purpurea:* *Cyclamen Europaeum*, quod medium locum inter perſonatas et apocyna occupat. *Plumbago Europaea*, quae extus contra ſcabiem lotura adhibita totam cutem derodebat.

4. *Apocyna;* vt *Conuoluulus Scammonea*, p. 49.
*Cerbera ahouai*, cuius lignum, in aquam proiectum, piſces adeo ſtupidos reddit, vt manu capi queant; fructus ſ. nucleus indomabile venenum habetur. *Cerbera Manghas*, cuius fructus vomitus aliaque veneni effecta excitat. *Cynanchum erectum* et *viminale.* *Apocynum androſaemifolium*, cuius exhalationes faciem tumidam reddunt, et ſuccus lacteus manibus illitus easdem arrodit: *Apocynum cannabinum* et *Venetum.* *Aſclepias gigantea*, cuius ſuccus ad drachmam vnam cum dimidia interne ſumtus lethales ventri fluxus procreat.

5. *Vmbellatae*, ex his recenſentur: *Hydro-* p. 61.
*cotyle vulgaris*, quae oues inflammatione et mictu cruento afficit: *Oenanthe fiſtuloſa*, nauſeoſo ſapore ſuſpecta, et interne ſumta atrocia ſymptomata tandemque mortem affert, quod hiſtoria confirmatur. *Oenanthe crocata*, cuius odor iam vertiginem excitat. *Scandix infeſta*, quam ex nomine, a LINNEO ei dato, huc refert: *Thapſia foetida*, vomitus et lethales alui fluxus ciens.

6. *Ranunculis affines;* huc refertur *Aliſma* p. 73.
*plantago aquatica*, acris ſapore, bobus lethalis. *Clematis vitalba*, veſicatorias extus, intus lethales vires exſerens. *Clematis flammula*, *erecta*, et *integrifolia*, omnes eadem qualitate pollentes: *Anemone palmata*, *pulſatilla*, *pratenſis*, et *narciſſiflora*, quae parua doſi exhibitae, medicamenti, incaute datae,

veneni vim habent. *Caltha paluſtris*, in qua HALLERVS vrentem acredinem detexit et quam ERHARDVS inter venena retulit.

p. 89. 7. *Ranunculi* et plurimae quidem eius ſpecies, praeſertim R. *Flammula*, extus veſicas excitans, intus in equis et ouibus morbum hepatis inflammatorium mortemque producens. *R. lingua*, cuius acris vis priorem etiam ſuperat: R. *ficaria*, in radice maxima acris vis, praecipue ante infloreſcentiam, latet, reliquae partes omni acri expertes ſunt vi. *R. ſceleratus*, cuius omnes partes acres et noxiae ſunt. *R. Illyricus et bulboſus*, qui priorem acri vi aequant, ſi non ſuperant. R. *alpeſtris*, *polyanthemos*, et *acris*, ſimiles viribus: extus inſtar veſicatorii vtiles ſunt, et poſterior equis contra obſtructionem ſummam glandularum (*Rotz*, *la morue*) opitulatur: mittimus alias, quas etiam nominauit Cl. Auctor.

p. 119. 8. *Euphorbiae*, cuius omnes ſpecies acrem et noxium humorem continent, excepta *Euphorbia dulci* et *hirta*. Ipſis apibus nectar earum nocet.

p. 144. 9. *Incompletae*, quarum flos calyce aut corolla deſtituitur. Huc pertinet *Arum*, eiusque ſpecies: *Ari maculati* folia radice ſunt acriora, praeſertim recentia: *Polygonum Hydropiper*. *Saelanthus* FORSKAELII, eiusque duae ſpecies: S. *quadragonus* et *glanduloſus*, in Arabia naſcuntur hae plantae, ibique venenatae habentur. *Iatrophae* ſpecies, quarum ſemina potiſſimum maxime venenata ſunt. *Iatrophae Manihot* radix cruda celerrimum eſt venenum: *Ricinus communis*: *Croton Tiglium*, eiusque praeſertim lignum et ſemina.

10. *Arbores et frutices*. Huc pertinent *Daphnes* ſpecies. *Cneorum tricoccum*, *Amyris topifera*, ex cuius trunco niger et venenatus ſuccus ſtillat. *Rhus* omnesque eius ſpecies. *Excoecaria Agallocha*

*cha*, quae lignum Aloes vulgo dictum ſuppeditare dicitur. *Cambogia gutta*, ex qua *Gummi gutta* acerrimum venenum ſtillat. *Anacardium Occidentale*, in cuius nuce ſuccus rodens acer continetur. *Caryota vrens*, palma baccam venenatam fouens. Alias minus cognitas plantas ſubiunxit.

*Obſtupefacientia* venena, ea non tam ſapore, quam potius odore graui, nauſeoſo, et ſenſus obnubilante, caput grauante et ſtupefaciente cognoscuntur. Multa ſapore dulci ſeducunt. Exhalatio eorum iam nocet. Corpori applicata vertiginem, ſenſuum defectum, animi impotentiam, torporem et ſomnolentiam, tandem maniam excitant et ad mortem vſque hominem trucidant. Effecta in muſculis, ſanguine et humoribus reliquis producunt, maxime noxia, eosque ita reſoluunt, vt putridi plane fiant. Antidota ſunt primum vomitoria, deinde acida vegetabilia, adduntur veſicatoria et neruina. Plantas hoc veneno inſtructas ad quinque claſſes reduxit Cl. Auctor. p. 190.

1. *Solanaceae*, quorſum pertinet *Phyſalis ſomnifera*, *Solanum lycoperſicum*, *mammoſum*, et *inſanum*: *Atropa mandragora*, *Datura*, inprimis *Stramonium*, *Hyoſcyamus*, *Azalea Pontica*, quam pecora non tangunt, ſumta obſtupefacit ad mortem vſque. p. 197.

2. *Perſonatae*, vti *Antirrhinum orontium*, quod LINNEVS venenatum eſſe dixit. p. 245.

3. *Polyandrae*, e. g. *Actaea ſpicata*, quae extus veſicas excitat; baccae aues necant, hominibusque periculoſae ſunt. p. 247.

4. *Gramina*, vt *Lolium temulentum*, cuius ſemina valde venenata eſſe multis obſeruationibus conſtat. p. 249.

5. *Apetalae*; huc refert *Chenopodium hybridum*, quod periculoſa ſymptomata in corpore hu- p. 261.

mano produxiſſe teſtatur RÜST *): *Taxum baccatam*, cuius vis venenata nondum certe eſt demonſtrata.

p. 269. Denique plantas recenſet, quarum vis et *acris* et *ſtupefaciens* eſt: eae ideo quoque notas vtrarumque priorum claſſium quaſi coniunctas habent. Sapore et odore ſingulari ſenſus afficiunt, exhalationes earum ſenſus obnubilant. Symptomata priora coniuncta efficiunt, praecipue tamen humorum reſolutio celeris ſequitur. Antidota ſunt eadem, quae in obſtupefacientibus venenis. Caute adhibitae medicamentoſas vires exſerunt. Claſſes, ad quas eas reduxit, ſunt hae:

p. 273. 1. *Arbores et frutices*, vt *Hippomane mancinella*, cuius ſuccus lacteus acris et venenatus eſt: *Cancer ruricola*, poſt eſum fructuum huius arboris, venenatus hominibus fit. *Meniſpermum Cocculus*, cuius baccae piſces ſtupidos reddunt; hominibus nauſeam, animi deliquia, fluxus ventri cruentos creat. *Coriaria myrtifolia*, capris et ouibus convulſiones excitat; hominesque epilepſia ſaepius lethali corripiuntur baccis eiusdem comeſis, vt SAVVAGES **) expertus eſt. *Prunus lauroceraſus*, foliis et petalis periculoſa: aqua enim inde deſtillata hominibus eſt lethale venenum, quod HERISSANT ***) aliique experti ſunt: *Strychnos*, eiusque ſpecies, vt *nux vomica* et *colubrina*. *Nerium oleander*, cuius omnes partes amaro et acri ſapore praeditae vehementes et veneno proximas vires edunt.

p. 290. 2. *Solanaceae;* huc pertinent: *Atropa Belladonna*, de qua plurima exſtant teſtimonia ****) *Nicotia-*

*) In diſſertatione ſup. laudat. p. 425.

**) Hiſt. de l'academie de ſcienc. à Paris 1739. p. 473.

***) *Philoſ. Tranſact.* Vol. XLVII. p. 82.

****) DARIES diſſ. de Atropa Belladonna, Lipſ. 1776. 4.

*Nicotianae* ſpecies: Cl. Auctor hic quadraginta commemorat ſcripta ſuper huius plantae viribus. *Bryonia alba.*

3. *Vmbelliferae*, e. g. *Chaerophyllum* inprimis *ſyluestre* et *bulboſum.* *Aethuſa cynapium*, cuius diſcrimina a reliquis culinaribus vmbellis Cl. Auctor diligenter indicauit. *Sium latifolium*, cuius radix maniam et mortem in puero excitauit: *Cicuta viroſa*, quae plurima ſubitanea mala et tandem mortem excitans ſedulo a ſimilibus eſt diſtinguenda. Plurimis hiſtoriis Cl. Auctor venenatam eiusdem indolem illuſtrauit. *Conium maculatum;* planta et venenata et medicamentoſa indole ſatis celebris. p. 319.

4. *Polyandrae*, qualia ſunt: *Delphinium ſtaphys agria*, cuius ſemina inflammatoriam acredinem fouent. *Helleborus foetidus*, qui reliquis ſpeciebus fortius agit, alui fluxus mortemque inducit. p. 380.

5. *Plantae vno tantum floris inuolucro inſtructae*, vt *Mercurialis perennis*, cuius vſus a SLOANIO *) hominibus valde noxius perhibetur. p. 385.

6. *Fungi*, quorum ſane multi venenoſi ſunt, eoque periculoſiores, quo minus ſatis attente eorum ſpecies diſtingui ſolent. Atque, quum Cl. Auctor non omnes fungos, quos nonnulli Auctores venenatos dicunt, commemorare potuerit: hic generatim tantum indicauit noxas, quas fungi omnes etiam ii, qui vulgo comedi ſoleant, in humano corpore excitant, ſigna ſuſpectorum enumerauit et eos ſigillitatim recenſuit, quos certis experimentis venenatos eſſe confirmant. Hi ſunt *Agaricus muſcarius*, *piperatus*, *luteus* (*Champignon jaune*). p. 388.

Iam ſequuntur *venena*, *quae motus voluntarios impediunt*, eaque lente agunt, et prioribus debi- p. 403.

Ee 5 liora

*) Philoſoph. Tranſact. n. 203. p. 640.

liora ſunt. Huc pertinet *Lathyrus cicera*, et *Caruna* BANCROFTI. Vomitoria et mucilaginoſae oleoſaeque potiones antidota praebent.

p. 407. Altera in ſectione ea venena recenſentur, quae tum demum nocent, ſi in vulnere ſanguini immediate immiſcentur. Huc pertinet planta a BANCROFTO *Nibbees* dicta, quae forte ad *Ciſſum* LINN. huius radix maxime eſt venenata, eiusque ſucco inſpiſſato tela venenata redduntur: Succus hic calore funditur et fluidus fit, neque alcalinus, neque acidus eſt; ſanguini immixtus impedit ſecretionem ſeri ſanguinei a cruore. Si deglutitur vel extus cuti illinitur, nihil nocet, ſed in vul-
p. 413. nere lethalis eſt. Huc etiam pertinet venenum *Tirnuae*, cuius arboris CONDAMINE *) meminit, vti quoque *Lamae*, arboris Peruuianae, quam indicat VLLOA **). Antidota, praeter ſaccharum et ſal, adhuc incerta, nondum cognita ſunt.

p. 419. In tertia ſectione ea Cl. Auctor contemplatur venena, quae tam in vulnere, quam deglutita nocent et mortem inducunt: ea vel naturam *acrium* venenorum habent, vt *Veratrum album*, *Helleborus niger*, *Ranunculus Thora*, *Anemone nemoroſa*, et *ranunculoides*. *Aconitum cammarum*, et *Napellus*
p. 455. et *lycoctonum*. Vel ſunt *obſtupefacientia*, vt *Papauer ſomniferum*, praeſertim eius ſuccus inſpiſſatus, Opium: *Chelidonium Glaucium*: *Lactuca ſcariola et viroſa*, et alia ab Indis adhibita.

p. 489. *Praeternaturalia venena*, vel naturali corruptione oriuntur, vti clauus ſecalinus, vel ſecale cornicu-

*) Relation abregé d' un Voyage fait dans l' interieur de l' Amerique meridionale etc. Paris. 1745.

**) Relacion hiſtorion del viage al America meridional. et Philoſ. Tranſact. Vol. 47. p. 75. ſeq.

corniculatum, vſtilago, de quibus diligenter, quae paſſim ſcripta ſunt, collegit Cl. Auctor: deinde olera ab inſectis arroſa et iis obſeſſa, ſemina oleoſa, rancida facta, corpora nutrientia putrida, vti caro putrida, oua rancida, et ſimilia. Antidota in vomitoriis et acidis poſita ſunt. Vel haec venena p. 518. igne ex plantis producuntur, vti rancidum et foetens oleum tabaci, et cineres clauellati.

VI.

EIVSDEM *allgemeine Geſchichte der mineraliſchen Gifte. Nürnberg, bey G. N. Raſpe.* 1777. 8. *Seitt.* 316.

i. e.

EIVSDEM vniuerſalis hiſtoria venenorum mineralium.

Laetamur profecto inceptos de venenis labores Cl. Auctoris, ad finem eſſe perductos, cum non ſine ſumma hoc fieri potuerit opera et ſtudio. Quae quidem eo magis in hoc aucta videntur operis volumine, quo occultius lateant in eo conſiderata naturae corpora. Mineralia nempe, de quibus loquitur Cl. Auctor, forma ſua, natura effectibusque adeo inconſtantia, non poterant, niſi ſumma ſtudii aſſiduitate in eum redigi ordinem, in quem a Cl. Auctore relata videmus.

Praemiſſis vero breuiſſime antidotis vniuerſalibus, quae in oleoſis et aquoſis calidis affatim ſumtis conſiſtunt, venena ipſa in *acidorum*, et *adſtringentium* claſſes diſpeſcuit. Priores illorum iterum in *mechanica* et *chemica* ſubdiuiſit. Mechanicis, quae ipſi vel *naturalia* vel *artefacta* videntur, deſcriptis, antidotisque adhibendis nominatis, ad p. 3. p. 6.

quae

quae opium, vel venaeſectio in plethoricis ſaepius referenda, ad naturalia illa enarranda, accuratiusque deſcribenda progreditur. Sufficiat quaedam nominaſſe, cum omnia repetere noſtri inſtituti ratio non permittat. Pertinent vero ad haec Lapis Lazuli, cryſtallus montana, lapidesque pretioſi ſinguli, a veteribus in variis morbis laudati; ob figuram tamen, quae iis competit, iure meritoque ſuſpecti. Arte vero producta huius generis venena, hominibus conſueta ratione nocentia, brutis ne tantillum quidem obeſſe ſolent, et antimonii varia praeparata, vt regulum, crocum, vitrumque iſtius, aliaque magis trita atque in communi vita vſu recepta vitri genera, complectuntur.

p. 26. Tranſit dein Cl. Auctor ad venena acido mechanica chemicis conatibus progenita, quae quidem vel *ſalinae* indolis, vel *metallicae* proprie ſic dictae eſſe contendit. Retulit ea propter ad priorem venenorum ſeriem *a*) acida mineralia quaevis, qualia ſunt, vitrioli, nitri ſalisque, *b*) ſalia ex metallis variis, antimonio, mercurio, cupro, argento auroque, hoc et illo modo producta. Commemorauit vero quaeuis, quae ex his praeparantur, corpora, ipſorum formam deſcripſit, effectus inde ortos indicauit, eosque exemplis varii generis corroborauit, cautelas, quae noxas hinc redundantes impedire poſſint, praeſcripſit, variaque remedia, contra vim pharmacorum illorum applicanda, definiuit.

p. 99. Venena acido chemica complectuntur ea potiſſimum, quibus arſenicale ineſt principium, quae quidem eo periculoſiora eſſe exiſtimat Cl. Auctor,

Auctor, quo celerius et fortius agant, inprimis cum parua, exitiali tamen, doſi ore ſumta, vix quidquam, quod perniciem hinc oriundam declarare poſſit, manifeſtent. Exiſtimat, neque id immerito, niſi fallimur, incognitorum venenorum elementa vtplurimum in principio arſenicali eſſe quaerenda, propterea quod haec omnium optime velari, aliisque miſceri poſſint. Huc vero referantur quaeuis arſenici naturalis varietates, calces arſenicales, ſolutiones eiusdem diuerſaeque huius generis mixturae, ad quas poſteriores quoque ea relata videmus metalla, quorum conſtitutiuae particulae illius quandam continent quantitatem. Haec vero ſunt niccolum, cobaltum, antimonium rubrum, wismuthum, minerae cupri, argentique variae arſenicum fouentes, cognitae ſatis, ſtannumque ipſum. Etſi vero vniuerſa p. 130.
haec tractatio, nobis omnino placuerit, tamen Cl. Auctoris opinioni, de vſu arſenici in aqua ſoluti, ad carcinomatis progreſſum, ſiſtendum adhibiti, periculoſo, imo prorſus noxio, ſubſcribere non potuimus, cum rationes, quibus oppugnauerit Cl. FEBURE DE ST. ILDEFONT, experientiam non labefactare prorſus videantur.

Venena *obſtruentia*, adſtringentia prius dicta, p. 167.
quae multo lentius, quam priora agere ſolent, ſunt duplicis naturae, *metallicae* nempe atque *terreae*. Priora illa calcem wismuthi, plumbumque quouis modo ſumtum complectuntur, quorum vero praeparata, atque in animali machina effectus adeo cognitos eſſe ramur, vt repetitione illorum facile hic ſuperſedere poſſimus. Poſterioris vero generis venena, terreſtria dico, calcem, gypſumque continent.

Finitur

p. 260. Finitur vero de venenis tractatus exemplis variis venenorum adhuc indefinitorum ex omnis aeui hiſtoria petitis, quorum ſi quis habere voluerit notitiam, Cl. Auctoris librum ipſum vt adeat, neceſſe eſt.

p. 277. Is vero, quem adiecit, index venenorum deſcriptorum, omnium trium voluminum reſpicit venena, eumque, ad vnum quodque ſine magna difficultate inueniendum, multum collaturum eſſe ſumus perſuaſi.

Nos in recenſione horum librorum breuitati ſtudendum eſſe duximus: quum multa quidem diligenti obſeruatione Cl. Auctoris conſcripta ſint, praeſertim quod attinet deſcriptiones corporum, ſingulae rei ſubiunctas, quae ſane multam laudem merentur, magnaeque ſunt vtilitatis: plurima tamen aliorum Auctorum obſeruata hic collecta ſunt, quae ipſa vberius in libris legi merentur.

## VII.

Diſſertatio chemica de Arſenico, quam Praeſide M. TORB. BERGMANN, defendit *Andreas Pihl.* d. 7 Maj. 1777. Vpſaliae, 4. typis Edmannianis. plagg. 3.

Docte ſcripta et experimentis memoratu dignis ornata haec diſſertatio noſtram meretur attentionem. Arſenico ſalina *) et ſulphurea qualitas non ſemper, ſed quodam tantum ſtatu adſcribi poteſt. Neque arſenicum mineraliſans aliorum metal-

*) Acidum purum ex Arſenico elicuit SCHELIVS. vid. Kongl. Vet. acad. Handl. 1775.

metallorum ſubſtantia *) ſed vere ſemimetallum, a reliquis diuerſum eſt.

Arſenicum regulinum eſt 1. naturale, cuius p. 5.
loca natalia, et ſigna externa indicantur; 2 artificiale. Regulino adnumerat Pyritem arſenicalem, vulgo *Mißpickel* dictum, qui omni priuatus ſulphure, arſenico ferroque in forma metallica vnitis conſtat. Habitum deinde arſenici regulini, aliis via ſicca admixti materiis inquirit: nempe metallis vnitur, ſalibus alcalinis non, cum acido arſenici ſicco prius ſublimatur, quam illum adgredi poteſt acidum, ſi vero acido fuſo immittitur, accenditur et fuliginem ſpargit albam; cum ſublimato corroſiuo in deſtillatione butyrum fumans, paullum mercurii dulcis, et hydrargyrum currentem exhibet: ſulphure et hepate ſoluitur.

Via humida aliis materiis admixtum ſic ſe ha- p. 8.
bet: acidum vitrioli concentratum igne iuuante regulum adgreditur, ſic quoque acidum nitri; acidum ſalis ebulliens quidquam valet: acidum arſenici ſub digeſtione eum in calcem albam mutat. Solutiones reguli natiui ſemper cum alcali phlogiſticato coeruleum Berolinenſe porrigunt, quo ferri praeſentia probatur. Alcalia via humida ſerius, quam ſicca operantur. Olea vnguinoſa regulum ebullientia ſoluunt. Arſenicum et ferrum in miſcela naturali vnita acido ſalis vel aqua regis ſub digeſtione ſeparantur.

Arſenicum album nihil aliud eſſe dicit, quam p. 10.
acidum ab omni alio cognito diuerſum, tanta phlogiſti quantitate foetum, quanta eiusdem coagulationi ſufficit: 100 eius partes, 20 ſaltim phlogiſti adhuc continent; acidum hoc per ſe fixum eſt; igne vero candens ex calore phlogiſton ſuſcipit, arſenicum album regenerans. Veriſimillimum

Noſtro

*) vid. MONNET ſur. l' arſenic. comm. noſtr. Vol. XX. p. 254.

Noſtro eſt ſingula metalla eſſe acida diuerſa, phlogiſto intime ſaturata. Calces metallicae phlogiſto ſcatent, et pleraeque ſimul acidum continent aëreum.

Iam arſenici albi ſ. calcinati habitum, aliis et via ſicca, et via humida admixti materiis expendit.
p. 12. Alcalia arſenicata, quae vulgo acidis decomponi non poſſe perhibentur, re vera decomponuntur. Nam ſi, addito acido vitrioli, ſoluatur alcali vegetabile arſenicatum, ſal obtinetur tartaro vitriolato ſimile: Etſi ſolutio non turbatur, quoniam acidum arſenici, quod tantum ineſt, per ſe ſit ſolubile. Arſenicum album integrum, non ſolum arſenicale acidum, calcibus metallicis adunatur. Si acidum vitrioli arſenico albo adfuſum calore ad ſiccum vaporat; haec operatio, pluries repetita, arſenicum figit, phlogiſton auferendo, tandemque purum exhibet arſenici acidum. Similiter res ſe habet cum acido nitri. Gummi arſenici vulgo dictum, eſt arſenicum plus minus dephlogiſticatum, ſemper albo pauperius. Acidum ſalis, quod phlogiſton inſtar principii continet, concentratum arſenici albi tertiam ſui ponderis partem ebulliens ſoluit, eiusque ſub refrigeratione magna portio, acido ſalis ſaturata, ſeparatur, eſtque hic ſal reliquis multo volatilior. Acido ſalis non denudatur arſenici acidum: ſi vero arſenico albo, ad ſatietatem acido ſalis ſoluto, inſtilletur acidi nitroſi duplum, et hoc liquidum euaporet, reſtabit acidum arſenici, quod igne acido peregrino liberatur. Hinc patet arſenicales ſolutiones, acidis factas, ab indole conſueta recedere, quod phlogiſto adeo laxe adhaerenti, vt acidum arſenici denudetur, adſcribendum eſt.

Sequun-

Sequuntur arſenici mineraliſati diſquiſitiones. In aceruis minerarum arſenicalium vſtulatis haud raro egregiae occurrunt cryſtalli, partim tetraëdricae, partim octaëdricae, quarum nonnullae cauas tantum pyramides monſtrant trigonas vel tetragonas, triangulis ſingulis ex filamentis, lateribus reſpectiue parallelis, compoſitis. Pyramis caua trigona, minoribus ſaepe oppleta, magnitudine decreſcentibus, tetraëdrum; octo vero tetraëdra rite diſpoſita octaëdrum formant. Haec, via ſicca orta compages, illi omnino eſt ſimilis, qua via humida ſal culinare et alia conſtructa ſunt. p. 17.

In auripigmenti cum mercurio ſublimato corroſiuo deſtillatione liquor ſupernatans, quem oleo comparant Auctores, eſt butyrum magis dilutum, quod ob aquam praeſentem arſenicum parcius recipit. p. 19.

Acidum nitroſum riſigalli colorem rubrum in flauum mutat. Aqua regis arſenicum ſub diutina digeſtione ſuſcipit, adeo vt ſulphur ſolum in fundo maneat. Hinc rationem ſulphuris ad arſenicum eruere licet, inuenitque eam Cl. Auctor in cryſtallis riſigalli Puteolani vt 1 ad 19, in auripigmento Georgiano vt 1 ad 9. Ferrum non ſemper ineſt minerae argenti rubrae.

De vſu arſenici breuiter. In medicina atrociſſimum hoc venenum inſtar acidi maxime corroſiui agit. Thermae Carolinae morbis ex arſenico ortis medentur. *Pſilothrum* Turcicum auripigmentum continet. Vina mangoniſata *liquore probatorio* *) diſquiſita, vti quoque *hepate ſalino* cognoſcuntur. Aſt hoc medium foeda lucrandi cupido eludere didicit, niſi iterum chemiae ope fraus denudetur. Si cretae paullum vino eſt ſolutum, fallit p. 22.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 524.

ſallit hepar ſalinum; calcareum enim album ſimul decidens nigredinem minuit: copioſus tartarus probatorium liquorem ſpernit, quoniam tartari acidum calcem arripit, ſalemque album difficillime ſolubilem efficit.

## VIII.

*Beſtätigte Kräfte der Eicheln in einen Schreiben an den Herrn Doctor* LEOPOLD AUENBRUGGER *zu Wien von D.* M. I. MARX, *Hannover bey Iohann Willhelm Schmidt.* 1776. 8. *Seitt.* 68.

i. e.

Vires glandum confirmatas continens epiſtola M. I. MARX ad Experientiſſimum Virum LEOPOLDUM AUENBRUGGER.

Laudauimus iam tum, cum Cl. SCHROEDERI libellum de hac re recenſuimus *), Cl. MARX obſeruationes, quae vtilitatem huius remedii confirmabant. Tabes, tuſſis ſpaſtica, malum hyſtericum, in quo praeter glandes pro potu ordinario decoctum foliorum aurantiorum ſuadet; morbus conuulſiuus, cachexia cum menſtruorum impedimentis, aſthma ſpaſticum, dolores acerbi ad menſtrua, diarrhoea, catalepſis, epilepſia, ſoda, cardialgia, hydrops, haemorrhagia vteri, atrophia cet. ſunt morbi, quibus conduxit hoc remedium, a Noſtro partim, partim ab aliis obſeruati et cum Noſtro communicati. Finit has obſeruationes appendix, qua complectuntur ea obſeruata, quae Cl. MARX inſeruit promptuario Hannouerano et a nobis ſupra **) indicata ſunt.

Vtili-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 636. ſeqq.
**) v. ib. p. 638. tert. decad. Suppl. I. hor. comm. p. 25.

Vtiliter decocto glandum adiunxit folia aurantiorum, vti ſupra diximus, Cl. MARX, atque monet, forte experientiam docere in poſterum vtilitatem remedii neruini, inter vſum glandum. p. 29.

Communicatur hic caſus a Cl. BLOCH obſervatus, qui hydropem cum epilepſia ſpectat. Solo hoc remedio vſus eſt Cl. BLOCH feliciter cum lacte, chocolata, ſucco citri, prout guſtus aegri ferebat. Praeterea in variis chronicis morbis glandes feliciter et infeliciter adhibuit Cl. BLOCH, atque omnino obſeruauit, eas diureſin potiſſimum efficere. Sudorem vero viſcidum, quem Cl. SCHROEDERVS inprimis inter earum vſum animaduertit, bis modo vidit. p. 36.

## IX.

IAC. REINBOLDI SPIELMANN Doctoris et Profeſſoris Medicinae Cap. Thom. Can. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. et Petropolitan. Reg. Berolin. Patriot. Suec. Elect. Mogunt. et Palatin. Sodalis Regiae Scientiarum Pariſiens. Correſpondentis Syllabus medicamentorum. Argentorat. apud Bauer et Treuttel 1777. 8. pagg. 128. praeter praefationem et indicem.

Hic ſyllabus, vti ex praefatione elucet, exhibet medicis in praxi parum adhuc verſatis largum remediorum, quae ad ſcopum, quem ſolida morborum cognitio indicat, facere poſſunt, indicem et quantitatem, qua vna vice exhiberi queant, ſiue doſes et formas, quibus ea liceat accommodari. Ea medicamenta potiſſimum Cl. SPIELMANN elegit, ac congeſſit, quae in Pariſienſium, Würtenbergen-

ſium et Argentoratenſium pharmacopoliis proſtant. Nec praetermiſit ſuperflua et dubia medicamenta eaque inertia, quoniam iunioribus medicis non ſelectorum, ſed vſitatorum medicamentorum ſyllabum voluit exhibere. Redegit medicamenta ad therapeuticos titulos. Doſes ſtatuit circa heroica, quae homini robuſto et adulto conueniunt. Externorum remediorum quantitatem, cum ipſa pars, cui applicantur, vt plurimum determinet, pondere aut menſura hic definire non opus eſſe duxit Cl. Auctor.

En quaedam exempla:

Sal ſodae dr. 2. *Pulv. Elect. Potio Mixt.* med. Smegma.

Acaciarum exſiccat. dr. 1. *Pulv. Elect.* dr. 2. cum aqua vnc. 6 ad vnc. 3. *decoct.*

Oleum anethi deſt. ſcrup. ſem. *Elaeoſaccharum. Morsul. Rotul. Trochiſci. Balſam. Vnguent.*

Sulphur antimonii aurat. gr. 1. *Pulv. Bolus. Elect. Morſul. Rotul.*

X.

ERNST ANTONS NICOLAI *Pathologie oder Wiſſenſchaft von Krankheiten Vierter Band. Halle im Magdeburgiſchen von Carl Herrmann Hemmerde* 1775 8. *Seitt.* 416.

i. e.

ERNESTI ANTONII NICOLAI pathologia. Tom. IV.

In hoc tomo quarto *) perſequitur Cl. Auctor morbos ſyſtematis neruoſi: e. gr. animi deliquia vt lipothymiam, lipopſychiam, apopſychiam, eclypſin, ſyncopen, aſphyxiam, quae gradu differunt,

*) Priores tomos v. ſupra p. 334.

ferunt, apoplexiae varias ſpecies, paralyſes, hemiplegias, lethargum, carum, coma ſomnolentum ex vigili, catalepſin, tetanum, emproſthotonum et opiſthotonum, ſpasmos clonicos et tonicos, epilepſiam, choream St. VITI ex morſu tarantulae, coecitatem et cataractae varias ſpecies, nyctalopiam et hemeralopiam.

Actiones vitales et motus vitales dum Noſter contemplatur, ad lipothymias varias, ex ſpasmo ſcilicet, ex defectu virium, ex haemorrhagiis ſponte et arte obortis, ex nimia animi commotione, ex idioſyncraſia, ex aëre, exaeſtuatione corporis, polypis, ex fabrica laeſa cordis, a conuulſionibus, venenis, externis laeſionibus, concubitu et grauiditate, paracenteſi cet. oriundas Cl. Auctor ſeſe confert. p. 3.

Animi deliquium et interdum mors ex paracenteſi, tribuitur a Noſtro non preſſioni aortae, ſed reſpirationi impeditae ex nimia laxitate muſculorum abdominalium, qui, aqua omni euacuata, reſiſtere nequeunt, ad quod ideo impediendum ſuadet Noſter abdominis compreſſionem. p. 34.

Periodicis animi deliquiis enarratis ſequelas eorum Noſter attendit et Cl. SAVVAGES *) diuiſionem et nomina animi deliquiorum addit. Neruis eorumque fabrica conſideratis, ſenſum et motum Cl. Auctor conſiderat. Vis mouens fibris, contextui celluloſo, membranis, vaſis, canalibus aliiſque, praecipue vero fibris muſcularibus et muſculis propria duplex Noſtro videtur, nimirum *elaſtica* ſeu *phyſica*, quae conuenit cum aliis elaſticis corporibus, et *vis viua*, quae a vita pendet, ſit quaecunque ſit. p. 39. p. 64. p. 68.

Sententias porro de effectu neruorum, vt GRAVENII, EBERHARDI, ROBINSONI, KRÜGERI aliorumque p. 73.



*) vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 37.

rumque virorum doctorum communicat Cl. Auctor et de elaſticitate, tenſione, materia neruea, eius motu, neruorum diuiſione in ſenſorios et motorios, ſede animi in ſenſorio communi, irritabilitateque varia diſputat.

p. 109. Poſtquam Cl. Auctor in vniuerſum de ſtatu praeternaturali cerebri et neruorum, eorum officium turbante, diſſeruit, ad apoplexiam venit eiusque varietatem perpendit. Ac primum quidem diſtinguit apoplexiam ab animi deliquio, ſopore, lethargo, catarrho ſuffocatiuo et epilepſia, dein varios apoplexiae gradus expendit, vt eſt apoplexia ſanguinea, ſeroſa, pituitoſa, polypoſa, purulenta, ſpaſtica, idiopathica et ſymptomatica cet. et exemplis confirmat.

p. 170. Paralyſes aut oriuntur ab apoplexia et eius ſunt ſequelae, aut ſine ea. Produnt ſemper vitium vel nerui, vel vaſorum vel fibrarum muſcularium ſeu muſculorum.

p. 219. Tetanum, quem Noſter a catalepſi diſtinguit,
p. 245. diuidit in vniuerſalem et particularem. Ad particularem pertinent trismus, ſpasmus cynicus, tortura oris, ſeu ſpasmus maxillae inferioris, ſtrabismus, priapiſmus, tetanus diaphragmatis et gloſſocele.

p. 251. Spasmi clonici ſunt motus conuulſiui ſeu conuulſiones. Ad epilepſiam requiruntur motus conuulſiui vnius vel plurium partium et abolitio ſenſuum. Fortiores et debiliores conuulſiui motus gradum epilepſiae definiunt. Laudat inprimis hic Cl. TISSOTUM *).

p. 261. Tranſit Noſter ad choream ST. VITI **) et tarantismum. Tarantiſmo laborantes appellantur taran-

*) v. Tr. de l'Epilepſie v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 698.
**) v. comm. noſtr. l. c.

tarantati, tarantolati, tarantuliti. Hi aegroti a tarantula iсti in dubium vocantur et eorum morbus vel ad ſimulatos vel ad hyſtericos aut hypochondriacos aliosque morbos refertur *). Feminis potius ſolennis eſt, quam viris.

Differit hic Noſter de imbecillitate motuum et ſenſuum et de vitiis ſenſuum in genere. Ac primum quidem coecitatem perſequitur Cl. Auctor. Atque hic ſedes cataractae variaeque eius ſpecies conſiderantur, vt ſunt vera et ſpuria, ſolida et fluida, cryſtallina, membranacea, cyſtica, purulenta, lactea, caſeoſa, fibroſa, filamentoſa, fluctuans, tremula ſ. mobilis, mixta et compoſita, amauroſis ſ. gutta ſerena cet. et cauſae cataractarum diſquiruntur. Inter cauſas amauroſeos numerat Noſter et ſtagnationem viſcidi tenacis in neruo optico, qua occaſione ſaliuationis mentionem facit, quippe quae remedium amauroſeos praedicatur. Id vero non vbique mederi amauroſi, quid quod per ſaliuationem amauroſin oriri poſſe, Noſter aſſerit. p. 292. p. 376.

Finit Cl. Auctor hunc tomum quartum nyctalopia et hemeralopia et, vti ſolet, exempla a variis Auctoribus collecta notat. p. 387.

## XI.

Aduerſaria Medica. Auctore I. D. METZGER. M. D. Celſ. Com. Benth. Steinf. Conſ. Aul. et Archiatr. Com. Steinf. Phyſ. Ord. Continent chirurgica, phyſiologica, practica. Traiecti ad Moſam. Typis I. E. Dufour et Francof. ad Moenum in officina Eslingeriana. MDCCLXXV. 8. plagg. 18 I.



*) v. ib. Vol. IV. p. 452. it. Vol. VIII. p. 4. ſqq. Vol. XI. p. 486. it. Vol. XX. p. 487.

Exhibet Cl. METZGER in hoc, cuius ſummam iam proponamus, libro quinque diuerſi argumenti tractatus. In priori nempe de laeſionibus capitis quaedam meletemata proponit; in altero virtutem neruorum eorumque imperium diiudicat; in tertio de antagoniſmo naturae ſolemni diſſerit; in quarto hiſtoriam variolarum artificialium narrat; et in quinto denique morbum ſectionemque hominis ob oſſeum oeſophagum fame conſumti exponit.

p. 3. Primo capiti cauſas praemiſit, quae ipſum impulerunt, vt de hac chirurgiae parte ea collegerit, quae adhuc a viris in arte claris ſparſim copioſiusque fuerunt dicta. Praecipua vero cauſa fuit, chirurgorum quorundam in hiſce morbis ſanandis inſcitia, ab doctrinae ipſius ambitu per plurium librorum volumina nimium diffuſo, magis magisque aucta.

p. 12. Praemittit vero anatomen atque phyſiologiam cerebri, vulneribus viſceris ipſis. Reſpondetur in hoc capite ad tres inprimis quaeſtiones; nempe an aeque ſenſiles ſint omnes partes encephali, quae plurimum ſentiat, et denique vtrum medullae ſentiendi facultas ſit praeferenda corticis ſenſibilitati. Quibus quidem ita ſatisfacere ſtudet, vt dicat, partes cerebri ſuperiores ſenſu hebetiori gaudere, quam inferiores, quod chirurgia commonſtrare videtur. Ex inferioribus vero cerebri partibus medulla oblongata ſenſu acutiſſimo praedita eſſe videtur Cl. Auctori, propterea quod vulnera aliarum partium omnium non ſint abſolute lethalia, huius vero partis vulnera mortem illico ſequantur. Tertiam quaeſtionem ita diſſoluit, vt affirmet, corticem a medulla in ſentiendo neutiquam ſuperari, imo aequiparandam eſſe illius vim huius ſenſui.

Deſcri-

Deſcriptis integumentis cerebri variis, notio- p. 19.
nem laeſionum capitis variarum exhibet, quarum
quidem tres conſtituit ſpecies. Prima illarum te-
gumenta externa, oſſibus encephaloque ſaluis, de-
ſtruit, altera morbos oſſium cerebrique ipſius vulne-
ra absque omni tamen viſceris illius commotione
comprehendit, tertia denique encephalum ipſum
commotum, caluaria ſiue laeſa ſiue illaeſa fuerit, ſpe-
ctat. De prioribus illis vix quicquam ſe dicturum eſſe
affirmat, propterea quod neque vitae, neque ſani-
tati hominis multum periculi afferre ſoleant, hor-
taturque medentes, vt ad vltimum genus eo ſtudio-
ſius attendant, quo maiora vulgo in aegroto exci-
tet damna.

Diſſerit deinde de Auctoribus, qui de commo- p. 23.
tionibus cerebri egerunt, atque de illorum variis
placitis, quae de cauſa huius concuſſionis ſtatue-
runt. Ipſe vero putat, cauſam huius mali in me-
dulla oblongata compreſſa eſſe quaerendam. Di-
verſitas vero ſymptomatum compreſſionem ſequen-
tium vnice, vt Ipſi videtur, pendet a differente
grauitate, directioneque corporis laedentis.

Cauſam ſanguinis per ictum extrauaſati in ce- p. 32.
rebro repetit a debilitatis vel ruptis encephali
vaſis, arterioſis aeque, atque venoſis. Vulnera
vero ſclopetaria inprimis hocce ſtipantur ſympto-
mate; quorum quoque vulnerum exemplo Cl. LE
CAT, aſſeuerans a ſanguine vel ſero in cerebrum
effuſo apoplexiam oriri nunquam, ſed ex ſpasmo-
dicis durae menyngis contractionibus, refutatur.

Symptomata a concuſſione cerebri orta, quae p. 38.
memorauit Cl. Auctor ex CELSI, VAN SWIETEN
aliorumque operibus, iam cognita, hic omit-
timus. Refutauit opinionem eorum, qui ad ex- p. 44.
plicandam conuulſionum cauſam, commotio-
nem cerebri in parte affectae oppoſita ſequentium,

ad acrimoniam vel decuſſationem neruorum confugiunt, putauitque ſympathiam neruorum ſolam, ad rite explicandum illud phaenomenum, ſufficere. Diuiſit deinde ſymptomata ab commotione
p. 47. cerebri progenita, in *primaria* et *ſecundaria*: quorum priora ab ipſa commotione, concuſſionis ipſius momento, cieri ſolent, poſteriora vero ab effuſione humorum ſuam ducunt originem. Haec eo magis ſunt attendenda, quo ſaepius ortus tempore varient, mox enim citius, mox tardius, mox cum primariis ſimul aegrum inuadunt, ita vt a prioribus ſaepe non absque difficultate diſcerni queant.
p. 53. Diſſeritur porro de cauſis vomitus, mictionis aluinaeque excretionis inuoluntariae, quae quidem ſigna non tam a ſphincterum paralyſi, quam ab ipſorum ſpaſmo deriuantur. Putat enim harum regionum ſphincteres, animo neutiquam obtemperare, adeoque ipſorum actionem, animi cum corpore commercio turbato, ceſſare non poſſe, quod quoque ex paralyſeos morti accedentis exemplo corroborare ſtudet, atque ex retentione ſcybalorum lotiique orta, ſi paralyſi deſtruuntur nerui inteſtinorum atque veſicae ob compreſſam medullam
p. 60. ſpinalem, a qua fuerint profecti. Symptomatum ex concuſſione ortarum vehementiam, ab ictus varietate deriuandam eſſe merito cenſet. Inter ſymptomata vero huius mali atrociſſima refert apoplexiae quoddam genus a ſola cerebri turbatione, nec a cauſis apoplexiae conſuetis obortam.

p. 65. Diſcrimen vero ſequelarum ab effuſo in cerebro humore ortarum, pendet 1) ab humoris ipſius *genere*, ſeroſus nimirum a vaſis bibulis facillime reſorbendus, minora procreabit damna; 2) ab eius *copia*, corrumpet enim facillime, ſi nimius fuerit extrauaſatus, cerebri ipſius maſſam; 3) a *loco*, in quem effuſio fuerit facta, minoris namque momenti

menti erit effuſum in tegumentis vel ſuperioribus partibus cerebri, propterea quod, remediis fruſtra tentatis, trepanatione certe auferri poterit; 4) *a celeritate*, qua effluxit, preſſioni enim paulatim euenienti ſenſim aſſuefiet cerebrum. Sequelae vero effuſi, ſunt pro diuerſa fluidi natura vel inflammatio cerebri vel hydrocephalus, eaeque medelam vix accipiunt. Metaſtaſis humorum ſi euenerit, non ſolum ad hepar, vt Cl. BERTRANDO viſum eſt, contingit, ſed ſi MORGAGNO fides eſt habenda, ad ſingula aliarum cauitatum viſcera.

Therapia generalis conſiſtit in corporis quie- p. 70.
te, in remediis reſorptionem promouentibus, atque in neruinis roborantibus, inter quae cortex Peruuianus eminet. Probat deinde SWIETENII, p. 72.
HALLERI aliorumque auctoritate ſanguinem, ſerumque extrauaſatum reſorberi vtplurimum, et experimenti cuiusdam ope, a ſemet ipſo in cane venatico, cui cranio diffracto ſanguinem inſtillauerat, inſtituto confirmat. Hanc vero reſorptionem con- p. 79.
ciliant *venaeſectio largior* in vena ſaphena et in iugulari, quo et deducatur et minuatur in capite ſanguinis maſſa, *cucurbitulae*, et *veſicantia* nuchae inprimis applicata. Praeter diaetam parciſſimam p. 85.
ſunt, his factis, *purgantia eccoprotica*, quorſum etiam *clyſmata* pertinent, exhibenda, *diluentia* porro *acidulata*, *reſoluentia* interne externeue applicata, inter quae camphora, ſalia media inprimisque nitrum eminent, et cataplasmata, emplaſtra, vel fomenta neruina. Commendat hic inprimis RVYSCHII fotum, cuius formula haec: ℞. *Hb. Betonicae* et *Maioranae* āā Man. ĳ. *Saluiae* et *Rutae* āā Man. jß. *Flor. ſtoechadis* et *Lauendulae* āā Man. j. *Roſarum rubrarum*, Man. ß. Coqu. l. a. ex. ſ. q. vini albi ad libras ĳj. Quo quidem fomento ſolo feminam, quae e curru in terram congelatam ceciderat,

p. 88. rat, ſanauit. Trepani vſum, ſi ſine apparente laeſione cranii commotum eſt cerebrum, ob rationes dudum cognitas, magnopere commendare non eſt
p. 104. auſus. Carpuntur Cll. POTT et RICHTERVS in dura menynge a cerebro auulſa, vulnerata et ſuppurante grauium illorum effectuum fontem quaerentes, trepanumque nimis commendantes.

p. 109. In altera ſectione, ponderatis prius aduerſariorum argumentis, fluidi neruei praeſentiam refellit; dein de facultate ſentiendi mouendique diſſerens, Hallerianae fere accedit ſententiae, ſenſum tribuens neruis, motum vero muſculorum vitali vel irritabili naturae, ad cuius tamen vigorem conſeruandum neruorum Ipſi ſuccurrere videtur integritas.

p. 129. In tertio vero aduerſario de antagoniſmo naturae ſolemni faciens verba; triplicem prius facultatis motricis in corpore humano indagat fontem, qui nempe eſt *elaſticitatis*, *vitalitalis*, et ſit venia verbo, *nervoſitatis*. Definito dein antagoniſmo, per niſum, quo in contrarium motum cientur organa vnius partis diuerſa, ita vt in actione conſtituta altera, neceſſario alterius contractio ceſſet: ponit eundem vt cauſam mouentem in omnibus fere corporis viſceribus, vitalibus aeque ac naturalibus. Eſt nempe ad mentem Cl. Auctoris antagoniſmus cauſa cordis vaſorum ſanguiferorum dilatatorum vel contractorum; ſunt pylori cardiaeque fibrae circulares reliquarum ventriculi fibrarum, coli valvula inteſtinorum tenuium, ſphincter ani atque veſicae inteſtinorum craſſorum, atque detruſoris vrinae antagoniſtae. Veſiculis ſeminalibus ſphincterulos muſculoſasque in genere concedit fibras, ſibi et contrariantes, et ſemen in venereo actu propel-

propellentes; in cyſtide fellea vel muſculoſas fibras vel certe membranaceas contractiles fingendas eſſe ſtatuit, quibus antagoniſtae ſint gyroſae circumuolutiones ceruicis. In vtero vires antagoniſticas latere cum Cll. LEVRETO, HVQVENINO, et GEHLERO ſtatuit. De muſculorum vero voluntariorum antagoniſmo ad mentem HALLERI agitur.

Enarrauit dein in quarta parte, hiſtorias morborum varioloſorum artificialium, a ſe excitatorum. Inſtituit vero methodum ipſam in brachio ad mentem Cl. POVTEAV, praemiſſa leni alui ductione, et mercuriali quidem, ſi vermium id exigebat praeſentia. Vnus ex aegrotis ſecundo febris eruptoriae die conuulſionibus contorſus vitam finiuit, in alio variolas ipſas abſceſſus varii generis ſecuti ſunt, reliqui omnes optime conualuerunt. p. 159.

Vltimo loco de oſſeo oeſophago tradit hiſtoriam. Euenit vero hoc malum homini ſpiritus frumenti potu abutenti, qui emeticis purgantibusque a medicaſtris diu vexatus; tandem febre continua emaciatus efflauit animam. In cadaueris ipſius ſectione vidit praeter oeſophagum, reliqua abdominis viſcera ſanitate gaudere optima, ille enim valde contractus, calloſus oſſeusque cernebatur. Glandulae conglobatae, quae ipſi adiacere ſolent, durae erant et atrae. Emollientia in hoc malo vix vſus vllius fuiſſent, quippe quod nimis iam fuerit inueteratum. Pharyngotomia et inſtrumentum ex balaena fabrefactum ad lumen oeſophagi reſtituendum in ſummo tractanda fuiſſent malo. p. 175.

XII.

## XII.

EDUARDI SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae Lugd. Batrauorum apud P. v. D. Eyk. et D. Vygh MDCCLXXVII. 4. pagg. 151. praeter dedicationem atque praefationem. c. tab. aen. 8.

Imitatur Cl. SANDIFORT exemplum ALBINI, quod dedit in eius annotationibus academicis, his ſuis obſeruationibus anatomico pathologicis edendis et verſatur in iis ipſis elaborandis ita, vt quae viderit, in ſectionibus cadauerum, crebro a Cl. Auctore inſtitutis, non ſolum enarret, verum etiam breuiter indicet, quid ſimili de re adnotarint alii. Ac primum quidem decem hic offert obſeruationes lectu profecto dignas, additis iconibus vere nitidiſſimis cum diligentiſſima earum explicatione.

In capite primo perſequitur Cl. Auctor *rariſſimum cordis vitium.* Quo comparato cum aliorum virorum obſeruationibus, quas intermiſcuit, enarratur hic caſus. Primo aetatis anno vix elapſo, vbi infans ſanus quoque fuit, terribilium ſymptomatum ſequentium initia ſeſe manifeſtarunt. Digitorum quippe vnguiumque liuor non continuus, ſed nunc plus, nunc minus apparens, laſſitudo inſignis, catarrhus graui anxia tuſſi ſtipatus, in facie maculae plurimae, primum rubrae, dein liuidae, poſt defatigationem corporis faciei manuum, pedum liuor, labiorum et linguae color ad nigrum ſaepe vergens, dolor preſſorius in ſuperiore parte capitis, anxietas praeſertim tempore hyema-

hyemali, frigus tantum, vt ne vnquam corpus incaleſceret, et ſudaret. Variolis veris et ſpuriis nec non morbillis feliciter ſuperatis intereaque malo nec aucto nec imminuto, palpitationes cordis vehementiſſimae ſequebantur, cet.

Conſtantia et perpetua phaenomena haec p. 18.
erant. 1) Magnam ſpirandi difficultatem poſt corporis motum et ſpectabiles vaſorum in collo pulſationes. 2) Faciem pleniorem, quam proportio carnium in artubus ferebat, eandemque inter anhelitus liuentem, oculis turgidis et ſanguine interdum ſuffuſis. 3) Vrinam ſemper ſaturato colore ſine ſedimento. 4) Aluum tardiſſimam non modo tempore anorexias, ſed etiam vigente cibi appetitione. 5) Aſſiduum frigoris ſenſum, etiam calente ad tactum cute, qui puerum non deſerebat, niſi in lecto poſt plenam corporis calefactionem, nam et hyeme iuxta focum ſedens de horrore et algore querebatur, et per aeſtatem ardentiſſimos ſolis radios aut ignem culinarem deſiderabat. 6) Denique et hoc conſtanter vidit, mollem ventrem et ſanguinis e naribus fluxum, qui per interualla incidebat, magnum identidem levamen attuliſſe.

Perniciofos prunarum halitus tenerum pul- p. 19.
monem in prima infantia vitiaſſe et pertinaci aſthmati occaſionem dediſſe credebatur, inprimis cum malum non eſſe connatum affirmaretur.

Remedia, nihil praeſtiterunt praeter haec tria.

1) Hirudines ad collum et pone aures adhibitae dolores capitis notabiliter ſedabant. 2) Cum lingua valde ſordida, ſpiritus oris foetidiſſimus, anorexia, inflatio praecordiorum ſolito maior, ali-

quo-

quotie fuerint, lene emeticum euidenter profuit et ad plures dies. 3) Praecipuam tamen opem praeſtabant pilulae catharticae, ea moderatione datae, vt aluus mollis ſeruaretur, nec tamen liquida fieret.

p. 26. Inſtituta cadaueris ſectione et aperta thoracis cauitate, vna maſſa conſpiciebatur, totam ferme cauitatem adimplens et pulmones quam maxime comprimens, quae erat pericardium, continens inſigniter diſtentum et ſanguine repletiſſimum cor, ita vt pulmones aegre in conſpectum venirent. Parum aquae inerat pericardio et dexter ventriculus cordis multo magis ſanguine turgebat, quam ſiniſter. Venae omnes per externam cordis ſuperficiem incedentes, coronariarum rami erant multum dilatatae. Aorta magis, quam ſolet, in principio dilatata, ſed arteria pulmonalis eo loco, vbi ex corde oritur, mirum in modum ad bifurcationem ferme vſque contracta erat. Canalis arterioſi nullum adfuit veſtigium. Pulmones parui et compreſſi nullam labem externe prae ſe ferebant. In pariete inter dextrum atque ſiniſtrum ſinum obuio foramen ouale aperturam monſtrabat, quae craſſiorem ſtilum admittebat. Aorta enaſcebatur ex ventriculis ambobus et ſanguinem omnem ex vtroque accipere debebat. Arteria pulmonalis ſupra valuulas abſciſſa, has paruas admodum ferme concretas et ſubſtantia quadam granuloſa carneas excreſcentias referente obſeſſas exhibuit cet. Icones additae, hanc cordis et vaſorum aberrationem melius declarant.

p. 33. Connatum fuiſſe hoc vitium, etiamſi primo aetatis anno ſaniſſimus vixit infans, longe verior videtur Noſtro coniectura, quam acquiſitum.

In

In capite ſecundo de *cordis, valuularumque arteriae aortae nonnullis morbis* agitur. Pergit hic Cl. Auctor partim varias cordis aberrationes et concretiones enarrare; partim valuularum duritiem, craſſitiem, immobilitatem, cartilaginoſam indolem, oſſeſcentias, eroſiones, excreſcentias, lacerationes et rupturas commemorat et quaſdam earum valuularum vitia iconibus illuſtrat. Tres valuulas orificio aortae adpoſitas adeo duras, reuera oſſeas Noſter vidit, vt figura ipſarum nullo modo mutari poſſet, et orificium maxime anguſtarent, ita tamen, vt ſanguinem a corde admittere potuiſſent, non vero ex aorta, ſeſe contrahente, reditum impedire. Item induratis cartilagineis, oſſeisque particulis obſeſſas valuulas Cl. Auctor animaduertit, ſic tamen, vt officio ſuo functae fuiſſe viderentur, etc.

In principio aortae varias ſquamas oſſeas Noſter aliquoties vidit; in alio cadauere arteriae innominatae ſeu trunci Loweriani tantam duritiem oſſeam reperit, vt figura ipſius vel maxima compreſſione mutari nequiret; in cadauere vetulae ſemilunares valuulae in os mutatae erant et ramus arteriae coeliacae, qui ad lienem tendit, canalem tortuoſum totum oſſeum retulit; in binis aortae finis et principia iliacarum arteriarum eodem modo erant mutata. p. 54.

In capite tertio diſſeritur de *hernia veſicae vaginali*. Plurimis in locis *) herniae oriuntur et vix vllum viſcus abdomine contentum datur, quin tumo- p. 55.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 428. ib. 430. Vol. XII. p. 37.

tumorem huius naturae ſubinde produxerit. Rarius autem herniae iſtae, in perinaeo aut in vagina vteri occurrunt.

p. 58. Virgo viginti quinque annorum hyſterica tuſſi conuulſiua et ſicca laborabat, qua ceſſante, ſuppreſſio vrinae ſubſequebatur, catheteriſmo ſubleuata, quae ſaepius rediit cum tuſſi conuulſiua, conuulſionibus et lipothymia. Inprimis lipothymia ſequebatur catheteriſmum ob impedimenta, a chirurgo percepta. In vagina tumorem inſignem parieti ipſius ſuperioris continuum cum fluctuatione Cl. Auctor percepit, quo compreſſo, conatus ad mingendum enaſcebantur, nulla vero vrina exibat, niſi cathetere. Peſſarium itaque curabat Noſter, quod ex arundine, qua piſcatores vtuntur, erat formatum, vaginae longitudini accommodatum et cera obductum, ita tamen, vt ſpongiae ſicciſſimae pars alteri ipſius lateri adnecteretur, ideo, vt haec, humore intumeſcens, anteriorem vaginae partem commode ſuſtineret et, reiterato catheteriſmo, impediretur, quominus veſica multum extenderetur. Quo peſſario aegra per annos vſa eſt, dein et ſine eo nullam amplius vrinam mittendi ſenſit moleſtiam.

p. 61. Signa herniae veſicae in vagina ſunt abſentia tumoris in regione hypogaſtrica ſupra oſſa pubis, praeſentia vero ipſius in vagina, augmentum voluminis, collecta vrinae copia, decrementum, facta compreſſione aut immiſſo cathetere et eius ope euocato lotio. Quae ſigna omnino omnia in Noſtri exemplo adſunt.

p. 62. Peſſarium itaque erat remedium vnicum in hac hernia veſicae vrinariae in vagina. Nam ſpongia, quae ab aliis quoque hic laudatur, et Noſtro quoque in mentem venit, ob irritationis, arroſionis inflammationisque impedimenta, non vſus eſt.

In

In capite quarto de *hernia inteſtino vaginali aliisque huius morbi ſpeciebus* Noſter ediſſerit. Quae a Noſtro hic deſcribitur, vera erat hernia ilei, elapſi inter vterum atque inteſtinum rectum, quae vaginam ſic protruſerat, vt vuluam omnino clauderet. p. 65.

Omnes tales herniae, pauciſſimis exceptis, ſemper propemodum ab ileo, raro a colo et coeco ſunt formatae. Tumoris magnitudo erat varia, locus etiam non ſemper idem, nunc in anteriori, nunc in laterali, nunc in poſteriori vaginae parte. In aliis lente, in aliis ſubito hae herniae oriebantur. Plerumque peritonaeum, rarius disruptum, ſaccum formauit. Cum inteſtino omentum etiam excidit et inteſtinali herniae veſica ſeſe etiam adiunxit, vel et alii hoc in loco morbi eodem tempore fuere viſi, etc. p. 68.

Taxis commode peracta eſt, decumbente aegra, ſic vt abdominales muſculi maxime eſſent relaxati et corpus inclinatum in latus, ſedi mali oppoſitum. Antea clysmata, venaeſectiones, etc. iuvabant. Operatio hactenus nondum eſt tentata. Repoſitas partes optime retinuit peſſarium ad figuram operculi dolii formatum et roborauit iniectio adſtringens. p. 69.

Inter aliarum herniarum ſpecies Noſter memorat herniam inguinalem in vtroque latere, femoralem in viro, quae alias feminis ſunt frequentiores, vmbilicalem in fetu et vetula ſat magnam. Confirmatur hac vetulae obſeruatione, vti ex ſectione elucebat, ſententia eorum, qui hernias umbilicales ſaccatas eſſe ſtatuunt, refutaturque illorum opinio, qui illas nunquam niſi rupto peritonaeo fieri aſſerunt, interdum tamen, etiamſi raro, ruptura vera negari nequit. p. 70.

p. 78. In capite quinto de *vaſis emulgentibus et pelui renum* Noſter varias obſeruauit aberrationes, quae in nulla alia corporis parte toties in conſpe-ctum veniunt, quoties in renibus. Vidit Noſter venae renalis ſiniſtrae pone aortam ad renem ſuum decurſum. In cadauere viri ren dexter integer erat, vaſa vero vtriusque renis erant iuſto plura.
p. 82. Duplex arteria et vena reperiebantur. Vena, quae ad renem ſuccenturiatum tendebat, ſeparato principio ex vena caua proueniebat et reni etiam ramum dabat.

p. 83. Siniſter vero ren erat praeternaturalis. „Anterior ipſius ſuperficies peritonaeo accumbens, maxime exſecta erat; poſterior vltra anteriorem verſus ſpinam ſeſe multum extendebat. Sinus itaque ab anteriore conſpiciebatur et hunc intrabant vaſa arterioſa, egrediebantur venoſa et rami peluis. Arteria duplex erat, altera ſolito loco ex aorta enaſcens, in binos ramos, dein in plures fiſſa, ſuperiorem renis partem ingrediebatur, altera ex aorta infra meſentericam inferiorem originem ducens, inferiori renis parti ſanguinem impertiebat. Vena ex vena caua producta recto tramite ad mediam circiter renis partem vergebat, ante ingreſſum tamen venam emittens rurſus ad renem ſuccenturiatum, alteram deorſum, quae incuruo ductu partem inferiorem renis petebat, emiſſa tamen prius vena ſpermatica. Peluis renis, quae caeterum ex parte poſteriore et interiore producitur, hic ſeſe in anteriore parte tota nuda monſtrabat, ſic vt ſinui, inter ſuperficiem anteriorem et poſteriorem relicto, incumberet, inſignis magnitudinis, quinque etiam ramos ſuos, ex rene inter venoſa et arterioſa vaſa egredientes, nudos exhibens, dein vre-
p. 84. theri originem praebens ſolito more„. EVSTA-

CHIVS

chivs et haenivs *) dederunt ſimiles figuras renum et praeterea ſimilem obſeruauit in cadauere feminae.

In capite ſexto *calculi renalis* hiſtoriam tradit. Hic calculus circiter quatuor pollices cum dimidio longus, vltra duos latus, ferme duos craſſus, nouem gaudet tuberculis, quorum vnum omnium maximum, in octo iterum eminentias ſurgit, alia planiorem ſuperficiem habent, tria inuicem confluxerunt, bina figuram papillae mammae muliebris monſtrant. Inter omnia haec tubercula ſuperficies glabra ſatis conſpicitur. Confluunt omnia tubercula inuicem et corpus calculi craſſum admodum conſtituunt, quod rotundo fine definit. Sex vncias cum dimidia pondere aequat. Figuras lineares huius calculi Noſter hic addidit. Aeger, dum viuebat, de nullis calculi ſymptomatibus **) conqueſtus eſt. p. 86.

In capite ſeptimo *anchyloſin inferioris maxillae* Noſter deſcribit. Nullum eſſe articulum non ſubinde concretum, variis exemplis Cl. Auctor probat, et exſtant in Eius collectione varia huius morbi ſpecimina, quorum rariſſimum hic tradit, forte alia occaſione alia ſeſe deſcripturum eſſe pollicetur. Anchyloſis nempe maxillae inferioris, in coemeterio inuenta, inter rariores Noſtro videtur referenda. p. 96.

In capite octauo *de tumoribus vtero annexis* colliguntur a Noſtro exempla. Obliquus vteri ſitus a variis cauſis poteſt effici, ad quas Noſter hic p. 106.

 refert

*) v. rat. med. cont. Tom. II. part. 2. pag. 8 tab. 1. fig. 1.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 696.

refert tumores ſcirrhoſos in cadauere feminae quinquaginta circiter annorum. Occupabat tumor partem lateralem ſiniſtram vteri, magnitudine iuglandem referens, duritie vero cum ſteatomate conueniens. In cadaueris ſectione in dextro latere principium ſimilis tumoris, piri magnitudinem non ſuperantis, conſpiciebatur. Tumor maior ex ſubſtantia vteri eradicari potuit et ipſius interiora
p. 108. pinguedini induratae non erant abſimilia. Alius praeterea tumoris, pugni magnitudine et concrementis oſſeis impleti, Cl. Auctor hic mentionem facit.

p. 116. In capite nono *de duro quodam corpuſculo nervo auditorio adhaerente* a Cl. Auctore exemplum communicatur. Quod neruo auditorio dextro et medullae oblongatae adhaerebat; tantae duritiei, vt ferme cartilaginem referret, etc. Longitudo huius corpuſculi erat ſex linearum, latitudo in parte latiore quinque, in parte minus lata trium, craſſities quatuor linearum. Superficies eius valde erat inaequalis, variis tuberculis obſeſſa, nec potuit hoc a neruo facile ſeparari. Quo diſſecto, interiorem partem molliorem, ſic tamen, vt particulae duriores interſperſae eſſent, et exteriorem duriorem Noſter obſeruauit. Compreſſionem nerui, ab hoc corpuſculo factam, refert Noſter inter cauſas ſurditatis, vt aliis exemplis probat.

p. 121. Finit has obſeruationes caput decimum *de appendice ex inteſtino ileo enata.* Haec appendix, quae a Cl. LITTRE *) quoque eſt obſeruata et hernia Littriana nominata, ex ileo enaſcebatur et ſingulari modo cum meſenterio cohaerebat. Ex parte illa inteſtini, quae meſenterio oppoſita eſt, diuerticulum

*) Mém. de l'Acad. des ſcienc. l'an 1700 pag. 300.

ticulum amplo admodum enaſcebatur oſtio in coecum finem deſinens, eiusdem circiter capacitatis et craſſitiei quoad tunicas atque inteſtinum ipſum, facillime aërem admittens illoque diſtentum, apice incuruatum. Ex quo filum prodibat tenue, forte tamen, ad ſuperiorem meſenterii partem tendens illique diuerticulum hoc adnectens. Ante natiuitatem huius infantis, vel in ipſo partu, vel mox a natiuitate mortui, hanc appendiculam exſtitiſſe, nullum dubium eſt. Simile quid repertum eſt in cadaueribus iliaca paſſione demortuorum. Occurrunt eiusmodi diuerticula et in duodeno inque recto. Noſter in ileo aliquoties pollicem et vltra longas appendices eiusdem capacitatis cum inteſtino animaduertit, neutiquam in inteſtino alio.

## XIII.

Obſeruations on the abuſe of Medicine, by THOMAS WHITERS M. D. London. Printed for I. Iohnſon No 72. St. Paul's Church-yard 1775. 8. pagg. 356.

i. e.

Obſeruationes de abuſu medicinae, Auctore Cl. THOMA WHITERS.

Septem ſectionibus, quae attinent venaeſectionem, vomitoria et laxantia, diaphoretica, veſicantia, ſtimulantia, mobilitatem et vim fibrae muſcularis debilitantia remedia, et denique roborantia, Cl. Auctor, hunc libellum, qui et in Germanicam linguam *) translatus eſt, diuidit. Abuſum medicamen-



*) *Bemerkungen über die Fehler, die bey dem Gebrauch der Arzneymittel begangen werden, durch* THOMAS WHITERS *der A. K. D. Aus dem Engliſchen überſezt Leipzig bey M. G. Weidmanns Erben und Reich,* 1776. 8. *maj.*

dicamentorum hic potiſſimum vrget Noſter, qui cernitur vel in nimis crebro medicamentorum vſu, vel in eorum omni neglectu.

Sect. I. p. 1. Praefert Noſter ſcarificationem hirudinum applicationi. Euacuatio enim ſanguinis eſt celerior et relaxatio inflammatarum partium longe maior. Sanguinis porro copia poteſt certius definiri, nullus ſequitur tumor, nec ſanguinis extrauaſatio, vti poſt hirudinum applicationem fieri ſolet, et tandem vulnera, per ſcarificationem facta, facilius ſanant, quam per morſus hirudinum excitata. Vtrique autem huic ſanguinis euacuationi poſtponit Cl. Auctor arteriae ſectionem, cuius quidem vtilitatem et efficaciam non negat, interim tamen ob varia incommoda, quae cernuntur in ſanguinis quantitate definienda, in fluxu ſanguinis ſedando cet. ei minime fauet. Vteri inflammationis cauſam quaerit Noſter in nimis ſubita ſecundinarum extractione, id quod contractioni vteri et naturae viribus eſt committendum. Antequam Noſter ad venaeſectionem in podagricis interdum vtiliter inſtituendam ſeſe conuertit, quam vtilem et inutilem iudicat, diſtinguit materiam rheumaticam et podagricam ſ. arthriticam. Diuerſae potiſſimum ſunt hae materiae ratione ſedis, durationis, doloris, reuerſionis cet. Quod vero ad venaeſectionem in podagricis attinet, arbitratur Noſter tum, cum podagra iam a puero apparuit, pulſus eſt plenus celer et fortis, podagra eſt regularis, extremas occupat partes cum dolore, rubore, tumore, anxietate, ſomni defectu; nec vniuerſales, nec partiales ſanguinis euacuationes poſſe nocere. Porro quando materia podagrica ad internas partes conuerſa eſt, et inflammationes cerebri, pulmonum, ventriculi, viſcerumque abdominalium cauſat, venae-

ſectio-

ſectionem largitur, vti in aliis morbis inflammatoriis, adhibitis remediis externis, quae materiam rurſus euocant. In morbillis ſuadet Cl. Auctor ſecundum Cl. MEAD ſententiam venaeſectionem, quippe qua pulmones et internae omnino partes a materia morbilloſa non ita affici poſſunt, vt, ſicuti fieri ſolet, phthiſis pulmonalis ſeu alia febris lentae ſpecies praecaueatur.

Dum Noſter vſum et abuſum emeticorum et purgantium remediorum perſequitur, euacuationem primarum viarum interdum eſſe ſubſtituendam ſuadet venaeſectioni, tum ſcilicet, cum nimia debilitas venaeſectionem non permittit. Secundum ſententiam nonnullorum recentiorum antimonialibus medicamentis adſcribitur virtus ſpecifica in pectoris inflammationibus; Noſter autem optat, vt hanc in rem paulo accuratius inquiratur, quoniam ſpecificae virtutis nomen Ei videtur hic nimis amplum atque incertum, aliaque remedia praeterea adſunt, non negligenda in hoc caſu. Laxantia, quae ſolent, variolis ſuperatis, plerumque et fere indifferenter dari, Noſter nec vbique reiicit, nec ſemper largitur, et laudat inprimis Cl. GREGORY, qui, aegris valde debilitatis, morbo varioloſo aegre ſuperato, potius corticem Peruuianum cum vino exhibuit, quam purgantia. Salia media in dyſenteria ſunt innocua et ſaepe valde vtilia, draſtica autem ſemper nocent et ſunt his illa certe praeferenda. Clyſmata ex ſola calida aqua in magna quantitate e. gr. duarum vel trium menſurarum, fortioribus purgantibus medicinis fruſtra antea adhibitis, alui obſtructionem iuuabant. Sect. II. p. 69.

Sect.III p. 127. Iam ad ſudorifica medicamenta Noſter venit et eorum commoda et incommoda recenſet. Sudor ſit vel naturalis vel artificialis, oportet medicum quam accuratiſſime eum attendere. Ille enim, qui violenta vi, ſingulis in partibus corporis humani et praeterea viſcidus obſeruatur, raro vel nunquam prodeſt. Criticus ſudor non frequenter eſt nimius, ſed lenis, continuus et per totum corpus apparens. Interdum inſenſibilis fere humiditas morbo finem imponit. Quod ſi vero ſymptomata augentur, aeſtus et anxietates durant, pulſuum ictus celeres ſunt et duri, ſudore prorumpente ſupprimendus eſt talis. Inter ſudorifera medicamenta etiam emetica, tam vt euacuantia, quam in parca doſi exhibita vt alterantia, contemplatur iisque diaphoreticam vim tribuit. Opium quoque addunt quidam emeticis, vti factum eſt in Cl. DOWERI *) puluere, quem laudant in morbis arthriticis et rheumaticis ad ſudorem excitandum. Finiunt hanc ſectionem incommoda ſudoriferorum remediorum in morbis exanthematicis et acutis.

Sect.IV p. 171. Tranſit nunc Noſter ad veſicatoria. Secundum Noſtri ſententiam oportet eos, qui in effectuum explicandorum ex externa cantharidum applicatione verſantur occupatione, inprimis reſpicere ad influxum eorum in fibras motrices corporis et in inde ortam irritationem. Inter alias virtutes, quae inſunt cantharidibus, memoratur quoque a Noſtro vis antiſpasmodica.

Sect. V. p. 204. Pergit Noſter porro in conſiderandis medicamentis ſtimulantibus atque irritantibus. Ac potiſſimum quidem hic Noſter vrget errores, qui committuntur, cum aeſtu atque calore, fomentationi-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 352.

tionibus calidis, vino, ſalibus alcalinis volatilibus, irritamentis externis, vt ſtrepitus, nimia lux, cet. balſamicis et expectorantibus remediis, item irritantibus, cum mercurio dulci et corporis exercitatione. Poſſet, vti Noſter ratur, radix ſerpentariae Virginianae ex officinis prorſus proſcribi. Ineſt ei quidam noxius ſtimulus et proſtant tutiora et certiora remedia. Cl. CVLLEN non omnem quidem ei radici denegat virtutem, quam ipſe in febribus obſeruauit, interim tamen fatetur, ſe illam ideo non amplius adhibere, quoniam illius vtilitas incerta et vis adeo inflammatoriae indolis eſt. Praefert Cl. Auctor omnibus reliquis methodis mercurium adhibendi inunctionem, interneque mixturam Plenkianam *).

Iam venit Noſter ad remedia ſedatiua ſ. ſedantia. Intelligit hic Noſter ea remedia, quae mobilitatem et vim fibrarum muſcularium debilitant et inter multa anodyna et narcotica remedia, huc pertinentia, potiſſimum inquirit in theae, coffeae, nicotianae et opii vires et effectus. De opii vſu in inflammatoriis morbis cauto exempla proponuntur e. g. in variolis, morbillis, tuſſi catharrali, rheumatiſmo e. ſ. p. Sect. VI. p. 265.

Inter remedia tonica potiſſimum Noſter contemplatur corticem Peruuianum, et in genere balnea frigida, martialia, amara et adſtringentia. Docuit experientia, amara remedia et corticem Peruvianum diu et temere adhibita corpora non ſolum non roboraſſe, ſed multo potius etiam debilitaſſe. Praecipuae remotae cauſae febris intermittentis cernuntur in contagio et vaporibus, exhalantibus in humidis et ſpurcis locis. Sect. VII. p. 305.

XIV.

*) v. com. noſtr. IIdae decad. Suppl. II. p. 274.

XIV.

Iournal de médécine, chirurgie, pharmacie cet. Par. M. A. ROVX Année 1774. Tom. XLI. à Paris chez Vincent 8. 1 Alph. 12 plagg. 1 tab. aen. et Tom. XLII. ib. eod. 1 Alph. 12. plagg.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam et pharmaciam pertinens. Auctore Cl. A. ROUX Vol. XLI et XLII.

Progredimur ad annum 1774, in cuius menſe ianuario haec continentur.

Vol. XLI. p. 26. 1) Cl. ROCHARD *de repercuſſione pediculari mutata in eruptionem ſcabioſam.* Iuuenis ob fiſtulam ani in noſocomium Duacenſe, cuius curam gerit Cl. Auctor, deferebatur; qui cum per totum corpus pediculis obtectus eſſet, moniales, aegrorum curam gerentes, liquore ex aceto, pipere, aliiſque remediis actiuis eum fricabant et ita corpus depurabant: ſed poſt aliquot dies praegreſſo vehementiſſimo pruritu, puſtulae ſcabioſae per totum corpus emergebant, quae, abſoluta fiſtulae curatione, ſolitis remediis antipſoricis depellebantur. Huius mutationis cauſſam Cl. Auctor in ouulis pediculorum per frictiones cum aceto ſub epidermidem retropulſis, ibidemque excluſis, ponit, ſimulque narrat, ex puſtula ſcabioſa nondum aperta, cum eam acu aperuiſſet, aquam limpidiſſimam emanaſſe, in qua globulus albi coloris, vix nudis oculis diſtinguendus, haeſerit; hunc, quum oculo armato eum examinaret, continuiſſe animalculum viuum, forma teſtudinem aequans, coloris albi, ſed in dorſo paullum

lum nigri, pilis longis, pedibus ſex, capite acuto, duabus exiguis palpis in apice oris inſtructum, admodum agile; et alia euaſione in parte profundiore epidermidis ſe vidiſſe ouula minima, alba, fere pellucida, oblonga, ſemini pinus ſimilia.

2) *Epiſtol.* Cl. A. FIGUET *ad* Cl. ROUSTAGNENT *de euulſione vteri.* Femina ob tumorem, in vagina enatum, grauida putabatur, praeſertim quum alia ſigna, grauiditatem mentientia, accederent: inde, ſubito orto dolore, abortum imminere arbitrabantur, et femina per quatuor dies doloribus continuis excruciabatur, donec obſtetricius accedens ſumma vi adhibita non quidem infantem, ſed corpus peregrinum extraheret, quam operationem haemorrhagia largiſſima, ſed breui ſubſiſtens, inſequebatur. Corpus autem extractum quum curatius inſpiceretur, erat vterus ipſe cum vagina, ille ſanus et vacuus, ligamentis latis et rotundis prope adhaeſionem abruptis, haec vero circulariter et irregulariter lacerata, in cuius ſiniſtro latere prope orificium vteri tumor durus, oui anſerini magnitudine, pediculo inſiſtens, adhaerebat, itidem dilaceratus. Femina ipſa genitalia inflexa et ſenſiliſſima offerebat et digito in vaginam immiſſo nil niſi ingens ſpatium ſine fundo detegebatur. Idem operator, qui hoc malum induxerat, eamdem, eatenus reſtituebat, vt Cl. Auctor illam poſt quatuor ac dimidium annos vivam adhuc, licet omnino infirmam ac triſtem vitam degentem, videret: praecipue incontinentia vrinae moleſtiſſima laborabat, quum non tantum meatus vrinarius ſolito amplior eſſet, ſed etiam parua fiſtula in corpus veſicae ipſum penetraret: praeterea per interualla doloribus renum, ad regionem hypogaſtricam ſe extendentibus, multum affligebatur. p. 40.

3) Cl.

p. 57. 3) Cl. LASSAUZÉE *deſcriptio noui torcularis.* Globus comprimens firmatur ope laminae cupreae, quae in oppoſita membri parte applicatur, et non per cochleam, vt in torculari PETITI, ſed per bacillum ſuper globum collocatum, quantum neceſſitas requirit, adſtringitur. Ampliorem cognitionem inſpectio tabulae aeri inciſae, quae ſingulas huius machinae partes ſiſtit, exhibet.

p. 65. 4) Cl. MAIAVLT *diſſertatio de operatione fiſtulae ani, filo plumbeo peracta.* Inuentum Cl. FOUBERT eſt, qui filum eiuſmodi mediante acu lardario ſimili in fiſtulam ingerit, et a virtute ſoluente et exſiccante plumbi, quam iniectionibus vini adiuuat, depurationem ac poſtea conſolidationem vlceris obtinet. Noſter vero iniectiones plane omittit, et tantummodo omni circiter octiduo vel intra breuius quoque tempus filum plumbeum agitat et torquet, donec illud ſponte excidat; ſi tunc, quod interdum accidit, leuius vlcus in margine fiſtulae remaneat, illud paucis diebus elapſis optime ſanatur. Exempla curationum felici cum ſucceſſu peractarum ſubiunguntur.

p. 82. 5) EIUSDEM *obſeruatio de vulnere capitis telo inflicto, cuius cuſpis per vndecim annos in cerebro haeſit.* Telum ſub extractione tentata frangebatur, cuſpide relicta: vlcus fiſtuloſum poſt biennium demum conſolidabatur, firma cicatrice nata, ita vt ignarus praeſentiam corporis peregrini ne ſuſpicari quidem potuiſſet. Interim ſaepiſſime affectus ſyncoptici vel conuulſiui aegrum, perpetua cephalaea laborantem, excruciabant, qui tamen interea negotiis conſuetis vacabat. Poſt nouem demum a vulnere accepto annos Noſtrum conſulebat, qui cicatrice inciſa paruum foramen in oſſe detegebat, quod admodum profunde penetrabat, et quum trepani applicationem in parte ſquamoſa oſſis tempo-

rum

rum timeret, os lima abradebat, donec dura mater denudata eſſet; in hac foramen quidem, per quod telum tranſierat, detegebat, ſed, illa inciſa, hoc tamen inuenire non poterat. Tunc pus foetidum et nigrum copioſe emanabat, et ſenſim paralyſis totius lateris oppoſiti, febris, delirium, ſopor accedebat, et poſt 28 a prima inciſione dies telum ex fundo cerebri educebatur, ingenti copia materiae nigrae foetidae ſubſequente: poſt quatuor vero dies aeger viribus exhauſtus peribat. Aperto cranio lobus medius cerebri eo in loco, vbi foveae temporali inſidet, fere prorſus ſuppuratione deſtructus apparebat, et cauitas iſta ſaccum formaverat, ad latus et infra inciſuram ſellae Turcicae, cui telum incubuerat, ſe extendentem. Pars ſquamoſa oſſis temporum, quae cerebrum reſpicit, valde concaua et attenuata erat, forte a repetitis pulſibus durae matris.

Menſe Februario.

1. Cl. PUJOL crebro vidit, *Zeam mays* in ſolo pingui et humido in medio ſpicarum, quae maſculos flores gerunt, vel etiam in earum ſummitate, flores femineos protuliſſe, feminibus quoque, quantum ex adſpectu iudicare poterat, maturis; fecunditatem eorum enim nondum exploravit. Explicationem huius phaenomeni ab abundantia nutrimenti repetit, illudque cum petalis ex ſtaminibus ipſoque adeo germine formatis comparat. p. 145.

2. Cl. MANGIN *obſeruationem de partu laborioſo* communicat. Grauida, praegreſſo morbo venereo et ſanguinis profluuio per biduum durante, valde exhauſta erat, et placenta orificio interno vteri, ob calloſitatem anguſtiori, adhaerebat, ex qua, ab vna parte ſoluta, haemorrhagia proficiſcebatur. Noſter ergo protinus ſcalpello orificium p. 174.

calloſum

calloſum incidebat, poſteaque infantem viuum adhuc, ſed paullo poſt morientem, extrahebat. Viribus aegrae iuſculis concentratis reſtitutis, alternis diebus drachmam dimidiam vnguenti mercurialis infricabat, quod remedium cum ſaliuationem excitare videretur, illud per octiduum ſuſpendebat, ac deinde quarto quouis die adhibebat: hoc modo, ſubiunctis iniectionibus ex aqua Baredgienſi, decocto hordei et aqua vulneraria, ac demum adhibita cura lactea, aegra perfecte reſtituebatur, nulla amplius calloſitate ſuperſtite.

Menſe martio:

p. 245. 1. Cl. THOMASSIN *de vſu vomitoriorum in morbis grauidarum.* Femina innupta, grauiditatem celans, febre affecta, poſt venaeſectionem in brachio inſtitutam, ſex grana tartari emetici in aqua ſoluti, quam quatuor vicibus praeſcripſerat Noſter, vno hauſtu aſſumſit, et copioſe inde ſurſum deorſumque purgata conualuit, et iuſto tempore fetum ſanum edidit. Alia femina maritata tribus granis a tertiana liberata fuit, quum antea venaeſectione, reſoluentibus, laxantibus cet. ſine fructu vſa eſſet. His obſeruationibus Cl. Auctor aliam in ſe ipſo factam ſubiungit, narrans, ſe ab auguſto vſque ad initium maii febre tertiana cum infarctu et dolore lienis laboraſſe, quae nec venaeſectionibus, nec diluentibus, nec purgantibus, nec reſoluentibus, nec febrifugis cederet: duobus vltimis morbi menſibus perpetuo vrinam obſcure rubram in nigrum vergentem emittebat. Tandem cum ab itinere redux inſultum febrilem imminentem perſentiſceret, tria grana tartari emetici ex aqua ſumebat, quae protinus copioſum vomitum bilis nigrae ſpiſſae producebant; et ab eo momento vrina naturalem colorem rurſus acquirebat, et febris, tumor ac dolor prorſus diſparebant.

2. Cl. MARGUE *obſeruationem de celerrimo progreſſu gangraenae* communicat. Ruſtica, 24 annos nata, prima vice puerpera, quarto a partu die ingenti ſiti vexata, aquam frigidiſſimam copioſe hauriebat, vnde ſubito lochia ſupprimebantur, et febris intra duodecim horas ad deliria vſque increſcebat; tunc vena ſecabatur, et chirurgus altero die hora matutina accedens Noſtri conſilium requirebat, qui poſt ſeptem horas tumorem enormem a parte ſuperiore oſſis ilei ſiniſtri vſque ad partem ſuperiorem femoris, frigidam, nigram, ſenſus expertem, impreſſionem digiti ſeruantem, et circumcirca tumorem emphyſematicum, hinc inde maculis liuidis obſeſſum, quae ad coſtas ſpurias et per totum femur diſperſae erant, cum ſummo gradu febris, facie cadaueroſa cet. inueniebat. Omnibus auxiliis deſtitutus nil, niſi epithematibus ex herbis aromaticis et vino vti poterat: poſt $2\frac{1}{2}$ horas iam totum latus, collum, brachium et femur affecti lateris, totumque fere abdomen gangraena tacta erant, et aegra demum hora quarta, itaque intra 29 horas a primo febris inſultu, moriebatur. p. 211.

Menſe Aprili:

1. Cl. BOURIENNE *obſeruatio de morbo auris cum carie oſſium coniunctio.* Puero poſt morbillos glandulae maxillares cum dolore intumuerant, ex quo ſenſim ſurditas auris ſiniſtrae, cephalalgia vehemens, et ſymptomata febris hecticae oriebantur. Quum Cl. Auctor eum videret, octennis erat, et per triennium iam ſurditate laborabat. Vlcus externum erat, carne fungoſa plenum, vnde, preſſione ſuper cauitatem glenoideam facta, pus foetidum emanabat. Serum lactis cum fumaria, interpoſitis purgantibus et nonnunquam paucis granis aethiopis antimonialis, febrem lentam profliga- p. 342

 bat;

bat; interim iniectiones detergentes fiebant, quae in interiora oris defluebant, et vlcus externum digeſtiuis tractabatur, quod maius fiebat, pure, vt videbatur, e longinquo huc delato. Poſt tres ſeptimanas Cl. Auctor aquas Balarucenſes iniectionibus adhibebat, vnde ſuppuratio melior reddebatur; poſtea ea nigreſcebat, et, diſquiſitione facta, caries detegebatur. Lapide ergo infernali carnes fungoſae deſtruebantur, tandemque vitiata oſſis portio ſecedebat, quae exfoliatio circuitus meatus auditorii videbatur, fragmentis aliquot minoribus egreſſis tandem plenaria curatio obtinebatur, quum Cl. Auctor aegrotum per 3 ½ menſes tractasſet. Sub finem iniectio non amplius per os penetrauit. An ergo, quaerit Noſter, tympanum corroſum et rurſus conſolidatum fuit? An abſoluta eius ad auditum neceſſitas. Tenendum enim eſt, puero huic auditum in aure affecta rediiſſe.

Menſe Maio:

p. 423. 1. Cl. F. POMA *obſeruationes de pulſu inteſtinali.* Primo theoriam huius pulſus ex Auctoribus collectam ſiſtit, ac deinde quatuor obſeruationes ſubiungit, vbi ex eodem fluxum ventris criticum praeſagiit, eumque adiuuando curationem praeſtitit: inprimis in pleuritide billioſa, licet reliqua morbi ſymptomata venae ſectionem et antiphlogiſtica poſtulare viderentur.

p. 436. 2. *Secunda epiſtola* Cl. *De* LABROUSSE *ad* Cl. AMOREUX iuniorem, *de pulſu grauidarum* *). Pondus humero alterutri impoſitum pulſum in brachio eiuſdem lateris debiliorem reddit: inde quum in grauida pulſus dextri brachii debilior ſit, Noſter fetum ſexus maſculini, et in contrario caſu ſexus ſequioris pronunciat, quum ſollemne eſſe patet, fetum

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 399. et 611. comm. noſtr. III. decad. Suppl. I. p. 188.

fetum maſculum magis verſus dextrum, et femininum magis verſus ſiniſtrum latus collocari. In propria vxore hanc differentiam pulſus in arteria iliaca et poplitea verum ſignum ſexus praenoſcendi iteratis vicibus cognouit. Si grauida gemellos vtero gerit, debilitatem et mollitiem pulſus in vtroque brachio adeſſe docet, licet nec alia ſigna v. c. externum ſtatum abdominis in ſitu erecto et ſupino, inflationem pedum cet. excludat; maior vel minor debilitatis gradus in alterutro vel vtrouis latere illi ad praeſagiendum ſexum inſervit. Solus ſitus placentae in regione fetui oppoſita gemellos mentiri non poteſt, quum illa multo minore pondere, quam fetus ipſe gaudeat. Multa tamen in hac re ſupereſſe enodanda, ipſe fatetur.

3. *Epiſtola* Cl. PIETSCH *ad* Cl. MARTIN, *de* p. 451. *noua methodo haemorrhagias amputationibus ſupervenientes cohibendi.* Methodus haec ea eſt, quam Cl. THEDEN *) propoſuit, ex cuius opere omnia quae ad hoc obiectum ſpectant, extraxit, annotationesque ſubiunxit. Ad diſcindendam arteriam intercoſtalem non cultrum myrtiformem, ſed ſcalpellum incuruatum, linteo obuolutum, et ad eam poſtea reponendam inſtrumentum formae ſemilunaris, in vtroque latere planum et obtuſum, commendat. Neque artum, a trunco ſeparatum, neque eidem adhuc continuum, ita vnquam iniicere potuit, vt cera ad extremitates arteriarum penetraret, quia tenſio ſufficiens iiſdem deerat: et eidem cauſſae facilius ſubſiſtens haemorrhagia, a retractis orificiis vaſorum diſciſſis, quam Cl. THEDEN expertus eſt, adſcribi debet, licet et linteis carptis, et aquae vulnerariae, ab Eodem in vſum vocatis, aliquid dari oporteat.



*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 604 ſqq.

Menſe Iunio:

p. 504. 1. *Epiſtola* Cl. BALME *ad* Cl. LAFOSSE, *obſeruationes quaſdam practicas continens.* Vt commonefaceret iuniores medicos ad ſummam cautionem in praxi adhibendam, aliquot exempla morborum recenſet, quorum initia leuiſſima videbantur, qui vero ſubito et ex improuiſo lethales exiſtebant: neque ipſe errores a ſe, licet inſcio, commiſſos, reticet v. c. herniam inguinalem, quae demum poſt mortem, a ſphacelo correpta, inuenta fuit, nimis longam dilationem auxiliorum valentiorum, prognoſin nimis properanter formatam cet. Veram tamen cauſſam ſectionis ope in duobus tantum vltimis caſibus detegere potuit; quum eadem in reliquis denegaretur: alter fuit virginis per duos vel tres annos cephalaea cruciatae, in cuius cranio immediate poſt ſinum frontalem hydatis, ouum gallinaceum volumine multum excedens, in ipſa ſubſtantia cerebri haerens inueniebatur; alter iuuenis, qui lapide in fronte percuſſus, quum fragmentum lapidis cum minoribus fragmentis oſſis ipſius exemtum eſſet, ſubito comatoſus reddebatur et poſt 20 vel 24 horas exſpirabat, cuius mutationis primaria cauſſa deprehendebatur oſſis fracti portio cerebro, cuius magna pars ſuppurationem ſubierat, impacta, coloris a naturali multum recedentis; haec fractura, ſola natura absque accedente incommodo ſanari viſa, iam ante decem annos contigerat.

p. 533. 2. Cl. LABORDE *obſeruatio de ſanatione canis, a Crotalo laeſi*, quam ipſe in Caienna praeſtitit. Sexaginta circiter horae iam elapſae erant, et duo alii canes vna laeſi, iam perierant. Canis humi proſtratus, potiſſimum capite inflatus, iacebat, nullum motum, niſi interdum caudae exercens; oculis clauſis, reſpiratione breui. Vulnera

ſub

ſub collo et in labio ſuperiore inflicta erant. Fruſtra theriacae repetitae doſes et oleum oliuarum exhitita fuerant. Noſter cochlear liquoris iſtius, qui *l' eau de Luce* audit, cum cyatho vini rubri miſcebat, huiuſque medicamenti tertiam partem ſexta quauis hora porrigi, eodemque vulnera elui iubebat; quod auxilii, genus breui perfectam ſanitatem reſtituit, adeo, vt canis ſexto die conciperet. Vulnera haec gangraenoſa non erant: in inſula Martinica e contrario, quadrante horae nondum elapſo, pars laeſa nigra fit et gangraena corrumpitur. Indigenam Caiennae incolam a Colubro corallino morſum eſſe, et poſt biduum mortuum, relatum accepit Cl. Auctor, cui ſanguis per aures, nares, os, atque oculos effluxerit.

3. Epiſtola Cl. LE FEBURE medici *ad* Cl. ROUX, *de methodo chocoladam antiuenercam parandi.* Paſtae, ex qua chocolada paratur (abſque tamen aromatibus) additur mercurius ſublimatus, ſufficienti quantitate ſpiritus frumenti ſolutus, et balſamum Peruuianum ſaccharo exceptum, omnibusque in vaſe porcellano rite ſubactis tabulae inde formantur, quarum ſingula granum vnum mercurii capit, et quatuor partibus per integrum diem, aut ex lacte aut ex aqua cocta, ſumitur. p. 547.

4. *Epiſtola* Cl. LE MERCIER *ad* Cl. ROUX, *obſervationes quaſdam de carie maxillae inferioris continens.* In viro, inciſione haud procul a mento facta et verſus angulum maxillae directa, partem laminae exterioris oſſis, duorum pollicum longitudine, et in femina, intus malum aggreſſus, ſolutis prius ſcalpello gingiuis, aliam partem floreni circiter magnitudine, quae ipſum angulum ſiſtebat, extraxit: poſterior tamen operatio, quam etiam Cl. IOURDAIN in hoc ipſo diario anni 1770 ſe cum fructu inſtituiſſe ſcribit, ob puris et ſanguinis affluxum et incommodum aegrae ſitum, taediosior fuit. p. 551.

Vol. XLII. p. 22. Menſe Iulio:

1. Cl. FOURNIER, medici Breſtienſis, *dubia et obſeruationes ſuper cauſſis pulſationis arteriarum, et defectus pulſationis venarum.* Non reſiſtentia, ab auricula ſiniſtra nata, apicem cordis verſus coſtas dirigit, ſed is tantummodo actioni generali fibrarum eius adſcribi debet, verſus baſin fortiorum et copioſiorum, et cor ſub contractione longius et breuius fit eodem modo, quo tormentum bellicum ſub exploſionis momento prius antrorſum, et inde retrorſum mouetur. Sanguis ex corde in arterias non preſſione, ſed percuſſione transfertur, haecque continuo fit, ſed neceſſario ſibi reſpondentes pulſationes arteriarum requirit, adeo, vt arctiſſimum inter vtrumque motum ſtruatur commercium. Pulſationes arteriarum percipi non poſſent, niſi hae canales inflexos, at ſimul elaſticos ſiſterent. E contrario venae non pulſant, quia ſanguis per eaſdem motu aequali et non interrupto fluit; non autem ob debilitatem membranarum, nec ob minorem elaſticitatem. Si vero ſanguis vi alternatim agente in venas ipſas propellitur, tunc etiam pulſus earum percipitur, quare tria huiuſmodi exempla addit Noſter, primum iuuenis palpitationibus cordis miſere excruciati, ac denique ſubito mortui, in quo ſub finem vitae venae colli, brachii, femoris et cruris, et hae quidem ſaepe fortius et magis regulariter ipſis arteriis, pulſabant; ſecundum alius iuuenis, timore et frigore externo ſuffocatione et palpitatione cordis affecto, in quo eadem phaenomena tertio die animaduertebantur, ſed quarto die accedente aſcite et hydrope pectoris, ſubſequente nocte exitiali, cedebant: inueniebantur in vtroque ventriculo cordis admodum dilatato compacti grumi ſanguinis, aliique, qui orificium aortae et magnam eius partem

tem obturabant, auricula dextra multum dilatata, aeque ac vaſa pulmonalia, in arcu tuberculis duris nigreſcentibus obſita. Tertium exemplum eſt viduae 64 annorum, poſt moerorem in ſuffocationis ſpeciem, quae ſanguinis miſſionibus ſolis leuari videbatur, incidentem, in qua cum palpitatione cordis et pulſu minimo celerrimoque manifeſta pulſatio venarum colli turgidarum percipiebatur; poſt mortem, nono a primo inſultu die euenientem, aorta inde ab exortu ad 8½ pollices in cartilaginem duriſſimam verſa, vaſa pulmonalia multum dilatata et varicoſa, et nonnihil aquae in cauum pectoris effuſum, detecta ſunt.

2. Cll. PELLIER, fratrum, *obſeruatio de extractione cataractae ſingularis.* Prolongatio erat tunicae choroideae, quae ſuper lentem cryſtallinam ſe extenderat: Noſtri ergo, cataractam capſularem prius arbitrati, cum tunicam iſtam ſolam extrahere non poſſent, eam vna cum lente eximebant; aeger oculi huius vſum recuperabat, adeo, vt quadrageſimo poſt operationem die negotia ſua ſubire poſſet. p. 79.

Menſe Auguſto:

1. Cl. PERE' *de vena medinenſi.* Morbus endemius videtur quibuſdam Africae regionibus, v. c. Senegal, Gabon cet. in regione Congo rariſſimus eſt; in inſula S. Dominici ſeu Hiſpaniola nonniſi ex Africa huc delatus conſpicitur. Nulli corporis parti parcit. Vidit eum Noſter longitudine duarum vlnarum. Nonnunquam ſub contextu celluloſo, cuti ſubſtrato, iacet. Eodem affecti marceſcunt ſine febre, ac plerumque tabidi moriuntur, appetitu ad mortem vſque ſubſiſtente. Nonnunquam, ſed rariſſime, tumore aperto et ſuppuratione ſubſequente vermis ſua ſponte exit: p. 121.

ſed minus tuto negotium hoc naturae ſoli committitur. Si vermis totus exiit, vlcus ſponte iterum coaleſcit: ſi vero rumpitur, non niſi ſuppuratione diuturniore malum ſanari poteſt. Tandem exemplum eiuſmodi vermis, qui in puero nigrita, ſummopere iam emaciato, totum abdomen et partem inferiorem pectoris occupabat, quem Noſter intra quatuor horas totum extraxit, vltra duas vlnas longum: puer inde, nullo adhibito remedio, ita conualeſcebat, vt, tribus menſibus elapſis, magno pretio venderetur.

p. 132. 2. Cl. RICHARD DE LA PRADE *analyſis aquarum mineralium ad fanum S. Albani in prouincia Forenſi* (le Forez) *ſcaturientium.* Quatuor ſunt fontes in vnico loco poſiti, in monte illius regionis originem ducentes. Reptilia breui ibi pereunt, vbi tamen niſi vnicus fons mephitidem exhalat, quae operarios, illum expurgaturos, ab hoc negotio deſiſtere coëgit. Fontes omnes inter ſe congruunt: primus tamen fortior eſt reliquis. Cum ebullitione quadam ſcaturiunt, ſed non inſigni. Saporis ſunt auſteri et ſtyptici. Lixiuium alkalinum, caerulei Berolinenſis principiis praegnans, cum aquis his commixtum, praecipitatum album, ſi vero aliquid ſpiritus ſalis additur, caeruleum largitur. Copioſa ochra aquis ineſt, cum acidis mineralibus efferueſcens, et in his ſoluta, additis guttis quibuſdam lixiuii ſupra memorati, caeruleum Berolinenſe praecipitans, addito vero phlogiſto in igne tractata ferrum exhibens. Alkali fixum, his aquis additum, praecipitatum album, ſolutio mercurii lateritium, et argenti album producunt; infuſo gallarum colorem purpureum, ſucco heliotropii rubrum, ſyrupo violarum viridem colorem conciliant; ſaponem decomponunt, et cum acidis mineralibus

neralibus efferueſcunt; 48 horis elapſis infuſum gallarum non amplius mutant, ochra martiali ad fundum vaſis depoſita. Examine chemico inſtituto inuenit Noſter, in menſura (*pinte*) contineri 8 $\frac{1}{2}$ pollices cubicos aeris, $\frac{2}{3}$ grani terrae martialis, 15 grana terrae abſorbentis, 1 granum ſelenitae, et 12 grana alkali mineralis. Vſus earum eſt adverſus morbos viarum vrinariarum, ſed vis maxime cognita eſt antipſorica. Cl. RICHARD tractationem omnium aquarum medicatarum regionis Forenſis ſe editurum pollicetur.

2. Cl. TESTART *obſeruatio de fiſtula canalis Stenoniani.* p. 139. Poſt odontalgiam abſceſſus in gula formabatur, qui, omnibus licet adhibitis remediis, exterius rumpebatur, et ductum Stenonianum deſtructum oſtendebat, ita, vt perpetuo ſaliua ex vlcere efflueret, duritie interim in media parte buccinatoris relicta. Cl. Auctor ſetaceum, vnguento baſilico et praecipitato rubro illitum, per duram hanc partem traiiciebat, et ita ſenſim quicquid remanſerat, ſuppuratione tollebat, ſaliuaeque viam in os iterum aperiebat: externe tantum emplaſtro glutinante vtebatur, quod applicationem ſetacei non impediebat: tandem, via noua ſaliuali perfecte ſtabilita, vlcus exterius cicatrice claudebatur.

3. Cl. COMVS *noua experimenta de fluido electrico.* p. 152. Eodem modo, quo antea *) aurum electricitati ſubiecerat, varia corpora, quibus antea particulas martiales magnetis ope ſuſtulerat, tractauit, et indolem martialem in nonnullis ab vnica, in aliis a ſeptem vel octo ſcintillis reſtituit: ſunt haec pars rubra ſanguinis humani, cineres ſanguinis equini, caeruleum Berolinenſe, varii croci

 martis,

*) Vid. Iournal de Médec. Tom. XXXX. p. 163 ſqq. vid. ſuperius p. 195.

martis, terrae martiales, puluis laterum, ſabuli variae ſpecies, platina et cobaltum. Multas alias ſubſtantias ex omnibus regnis naturae petitas cum intra chartas, tum intra laminas vitreas collocauit, et mutationes colorum inde ortas ſollicite conſignauit, quas vero hic tradere non poſſumus. Adamantes minores, intra chartas collocati, aeque facile, ac metalla, fluido electrico tranſitum permittunt: puluere adamantis autem intra laminas vitreas collocato, ſcintilla excitata has in plurimas partes a centro ad peripheriam diffregit; ſcintilla debilior puluerem cum vitro coniunxit, colore multiplici, iridis ad inſtar, in quo tamen griſeus eminebat, ſuperinducto.

p. 271. Diſquiſitionem corporum metallicorum poſtea continuauit: aequali portione arſenici et ſulphuris inter ſe coniunctis et ſcintillae electricae ſubiectis auripigmentum produxit; ſubſtantias inflammabiles et reſinoſas eodem modo fudit: poſtea gemmas varias explorauit, et denique modum faciliorem excitandi electricitatem communicauit.

p. 374. Deinde de reſuſcitatione metallorum per electricitatem amplius differit, eamque phlogiſto, per fluidum electricum ex ſubſtantiis metallicis, ab electriſatione requiſitis abrepto et calcibus metallicis addito, adſcribit. Auro intra laminas vitreas vel chartas collocato colorem caeruleum vel viridem conciliauit. Rurſus modi quidam faciliores electricitatem excitandi, et ſupplementum indicis corporum, quae per communicationem electrica fiunt. Phaenomena mutationum per electricitatem in puluere adamantis productarum exactiſſime conueniebant cum iis, quae minium praebet: inde plumbum ad compoſitionem adamantis concurrere, Noſtro veriſimile videtur, praeſertim cum iſti metallo

et

et candor et grauitas ſpecifica vitri illius, quod *Flint-glaſs* dicunt, ſine dubio adſcribi debeat.

4. Cl. DU POUY *tentamen de theoria reſonitus* p. 158. (contre-coup) *in omnibus corporis humani partibus.* Reſonitum definit Cl. Auctor laeſionem productam a vi externa parti remotae applicata, ſine eo, vt partes intermediae ſimul afficiantur. Duas eiusdem claſſes conſtituit, alteram eius, qui fit in fluidis, alteram, qui fit in ſolidis partibus. Ad priorem claſſem ſolum fere ſyſtema vaſorum ſanguiferorum pertinet: varia eiuſmodi exempla hic recenſentur. A lapſu in pedes colica, et inde dyſenteria lethalis, oriebatur; in ileo et colo multa vaſa varicoſa apparebant; ſimiles fere effectus Noſter in virgine a lapſu in genua vidit, in qua ex ponderis in abdomen deſcendentis ſenſu hepar affectum ſuſpicabatur, cuius vero ſectionem adminiſtrare non potuit. Iuuenis ab alto deſiliens commotionem capitis, loquendi difficultatem, ideoque perturbationem ſentiebat, ſed duabus venae ſectionibus promte adminiſtratis liberabatur. Vir in nates delapſus ſtupore afficiebatur, quem per 4 menſes tolerabat; rurſus 4 menſibus elapſis tumor in capite enaſcebatur, qui deſtructae parti ſuperiori oſſis bregmatis originem debebat, et compreſſus aegrum in ſtuporem coniiciebat: poſt mortem tumor hic fungoſus inueniebatur, a vaſis durae matris ſibi inuicem intertextis formatus. Homo in lapſu vehementer in os occipitis impingebat: protinus functiones ventriculi turbatas et magnum ponderis ſenſum, ſed abſque dolore, in fronte percipiebat, colore faciei in flauum verſo; iterata venae ſectione dolor viuacior per totum caput ſe extendebat, et tandem poſt plures menſes, redeunte per interualla dolore ac demum grauiore morbo

ſuperue-

ſuperueniente, qui copioſas venaeſectiones exigebat, aeger plane conualeſcebat.

Reſonitum duriorum partium aeque oſſa plana ac cylindracea experiuntur, horumque fracturae longitudinales, a nonnullis hodienum immerito in dubium vocatae, huic cauſſae adſcribendae ſunt. Vir ex alto delapſus pedi dextro innitebatur, ſed progreſſurus eumdem fractum eſſe ſentiebat: Cl. Auctor fracturam tibiae et fibulae infra caput prioris, ſumme parallelam inueniebat, fracturaeque interpoſitam ſubſtantiam, ſcobi ligneae ſimilem, quae nil erat, niſi oſſis minimae particulae, tactu percipiebat: tumor et inflammatio repetitas venaeſectiones exigebant; topica nulla conducebant, praeter lotionem, qua Cl. Auctor crebro, inprimis in vulneribus ſclopetariis, vtitur, ex ſalis ammoniaci ℥ß, ſalis ſaturni et terrae ſigillatae ana ʒij, cuius ʒj cum ℥viij ſpiritus vini lagenae, quae menſuram capit, infunditur, et reliquum ſpatium aqua communi repletur; ſi ea vtendum eſt, agitari et quantum requiritur, calefieri debet. Poſt tres menſes curatio perfecta abſoluebatur emplaſtro tripharmaco, quod Noſter ex lithargyrii et aceti ſingulorum parte vna, et olei oliuarum partibus duabus parat, cui aequalem partem emplaſtri Norimbergenſis, et ad gratiorem colorem obtinendum parum cinnabaris factitiae admiſcet, et cuius vſum itidem in multis caſibus egregium depraedicat. Femina vtrumque crus prope malleolos frangebat, eodem itidem loco in vtroque ſeruato multa maiora, et innumera minora fragmenta aderant; crus vero dextrum (vti plerumque obſeruauit Cl. Auctor, centrum grauitatis magis dextrorſum vergere) vehementius laeſum erat, vulnere ſimul ad malleoli dextri latus a fibula inducto: criſta tibiae ad ſex pollicum longitudinem et vnius latitudinem

ſoluta

ſoluta erat, et vix perioſteo adhaerebat: duodecimo die gangraena in metatarſo accedebat, calcaneusque carioſus redditus peribat; poſtea metatarſus in margine ſuper tarſum, ruptis penitus ligamentis aſcendebat: tamen, cruribus in ſitum rectum directis et in eodem loco faſciae octodecim capitum ſolis linteis complicatis ſeruatis, et lotione ſuperius deſcripta adhibita, aegra conualeſcebat, et optime incedit, licet criſta tibiae deſit, et tarſus ac metatarſus anchyloſi inter ſe coniuncti ſint. Cl. JACQUES, femur dextrum, modo valde obliquo, ſimili ex ratione fregerat; ſoluto poſt tres ac dimidium menſes callo, Noſter eumdem tamen perfecte reſtituebat.

Iam de reſonitu cranii diſſerit. Narrat, ſe ipſum, quum aliquando capite in ferrum prominens impugiſſet, ſenſiſſe vibrationem ac ſonitum a loco tacto per totum caput ſe extendentem et iteratum, quem cum ſonitu chordae tactae comparat; quatuor venaeſectionibus adhibitis ille disparebat. Homo quidam noctu in platea proſtratus et continuo, in regione parietali ictus expertus idem ſe percepiſſe referebat; ſanguinis miſſiones crebriores ſtuporem et ſenſuum abolitionem non remouebant, nec trepanatio aliquid auxilii praeſtabat: poſt mortem inueniebatur dura mater in toto ambitu oſſium parietalium et maxima parte ſuturae coronalis ſeparata, et vna cum cerebro quam maxime ſubſidens, et cerebrum conſiſtentiae pultaceae. Figuram ſphaericam cranii impulſu externo mutari poſſe, ex mutata eadem forma in globulo eburneo in marmor delapſo Noſter declarat, et duobus exemplis confirmat: in altero os occipitis in parte laterali dextra et nonnihil inferiore ſtellae in modum diffractum erat, pericranio tamen adhaerente; tre-

pano

pano admoto nil niſi parum ſanguinis congrumati ſuper dura matre inueniebatur; ſed poſt mortem apparebat, cerebrum et conſiſtentia, et connexione mutatum eſſe; ſinus in baſi cranii ſanguine turgidi; fiſſura a loco laeſionis ad foramen lacerum continuata; poſt petroſum diffractum; apophyſes clinoideae poſteriores prope radicem, ſella Turcica vero in parte anteriori et verſus latera fracta; margines orbitales nonnihil depreſſi cum fiſſuris minimis; ſanguis hinc inde in diploe oſſium bregmatis ſtagnans, et lamina vitrea in nonnullis locis deſtructa: ſciendum tamen eſt, hominem hunc iam per aliquod tempus ab ictu in capite accepto de cephalalgia continuo conqueſtum eſſe, nec veram rationem lapſus patuiſſe. Alterum exemplum eſt virginis, quae in latere dextro frontis ab equo percutiebatur; pars fracti oſſis eleuatorio tollebatur, quae vero lamina vitrea priuata erat, et exacte parallelogrammum 24 lineas longum et 6 latum, referebat; trepano applicato foramen in dura matre apparebat, per quod lamina vitrea in ipſam cerebri ſubſtantiam penetrauerat, vnde etiam extrahebatur: nihilominus aegra occumbebat; ſecto cranio exulcerationes quaedam profundiores, vbi lamina haeſerat, apparebant, reliquo cerebro et dura matre ſanis.

Menſe Septembri:

p. 215. I. Cl. du boueix *de tetano idiopathico vniuerſali, frictionibus mercurialibus ſanato.* Iuuenis, interdum lumbagine vexatus, tetano corripiebatur, qui ſolius brachii ſiniſtri motum aliquem reliquerat. Cutis erat perſpirabilis. Multis remediis fruſtra datis, de die drachma vna vnguenti mercurialis inungebatur ſimul cum balneis tepidis, venaeſectione praemiſſa et interpoſitis clyſmatibus et laxantibus. Perſpiratio largiſſima mouebatur et aeger

aeger poſt ſedecim frictiones ſine vlla ſaliuatione ſanabatur.

2. Cl. MILLERET *obſeruatio de metaſtaſi lactis.* Feminae abortum paſſae febris ſuperueniebat, qua lochia et lac ſupprimebantur, nec reſtitui poterant: tunc abdomen tumere incipiebat, tympanitem mentitum; interea poſt octo menſes aduocatus Cl. Auctor decubitum lactis cognoſcebat, et paracenteſin ſuadebat, qua vero repudiata tumor tandem prope vmbilicum, praegreſſa inflammatione, rumpebatur, et ingentem quantitatem materiae albae, pultis tenuioris conſiſtentia, quae odore lac corruptum referebat, effundebat. Tunc Noſter, iniectionibus detergentibus immiſſis, partes omenti corrupti, et deinde materias purulentas, foetidiſſimas euacuabat: interno tunc aeque ac externo corticis Peruuiani vſu continuato, tandem pars quaedam inteſtinorum tenuium, coloris liuidi, orificio vulneris ſe offerebat, quae licet reponeretur, tamen poſt biduum rumpebatur; ſucceſſiue partes membranaceae obſcure fuſci coloris, ex quibus aliquae pedis longitudinem, et in media parte pollicis latitudinem habebant, clyſmatum ope euacuabantur; tandem ſenſim ſenſimque clyſmatibus faeces remixtae, chylus contra ex apertura vmbilici parcior prodibat, ac denique plane ceſſabat: ob nimis autem fractum ſolidorum robur primo oedema pedum, denique, prorſus iam conſolidato vulnere, aſcites ſuperueniebat, cui denique Noſter paracenteſi et vino cum ſenna, cortice ſambuci et radice iridis noſtratis infuſo, ſubiunctis ſub finem morbi purgantibus leuioribus et diaeta bona, poſt 16 ab abortu menſes feliciſſimo cum euentu medebatur. p. 231.

3. Cl. CROHARE' *epiſtola de vnione ferri cum mercurio.* Partes aequales vtriuſque metalli, nullo p. 276.

accedente

accedente intermedio, inter ſe coniunxit, quod amalgama totum a magnete attrahitur, et cum acidis et alkalibus, ſine eo, vt decomponatur, coniungi ſe patitur: inde remedium ad morbos chronicos proficuum pollicetur, cuius iam quoſdam effectus ſe obſeruaſſe ipſe adfirmat.

Menſe Octobri:

p. 314. 1. Cl. ROUX, Auctoris huius diarii, *obſeruatio de hydrope cyſtico hepatis, in cadauere hominis ſuffocatione mortui inuento.* Vir 26 annorum colicis doloribus afficiebatur; cum omnia ſymptomata vomitorium indicare viderentur, Cl. Auctor illud exhibebat, quo et ſubiuncto purgante aeger ita leuabatur, vt ſanatum ſe putaret; ſed cum veſtiendo ſe corpus inclinaret, ſubito concidebat, extremitatibus frigidis et ſudore viſcido obtectis, adhibitis auxiliis quibuſdam ad ſe redibat, tuncque de pondere in regione ventriculi, ſuffocationem minante quaerebatur, regio etiam epigaſtrica nonnihil eleuata erat, ſed abſque dolore, et hepar optime tactu dignoſci poterat; tunc etiam aeger narrabat, ſe iam a longo tempore in latere ſiniſtro non poſſe decumbere, ob ponderis in hepate ſenſum, ex quo tumorem hepatis ſuſpicabatur Cl. Auctor: ſuffocatione tamen ſubſiſtente, neruos ſimul affici putabat, ideoque neruina et antiſpaſmodica porrigebat; altero die omnia ſymptomata ceſſauerant, praeter dolorem renum et pondus in ventriculo; anxie tunc efflagitabat aeger vomitorium, quo ſe ſanatum iri certo perſuaſum habebat, quare tertio die, qui ſeptimus totius morbi erat, tantum leuisſimum per partes ſumendum exhibebat; hoc mirifice leuabatur, ſuffocatione plane ceſſante, ita, vt hilaris conſortio aliorum intereſſet; ſed veſperi ſyncope et ſuffocatio redibant, et intra quadrantem horae moriebatur. Inſpecto poſt mortem cadauere

dauere totum dorſum, latera, manus vtraque, praeſertim extremitates digitorum, et glans penis, vehementer ſugillata inueniebantur: aperto abdomine, omentum contractum et quaſi inflammatum; curuatura magna ventriculi et inteſtina tenuia ſugillata, ſicut cutis; duae intus ſuſceptiones in his inteſtinis, ſed ſine incarceratione; hepar inſignis voluminis, inque parte concaua lobi maioris tumor inſignis, ex quo aqua limpida, leui virideſcente colore tincta, promanabat; continuata inciſione apparebat cauum interius album et calloſum, cui ope contextus celluloſi tenuiſſimi cyſtis alba, ſatis craſſa quidem, ſed facillime ſeparanda, quae menſuram liquidi caperet, adhaerebat; corpus hepatis molle, coloris naturali obſcurioris; veſicula fellea fere vacua; lien durus, coloris caerulei, intus nigri. In pectore pericardium ne guttulam quidem liquoris continens, cordi maximam partem per contextum celluloſum laxum adhaerens; auricula dextra admodum extenſa, parietibus adeo tenuibus, vt vix a venae cauae principiis diſtingui poſſet, ſuperficie interna polita; immediate, absque prominente margine, in ventriculum inſerebatur; auricula ſiniſtra ſimilis fere ſtructurae; in media parte parietis anterioris ſinus venae cauae erat paruum corpus cartilagineum oſſeſcere incipiens, figurae irregularis, radices hinc inde ſpargens; intra primas ramificationes arteriae pulmonalis tenera concretio lapidea, folliculo incluſa; cor molle, flaccidum, ventriculo ſiniſtro multo maiore dextro; ſanguine fere vacuum, praeter paruam quantitatem nigram et plane diſſolutam; vaſa coronaria prorſus vacua; pulmones fere vbique, inprimis diaphragmati, arctiſſime accreti, prorſus fere inprimis ſiniſtra, ſugillati, ſicut etiam pleura huic contigua; pulmo dexter ſpeciem retis, lineis

 nigris

nigris diſtinctis, offerebat; bronchiis ſiniſtris diſſectis, inſignis quantitas ſanguinis nigri diſſoluti effluebat. Mirandum omnino, aegrum antea de nullo grauiore morbo, quam debilitate ventriculi et frequente catarrho, conqueſtum fuiſſe. Sanguis in pulmonibus haerens ſine dubio per contextum celluloſum huc delatus putandus eſt: alias certe vel ante vel poſt mortem per os exitum quaeſiturus fuiſſet.

p. 326. 2. Cl. DEFOS feminae ſexagenariae hydrope pectoris laborante, praemiſſis purgante, et conveniente diaeta praeſcripta, vtrique femori veſicatorium applicuit, et interne mixturam ex ſucci chaerophylli ℥vjii, ſyrupi rhamni cathartici et oxymelitis ſcillitici ana ℥j, pulueris cantharidum et kermis mineralis ana gr. j vnica doſi mane ſumendam propinauit, quae per aliquot dies, addito denique altero grano cantharidum, continuabatur; tunc purgans interponebatur, ipſaque potio magis purgans reddebatur, mutataque deinde medicamenti forma omni tri vel quadrihorio cochlear mixturae, quae ad vncias quatuor tria grana capiebat, exhibebatur: hoc modo, ſubiunctis reliquis auxiliis, morbus intra ſex circa ſeptimanas plane ſublatus eſt.

p. 333. 3. Cl. FARION *obſeruatio de germine varioloſo.* Femina, quae altero iam aetatis anno variolis laborauerat, filiam partu edebat puſtulis ſuppurantibus obtectam, quae vero, mortuo poſt dimidiam horam infante, ſubſidebant; mater per totam grauiditatem nec varioloſos vidit, nec cogitationes eo direxit, licet tunc morbus iſte graſſaretur. Duodecim vltimis diebus aegritudinem, quam exprimere non poterat, nec vlterius curabat, ſenſerat.

4. Cl. RAILLARD *obſeruatio de hernia inguinali.* Incarceratio non in annulo, ſed in ſacco hernioſo ipſo erat: ſectione facta hic apparebat in parte ſuperiori tumidior, cui omentum vehementer inflammatum ac durum adhaerebat, quod Noſter ſeparabat, vti inteſtinum, quod poſterius ſacco adhaerebat. Parte deinde tumida ſacci, quae incarcerationem effecerat, diſſecta, repoſitio fiebat: quum vero aeger ſitum imprudenter mutaſſet, omentum rurſus prolabebatur, et pars eius in ſacco incarcerata, quum eius dilatationem aeger recuſaret, intra biduum eadem gangraena corripiebatur; aeger, perpetuo ferrum extimeſcens, tandem ad ligaturam partis alienatae conſentiebat, qua pars haec 24 horis elapſis ſecedebat. Sex ſeptimanis morbus plane ſanatus eſt, ita tamen, vt aeger prophylaxeos cauſſa bracherio vtatur. p. 347.

5. Cl. CHIZEAU in puero 15 annorum, variolis confluentibus laborante, ſcrotum inflammatum et breui tempore, applicatis emollientibus, gangraena prorſus deſtructum, et poſtea rurſus generatum vidit, quam naturae operationem ſola ſua deligatione iuuabat: cicatriſatio a peripheria verſus centrum; penis tardius, quam teſticuli, obtegebatur. Tribus ſeptimanis aeger perfecte conualuerat. p. 353.

6. Cl. BOULEYRE cariem oſſis ſacri, quae illud penetrauerat, praeſente ſimul inſigni gangraena, ſolis fere naturae viribus, ſub deligatione maximam partem ſicca, gangraena per inſperſum corticis Peruuiani puluerem correcta, et aptis auxiliis internis ſimul adhibitis, perfecte curatam vidit, nullo vlcere fiſtuloſo relicto. p. 361.

7. Cl. GIROUD *obſeruatio de mola aërea.* Partu abſoluto, quum digitum in vaginam immitteret, ſentiebat tumorem oblongum, mobilem, mollem, p. 370.

 liberum,

liberum, orificio vteri oblatum, qui, ampliore reddita via, facillime egrediebatur, in manu detentus figuram ſphaericam aſſumebat, ex membrana ſubtiliſſima et maxime polita, diaphana formatus, leviſſimus; ſimulac globum hunc in menſa collocaret, crepabat cum exiguo ſonitu, nullum ſui veſtigium neque odorem relinquens.

Menſe Nouembri:

p. 410. 1. Cl. POMA aegrotum, per plures annos palpitatione cordis adeo vehemente, vt pulſatio arteriae coeliacae per veſtimenta interdum conſpici poſſet, tandem accedente hydrope pectoris poſt cruciatus acerbiſſimos occumbentem vidit: ſectio cadaueris offerebat parum ſeri rubelli in cauitatem abdominis effuſum, cuius viſcera ſana erant, ſed ventriculus inſigniter aëre diſtentus, totum hypochondrium ſiniſtrum, partem dextri, vbi partem hepatis obtegebat, et partem regionis vmbilicalis occupans; pectus ſero ſimili prorſus repletum, pulmones ſani, ſanguine nigreſcente farcti, pericardium inſignis voluminis, itidem ſero plenum cor naturali triplo maius, totam ſiniſtram cauitatem thoracis vſque ad mediam eius partem implebat, ventriculis et auriculis grumis ſanguineis repletis, vaſa coronaria ſanguine turgidiſſima, arteriae omnes maiores ſaniſſimae.

p. 441 2. Cl. IUSSY vulnus, cultro in parte media et interna femoris inflictum, in quo arteria ad partem quandam diſciſſa erat, applicato torculari, iam laxius iam arctius conſtricto, et per decem dies ſervato, ſine plenaria diſciſſione vaſis aut ligatura eiusdem ſanauit.

p. 448. 3. Cl. MARTIN in virgine crebris rheumaticis inſultibus obnoxia, dolore ac ſuppuratione auris praegreſſa, tumorem pone aurem cum tenſione vehementi ad pectus vſque deſcendente vidit, qui tumor prope apophyſin maſtoideam apertus mag-

magnam copiam puris fundebat, et, ſimpliciſſimis remediis adhibitis, intra menſem ſanabatur.

Menſe Decembri:

1. Cl. FOURNIER, medicus Breſtienſis, aperiebat cadauer viri, qui poſt dolores vertriculi et inteſtinorum, per quinque ſeptimanas ſubſiſtentes, erat demortuus. Ventriculus regionem hypochondriacam, lumbarem et iliacam lateris ſiniſtri replebat, longitudinaliter ſitus, et inferius margini foraminis oualis adhaerebat; pylorus fere in regione vmbilicali ſitus erat; inteſtina omnia, excepta parte coli pone ventriculum collocata, in latus dextrum detruſa quaſi erant; craſſa ſolito anguſtiora. Longitudo ventriculi a principio curuaturae magnae vſque ad foramen ouale erat 10, et curuaturae minoris ac pylori vſque ad inſertionem in duodenum 7½ pollicum: forma quadrati oblongi, quouis latere 4 pollices lato. Totus canalis inteſtinalis inde ab oeſophago colore nigricante intus obductus erat, quem etiam omnia eius contenta, vna cum odore foediſſimo, contraxerant. Prolixus autem horum eſt index; plurima fruſta ligni, ex quibus pars circuli, quo dolia continentur, 19 pollices longa, porro varia vtenſilia aut illorum partes, ex metallo confecta, quinque nuclei prunorum, fragmentum cornu, duo fragmenta vitri, duo fruſta corii, culter manubrio ligneo inſtructus: numerus omnium eſt 52, et pondus librae vnius decem vnciarum, quatuor drachmarum. Subiunctis quibuſdam rebus, quae ad vitam huius polyphagi ſpectant, finem huius articuli facit teſtimonium, eorum nominibus munitum, qui prorſus ſingulari huic ſectioni interfuerunt *). p. 504.

 2. Cl.

*) Comm. noſtr. Vol. VI. p. 634 ſqq. et SAM. GOTTLIEB VOGELII diſſ. de polyphago et lithophago Ilfeldae nuper mortuo ac diſſecto, Goetting. 1771. 4.

p. 519. 2. Cl. FOURNIER, medicus Diuiodunenſis, caſum praecedenti quodammodo ſimilem enarrat. Ruſticus coena multa ceraſa vna cum nucleis deglutiuerat; inde iam altero die vomitus accedebat, habitualis redditus, et tandem increſcentibus ſymptomatibus, per 17 dies ſubſiſtentibus, aeger poſt quatuor menſes et aliquot dies moriebatur. Secto cadauere, in orificio inferiore ventriculi tumor, viam fere praecludens, ſcirrhoſus, et huic a latere adhaerentes tres nuclei ceraſorum, filamentis firmis cum illo coniuncti, inueniebantur; reliqua inteſtina ſana erant, excepta anguſtia in parte ſuperiore ilei deprehendenda, quae non niſi fluidiſſimis tranſitum permittebat. Principium ſcirrhoſitatis huius iam antea, et forſan ex vitio haereditario, adfuiſſe ideo ſuſpicatur Cl. Auctor, quia duo fratres et auus eiuſdem ſimili morbo mortui fuerant.

p. 554. 3. Cl. BOURIENNE militem ictu pugionis militaris (*bayonnette*) in regione lumbari dextra laeſo, quod vulnus in renem ipſum penetrauerat, intra 24 dies ſanauit; primo ſtatim ab initio ſanguis rubicundus per vrinae vias excernebatur, qui vero breui ceſſabat: tertio vero et ſexto die, praegreſſa iſchuria moleſtiſſima, ſanguis congrumatus excernebatur. Remedii ſimpliciſſimi cuiuſdam, ſed tunc ſatis efficacis, nempe iniectionis aquae tepidae in veſicam, non, niſi morbo ſuperato, Noſter recordatus eſt.

XV.

XV.

Deſcriptiones animalium, auium, amphibiorum, piſcium, inſectorum, vermium; quae in itinere Orientali obſeruauit PETRUS FORSKÅL. Prof. Havn. Poſt mortem Auctoris edidit CARSTEN NIEBUHR. Adiuncta eſt materia medica Kahirina atque tabula maris rubri geographica. Havniae 1775. Ex officina Moelleri; proſtat apud Heineck et Faber. 1 Alph. 5 plagg. 4.

XVI.

Flora Aegyptiaco - Arabica ſiue deſcriptiones plantarum, quas per Aegyptium inferiorem et Arabiam felicem detexit, illuſtravit PETRUS FORSKÅL. Prof. Havn. Poſt mortem Auctoris edidit CARSTEN NIEBUHR. Accedit tabula Arabiae felicis Geographico Botanica. ibid. eod. 2 Alph. 1 plag. 4.

XVII.

Icones rerum naturalium, quas in itinere Orientali depingi curauit PETRUS FORSKÅL. Poſt mortem Auctoris ad regis mandatum aeri inciſas edidit CARSTEN NIEBUHR. ib. eod.

Coniungimus trium horum operum, a naturae ſcrutatoribus diu multumque exſpectatorum, recenſionem, cum vno itinere et ab vno Auctore ſint confecta, atque vnum eundemque finem ſpectent. In genere laudanda eſt Cl. NIEBUHR opera in edendis his libris, et typographorum cura in iis, quae ad ornatum horum librorum faciant, ad-

hibitae. Auctoris ipſius ſummam fuiſſe attentionem et ſummam obſeruandi artem cum egregia eruditione coniunctam inter omnes conſtat. Magni itaque vſus erunt hi libri, etſi praematura Auctoris morte nondum perfecti ſint. Nam Auctor ſchedulis ſparſis, minutimque diſſectis ſolebat obſeruationes ſuas committere, quarum in itinere et poſt mortem Auctoris non poterant non multae perire: interim eas, nullo modo mutatas, nec emendatas, ſed omnes ab Auctore ipſo ſcriptas edidit Cl. NIEBUHR.

*Deſcriptiones animalium. cet.* In primo itaque, quod deſcriptiones animalium offert, libro, primum *faunae Orientalis conſpectus* traditur: tum ipſae ſequuntur deſcriptiones.

*Fauna Orientalis.* In fauna itaque animalium, iuxta LINNAEI ſyſtema ordinatorum, nomina Latina et Arabica: deinde patria, et ſi quae notatu digna fuerint, traduntur. Inter ea etiam multa ſunt generis incerti et nomine ſolo nota. Nos ex hoc conſpectu, cum maxima ex parte nomina tantum contineat, pauciſſima tantum notabimus.

p. x. *Squalus Zygaena* coenoſum fundum amat, non coralliferum: homini infeſtus, *carcharia* peior. Maſcatenſes nautae carnem lubenter edunt, et
p. XVI. aphrodiſiacam putant. *Exocoetum* etiam *non voli-*
p. XXVI. *tantem*, macerrimum vidit. Morbus ad *Lohaiam Erk* vocatus a *Gordio* vena medinenſi proficiſci videtur, etſi Cl. Auctori ipſum diſquirere non licuit. Montes coralliferi ab vrbe Tôr vſque ad Ghonfodam ripas muniunt ſubmarinas denſiſſime; poſt hanc vrbem verſus meridiem, rariores euadunt. In Nomenclatura *coralliorum* nomina triuialia aptiſſime mutuari poſſe e regno vegetabili, cum co-
p. XXXI. rallia ſint cryptogama regni animalis. Graeci multis conchyliis veſcuntur, e. g. *Tellina incarnata*, *Cardio*

*Cardio eduli*, *Oſtrea varia*, *Mytilo exuſto*, *Pinna muricata* et *nobili*, cuius tendo praeſertim iis eſt delicatula eſca. Conſtantinopoli pinna profundum alti maris occupat, vbi erecta ſtat, apice deorſum ſpectante. Ex cochleis comeduntur *Turbo chryſoſtomus*, *Trochus magus*, *Murex ramoſus*, et *lignia-rius*. *Trochus punctatus* pro medicina in haemorrhoidibus, externe applicatus adhibetur.

Deſcriptiones ipſae ſunt ſuccinctae, attamen clare et gnauiter factae. Nos, cum ſyſtematicis phyſicis ipſe liber legendus ſit, nouorum generum et earum tantum ſpecierum, quae ob peculiares proprietates ſint notatu dignae, mentionem faciamus. *Deſcriptiones.*

Noua genera ſunt e piſcibus 1. *Salaria*, quam tamen forte *Gadi* vel *Blennii* ſpeciem eſſe ſuſpicatur: *dorſo monopterygio*, *cirrhis nullis*. 2. *Scarus*: dentium loco, maxillas ipſas eminentes, margine dentato crenatas, oſſeas habet: atque huius ipſius ſpecies duae priores, *riuulatus* nempe et *ſtellatus*, FORSKÅLIO genus proprium, quod 3. *Siganus* dicitur, propter ſingularem corporis habitum conſtituere videntur. 4. *Acanthari* nomine etiam *Chaetodontis* ſpecies quaedam inſigniuntur, quae dentes vnius ſeriei, rigidos, acutos, contiguos, vel ſimplices vel lobatos obtinent; cauda in vtroque latere aculeo vno, vel pluribus; exſerto et rigido, vel mobili et recondendo praedita eſt. p. 22. p. 25. p. 59.

Inter molluſca quatuor noua ſunt genera. *Salpa* corpore libero, gelatinoſo, oblongo, vtroque apice aperto, intus vacuo, inteſtino obliquo. Duae eius ſunt familiae 1. nucleo globoſo, opaco iuxta anum, 2. nucleo nullo, ſed linea dorſali opaca. Nomen huic Vermi datum, ob ſimilitudinem formae cum tubo canoro. Animal plerumque *gregarium*, mira cohaerens ſymmetria; mo- p. 112.

tum corporis per ſyſtolen et diaſtolen ſiphonica arte perficiens. Species eiusdem duodecim detexit, deſcripſit omnesque depictas iconibus tradit.

p. 117. *Pterotrachea:* corpore libero; gelatinoſo, pinna gelatinoſa, mobili, ad abdomen vel caudam; oculis duobus intra caput. Nomen a *pinna mobili*, corpori affixa peruio et tracheato ſumtum: cuius quidem generis quatuor ſpecies deſcriptae, quinque autem depictae dantur.

*Phyſſophora*, corpore libero, gelatinoſo, e veſica aërea pendente, membris gelatinoſis, ſeſſilibus ad latera, tentaculis ſubtus plurimis. Situs animalis hydroſtaticus, ſublatus pulmone extra corpus; ad formam machinae, quam diabolum Car-

p. 119. teſianum appellamus. Tres huius generis ſpecies ſunt deſcriptae et depictae.

p. 121. *Fiſtularia*, corpore libero, tereti, longo, vndique papilloſo, ſubcoriaceo, tentaculis oris plurimis, retractilibus, apice dentatis. Animal ſiphonizans, reciproce ſpirans; ex apertura laterali ori proxima fila emittens poſt mortem. Quatuor ſpecies deſcribuntur, quinque delineatae traduntur.

Iam ad ſpecierum contemplationem accedimus: atque hic quidem magnam ſatis nouarum ſpecierum copiam, et notatu dignas correctiones iam cognitarum animaduertimus. Numerus nouarum auium eſt 17, amphibiorum 19; piſcium 114; inſectorum 62, vermium 87; coralliorum 33: e quibus quidem haec commemoramus.

p. 5. *Turdus Seleucis*, mas criſta et colore rubro pulcherrime eſt ornatus, et grate canorus. *Gryllos* exſtirpare ſolet; hinc Turcis fere ſacra eſt auis,

p. 7. quam occidere inuiti ferunt. De auibus migratoriis notatu dignas obſeruationes tradit: multae tamen aues nominibus triuialibus, ignorabilibus appellantur.

*Teſtudo*

*Teſtudo terreſtris* Graecis eſt ieiunii tempore p. 12.
grata: caput vnco auellunt, crudum ſanguinem
auide bibunt, corpus lapide fractum inteſtinis pur-
gant: carnem, hepar et potiſſimum oua coquunt.
Delicati ſaporis eſca, medico quoque commendan-
da vſu in colica et febri lenta, praeſertim crudus
ſanguis et oua. Haec ſiccata et grani doſi mix-
ta lacti nutricis dantur infantibus inquietis et que-
rulis. *Lacerta gecko* ſtridet fere vt *Muſtela*, cau- p. 13.
da ſeparata a corpore viuo, per dimidium horae
ſigna vitae motusque edit. Feles hanc Lacer-
tam venari, illaque veſci aiunt. *Coluber lebeti-
nus* morſu ſomnum infert, prorſus lethalem nec
vincendum: forte veterum eſt *Aſpis*. *Colu-* p. 14.
*ber Haje*, noua ſpecies, quae irata, morſum in-
tendens collum erigit et expandit, quantum poteſt,
vnde valde attenuatur; mox inde inimicum petit
vno ictu. Geſticulatores Káhirini frequenter illum
circumferunt; exemtis dentibus nociuis: nihilo-
minus artifices ipſi morſum euitant. Veneni prae-
ſentiſſimi effectus in columba hic erat: ſuccus ve-
nenatus, pellucido flauicans, modica parte, vul-
neri leuiter inciſo femori columbae applicatus, in-
tra horae quadrantem violentas capitis conuulſio-
nes excitauit, atque columba, poſtquam magnam
aquae copiam euomuit, illico mortua eſt: in diſ-
ſecta, praeter inteſtina diſtenta, omnia ſana. *Co-* p 15.
*lubri Baetan* morſus in inſtanti necat, corpore vul-
nerato intumeſcente. *Coluber Hölleik* non quidem
lethaliter mordet; at tumor ardens inſequitur, cui
*Capparis antid.* pro medela eſt: ſolet etiam homi-
nem afflare, et locus halitu tactus prurit; ſed fri-
ctus tela goſſypina rubra ſanatur.

*Raia Torpedo*, a reliquis differt, apertura p. 16.
branchiali vtrinque vnica lineari, oblique ſupra pin-
nas pectorales, pinnis abdominalibus, dentibus nu-
meroſis,

meroſis, ſubulatis: cirrhis oris ſex. Aegyptei coctam edunt ſapidamque laudant. Notiſſima illis eſt eius mira proprietas tremefaciendi, cauda mota leuiter, dum caput eius tangitur manu. Motus tremoris leuiſſimus eſt, adeo, vt ex eius vi et celeritate doloris ſenſus nequeat deriuari: nihil vero electricitati magis conuenit, quam hic ictus: in manum ſublatus piſcis, aqua recens extractus, fortiter percutit cauda, fortius ſi ſub ventre tangatur, quam lateribus, et leuius, ſi vnum attrectaueris latus. An phoſphoriſet, nec ne, vel valeat electricam vim communicare ferro, ſericeis filis ſuſpenſo, experiri non poterat Cl. Auctor. In ſola caudae verberatione vis conſiſtit: illam enim ſi tangis, aut illa apprehenſa piſcem ſubleuas, nullo te ferit ictu. Oua *Raiae vulgaris* in febre intermittente pro medicina domeſtica adhibentur, carbonibus candentibus impoſita, paroxyſmo inſtante fumum obuelato capite ore naribusque hauriente.
p. 20. *Squali Carchariae* iecur, optimum medicamentum ſiphyliticis habetur.

Syſtema *Lacertarum* ſubiungit, quas in vndecim familias diſpeſcit, quoad digitorum numerum, criſtae praeſentiam et corporis ſtructuram.

p. 23. *Blennius Gattorugine*, dorſi pinna vnica cum pinna caudae connata, capite obtuſiſſimo, cirrhis tribus ſupra vtrumque oculum et vtrinque ſenis in poſtico vertice: dimidium ſpithamae magnitudine aequat: cuniculos in coeno inhabitat, vnde matutino tempore ſolet egredi, in porta apricans. Simul cum illo eandem domum occupat vermis, Arabis *Abu kobbab* dictus, capite variegato, etiam edulis, ſi decorticetur: is, ſerui inſtar, domum verrit capite, dum Blennius otioſus ſedet ſpectator, qui etiam dactylis adhuc immaturis ludit.

De differentiis *Spari* et *Labri* haec notat. p. 31.
*Spari* genus dentibus inciſoriis longis acutis contiguis; molaribus mediocribus, graniformibus; interioribus intra inciſores et molares numeroſis graniformibus, plurium ſerierum; interioribus et poſterioribus ſenſim maioribus, totum palatum replentibus. Opercula ſquamata, foſſula dorſalis in plurimis. *Labri* dentes *maxillares*, validi, coni- p. 37.
co ſubulati, contigui. *Inciſores* mediocres, paullo interius poſiti, quam vicinus *caninus*, qui vtrinque vnus, reliquis duplo maior. Molares vna ſerie poſt caninum, acuti contigui, retrorſum decreſcentes. Dentes *faucium* in maxilla ſuperiore et vtrinque breuis ſeriei, parui, conici, acuti rigidi, incipientes pone inciſorem vtrinque; contigua ac maxillaribus parallela ſerie poſiti, vtrinque quaterni. *Pinna* (membrana) *branchialis* radiis 5: *opercula* ſquamata, ſquamis laxis, latis. *Ramenta* euidentia, poſt ſpinas dorſi haerentia in margine membranae. *Radii dorſales* et *ani* ſpinoſi, membrana breuiores. *Pinna Dorſi* et *ani* baſi ſquamis erectis. *P. caudae* baſi ſquamis ouatis. *Linea lateralis* ramuloſa duplex: aliis ſimplex, continua. Illa optima nota eſt, atque dorſi abdominisque curuatura: faſtidioſi enim laboris, et incerti euentus eſt radios pinnarum minutiſſimos numerare: radii pungentes conſtantiores ſunt et maioris vſus in piſcium ſyſtemate. Generalem obſeruationem hanc in- p. 43.
ſeruit: nullos generum characteres certos dari, niſi e *dentibus* ſumtos: qui pro animalium vitae genere varii ſunt.

*Sciaenae* omnes in foſſula ſpinas dorſi recon- p. 44.
dunt; de reliquo vaſtiſſimum hoc genus, cuius 29 ſpecies deſcribit, in octo familias diuidit. *Sciae-* p. 49.
*na ſpinifera* et *Sammara* aculeis operculorum et pinnarum pungunt dolore ardenti, vt *Scorpionis* ictus:

poſt

poſt aliquot horas ceſſat: ambae tamen ſunt edu-
les: et *ſpinifera* adeo pinguis, vt e maioribus ſaepe
p. 54. excoquatur vltra libram adipis. *Scombri* genus
commode ſubdiuiditur a) pinnulis ſpuriis diſtin-
ctis; b) p. ſpuriis vnitis; c) p. nullis, pinna biſpi-
noſa ante pinnam ani; d) p. ſpuriis nullis, pinna
p. 59. biſpinoſa ante p. ani vel occultata, vel nulla. *Chae-
todontis* genus etiam ſubdiuiſionem admittit: a) den-
tibus filiformibus, breuibus, numeroſis, multo-
rum ordinum, denſis, acutis, interioribus ſenſim
minoribus; pinna branchiali radiis 6, ſpinae pin-
nae analis 3. b) *abu-defduf:* dentibus maxillaribus
vnius ſeriei, filiformibus, contiguis, ſubmobilibus,
obtuſis, dentibus faucium nullis; annulo ſubtus
circa oculos; pinna branchialis radiis 5, ſpinae
pinnae analis 2. c) *Acanthurus*, qui diuerſum a
Chaetodonte efficiat genus, cuius characterem
p. 63. ſupra *) dedimus. *Chaetodon vnicornis*, fronte cor-
Tab. nuta, cauda carinis vtrinque duabus, elatis, *tabu-
XXIII. la XXIII.* depictus, frequentiſſimus *Djiddae*, ſem-
per gregarius, numero 200 vel 400, habitat: her-
p. 66. bis veſcitur, caro eius non admodum grata. *Sal-
mo Roſchal*, pinnis albidis, caudae dimidio infe-
riore rubro: colore argenteo: eſt HASSELQUI-
STII *Salmo dentex*, quem LINNEUS *ſyſt. nat. XII.
p.* 531. ad *Cyprinum* reiecit: quamuis iure ad *Sal-
monem* ſit referendus: dentibus ſubulatis, maximis,
prominentibus, exſertis inſtruitur.

p. 78. *Tenebrionum* alatorum tanta eſt cum *Carabis*
affinitas, vt vel genere coniungantur, vel certe a
*Tenebrionibus* apteris, ipſa natura ſic ſuadente, ſepa-
Tab. XXIV. B. rentur. *Tenebrio arundinaceus*, Tab. XXIV. B. de-
pictus, propter noxam, quam larua eiuſdem exci-
tat, notari meretur. Etenim in culmo *Arundinis
niloticae*, inter corticem et medullam farinam ni-
gro

*) Vid. p. 505.

gro bruneam reperit FORSKÅLIUS, in qua paullo profundius *vermiculi* albi, ceu Laruae Tenebrionis, et pulueris illius architecti habitabant. Quo altius deſcendebatur, eo durior, pallidior magisque cohaerens farina inuenta eſt, donec in infimo culmo medulla intacta manebat Haec enim *Arundo* pulpa repletur albida, quae in ſummo culmo, cortice delapſo extrauaſata, arida et ſinuoſa protumuit. Media pars ſimili modo exarida vndoſis plicis corrugabatur, in quarum ſinu haerebat iſta farina. Spicae ſegetum nigrae et aduſtae effici huius inſecti arroſione Cl. Auctori videntur: illas enim adgreditur eo tempore, quo in culmo demerſae ſunt, vbi plus inuenit pabuli, quam in ſegetibus ipſis, quarum medulla culmi parcior eſt, corticique adhaeret. Fieri ergo poteſt, vt ſementum hac farina et latente in illa inſectorum progenie inquinatum, terrae dum committitur, noxam lata vicinia diffundat. *Tenebrio polychreſtus*, apterus, p. 79.
elytris mucronatis, ſingulis ſtriis nouem eleuatis, in triplicem potiſſimum vſum impenditur: 1) feminae Turcarum liberae et ſeruientes albae *artem ſaginandi* inuenerunt in his Tenebrionibus, dum tres quouis mane et veſpere butyro coctos comedunt: 2) contra *aurium dolores* Tenebriones aliquot cum oleo puro coquuntur; et huius olei duae aut tres guttae auri infunduntur, quae vix tribus vicibus repetitae ſanant: 3) contra *morſum Scorpionis*, Tenebriones quinque viui in aquae copia ſufficienti operte coquuntur, ſpatio octauae horae partis: ſic decoctum obtinetur colore rubicundo, coffeae ſapore. Scorpione laeſus bibat ſcyphalam vnam alteramque, vulnerique Tenebrionem diſſectum imponat; praeſentiſſimo auxilio dolor auertitur, qui in his oris per 24 horas intenſiſſimus

eſſe

eſſe ſolet, poſtea tamen ſponte ceſſat, rariſſime
enim morſus Scorpionis eſt lethalis.

p. 81. *Gryllus gregarius*, admodum *G. migratorio*
ſimilis, ab Aegyptis, ſuper carbones toſtus, alis
pedibusque reiectis, comeditur. Exſuccus eſt ci-
bus; innoxius tamen, niſi, quod ſegnem cauſſet ſan-
guinem. Parum conſumunt incolae, vt numerum
eius vel tantillum minuant.

p. 83. *Cynips Sycomori aptera*, *Tab. XXIV. C.* ico-
Tab. ne delineata, excluditur in Sycomori feminei
XXIV. germine ſingulo, quod inde, quaſi foecundatum,
C.p.84. tumeſcit. *Formica maligna*, parua, nigra, vni-
ſquamoſa: venenata, pungens, dolore vt ex ſcor-
pionum ictu, qui leuatur affuſo *Baſilici* recentis
p. 85. ſucco. *Formica animoſa* rubra, in ligno habitans,
oeconomis grata, ob vtile odium, quo perſequi-
tur *Formicas Dharr*, quae Phoenicem dactyliferam
exitioſe infeſtantur. *Scolopendra adhaerens*, flaua,
ſpithamae longitudine; morſu laedit haud lethali,
ſed multum vrente, minus tamen, quam ex ictu
Scorpionis. Omnibus pedibus carnem perforat,
non auellenda. Ergo ignito ferro caput Scolo-
pendrae leuiter tangitur, quod mox eleuat, et ſic
per omnia membra continuando, tandem auelli-
p. 95. tur. *Cancer ſedentarius*, macrourus, articularis,
Tab. manibus adactylis, *Tab. XLI. E.* depictus, mi-
XLI. E. rum eſt in ſuo genere animal oculorum forma, pe-
dumque numero: ori nempe vtrinque *ſphaerula
oculiformis* adiacet, ſupra quam cylinder perpen-
dicularis erigitur oculum referens: *pedes* vtrinque
decem, ſeptem paria thoraci adhaerent, adactyla,
praeter quinti ordinis par, caeteris multo craſſius
longiusque, *femoribus* compreſſis, apice vniſpino-
ſis, carpis clauatis, chelis obouatis ventricoſis, di-
gitis adeo curuatis forficatis introrſum dente in-
ſtructis. Priora 4 paria *plantis* gaudent *ſetaceis*,

plantas

plantas poſteriorum pedum thoracicorum longitudine ſuperantibus, quae *membrana* ſubtus acuta vtrinque triplici, ouata, *natatoria* inſtruuntur. Singularis etiam architecturae inhabitat domum, cubico ventricoſam, rugoſam, gelatinoſam, rigidam, vtroque extremo patulam. Hic reſidet incuruum, ſaepe ſitum mutans, his in cunis oua deponit pulloſque excludit.

*Termes fatale* LINN. quod *deſtructor* Arab. p. 96.
*Arda* dicitur, eſt crux orbis calidioris: cuniculum, T. XXV
Auctori deſignatum, occupauerat pridem Termes. A.
Circumſpicienti, ſe ſtatim prodit cuniculis daedaleis digiti latitudine, ad parietem deductis et perpendiculariter e fundo ſurgentibus. Sociale animal vnita vi laborat in deſtruenda re oeconomica hominum. Mira tamen creatoris prouidentia gentem infeſtam damnauit lucifugam; alioquin enim incolas regione eiiceret, iam tempus operi impendere debet, iam opus vaſtatorem prodit. Quiſque opificum argillae humidae granum ore affert et margini applicat. Eapropter canalis durante labore ſemper duorum pollicum latitudine humidus eſt recenti adhuc incremento. Nonnulli interdum proſiliunt, quaſi ſpeculandi cauſſa. Prima veſpera ductus diruit Cl. Auctor: *Termetes* contra, eadem nocte ruinam reſtaurabant trium vlnarum longitudine: ductam deinde hinc et inde lacerauit: ſubſtititque eius propagatio, donec feneſtrae erant clauſae. Candelam ardentem orificio obiecit, magno cum operariorum (ſcil. *Termetum*) incommodo: nihilominus inceptam continuabant porticum; furtim tamen et ſub tecto: quamque antea in tenebris et ſub vmbra venam ſpatio duorum pollicum producunt horae tempore, iam vnius tantum pollicis viam horae interuallo abſoluebant. Aliquando fornicem longitudine quinque vlnarum

deiecit; baſi tantum intacta. Tanta attoniti clade, tota ſiluerunt nocte, ſequenti vero aurora, iterum feruebat opus. Tubus illaeſus ſemper laeuis et rectus; ruptus vero et reparatus, vulnera cicatrice monſtrat. Omnem in vrbe *Beitelfakih* horti culturam affligit Termes, teneras decerpens propagines arborum mitioris fructus; inter quas *Caricam papayam* vehementiſſime laedit, ad ſumma vſque cacumina canales deducens. Truncum et radicem non aggreditur. Arbores *Citri*, vtpote amaras, horret. Incolae fimum, quem abominatur *Termes*, trunco arborum circumponunt.

p.100. Priapi, quem LINNEVS *Actiniam* nunc dicit, character genericus in viuo animale determinatus, eſt: corpus carnoſum teres, baſi affixum, ſuperne planum, margine tentaculis numeroſis; ore in medio protuberante, toto intra ſaccum re-
p.102. tractili. *Priapus viridis*, fuſco virens, tentaculis
Tab. diametri longitudine, (Tab. XXVII. B.) valde ab
XXVII. incolis Alexandrinis timetur, dum aquas natandi
B. cauſſa ingrediuntur: eſt enim recutitis moleſtiſſimus, tumoremque grauiter dolentem cauſſat. Pulvis lateritii lapidis pro medela adhibetur. In *Priapo* Polypo, baſi dilatata, corpore cylindrico,
Tab. tentaculis maculatis, (Tab. XXVII. C.) peculiaria
XXVII. haec ſunt: a) corpus erigere valet in altitudinem
C. duorum pollicum; deprimit quoque, vt convexum vix appareat, ſed eiuſdem cum margine ſuperficiei, b) fila oris retrahit: quum baſin fili alicuius bacillo loco moueret Auctor, totum ſtatim penicillum filorum porrigebat, et deinde retraxit: c) aliquot vermes, dum baſis ita premebatur, ſimul ex maculis ſupra deſcriptis, fila rubra emittebant breuia, et adhuc alia ſub baſi: d) filum loco motum ferro preſſo ad baſin corporis, vermis non ſuſtinuit hanc vim, ſed apicem clauſum aperuit,

aperuit, et tentacula protulit: alius vero experimenti ſcenam mutauit, et preſſus apicem non ſolvebat, verum maculas baſeos patefecit, ex quarum cauitate fila rubra depromſit plurima.

*Holothuria ſpirans*, oualis, coerulea, oblique p. 104.
criſtata, ſubtus tentaculis diſci albis, radiis longioribus, nudis coeruleis, Tab. XXVI. K. depicta; Tab.
de qua quaerit Auctor, an ſit *Thalia* LINN., aquam XXVI.
colore coeruleo tingit mortua. In eius nuclei *an-* K.
*nulis* bullae aëris reſidui ſe manifeſtant vario motu, illoſque vacuos probant et quaſi pulmones, quorum ope *Holothuriae* fere ſemper natant. Reſpirationi ergo inſeruiunt tentacula diſci: nam dorſo reſupinatum animal, aperuit ora tentaculorum, quibus bullulae aëreae adhaeſere. Nauigat ope criſtae, tentaculis radii remigat, iiſque ſe tollit in altum vel demergit. Sola pars rigida corporis et criſta ſuperſtes in mari natans, ſceleton quaſi huius vermis ſiſtit; vbi Aſili, Oniſci, et Monoculi habitant. A nautis, farina aſperſa, vermis hic cum oleo vel butyro frixus edulis habetur eſca.
Glutine natiuo vbique adhaeret. *Sepia octopodia* p. 106.
Alexandriae ingratum eſt animal hominibus, aquas tranantibus: cuti enim adhaeret ſuctione fortiſſima, ſine vulnere aperto: locus laeſus inflammatur ſine tumore, dolore intenſo ad medullas vſque penetrante. *Smirnae* tam exoſa non eſt *Sepia*. Graecis eſca ieiunalis: oua praeſertim inter
delicias. *Meduſa noctiluca;* orbicularis, depreſſa; p. 109.
verrucis punctiſque bruneis, marginis tentaculis octo rubris, varietas eſt *M. Pelagicae* LINN. et vlceroſas ſcabieque infectas manus hanc non impune tractare perhibetur; FORSKÅLIVS tamen cute ſana ſine vſtulationis ſenſu eam geſtauit. Haec, ſi quae alia, vera eſt noctiluca: multis experimentis in mari mediterraneo, vbi habitat, pa-

tuit FORSKÅLIO, illam valde phoſphoream eſſe. E margine lucem fortiorem amittit, quam e nucleo. Lacerata et in mare proiecta lucida via ad fundum deſcendebant fragmenta. Partes diſcerptae, aquae marinae in vaſculo mixtae et quaſſatae copioſe ſcintillant: et ſtagnando aquam cito corrumpunt. In cribello aquam ſuperfudit Auctor, quae dum tranſiebat, partes iſtae innumeris radiabant ſtellulis, nec, ſaepe affuſa aqua, lumen minuebant. *Aqua* autem *marina* per chartam bibulam percolata, lucendi vim perdit. Innumera *Meduſarum* integrarum copia et corpora vndis attrita vel rupta, ſuccumque gelatinoſum effundentia totidem certe phoſphoros accendunt. Perpendendum tamen eſt, vtrum Meduſae hanc lucendi virtutem obtineant ex aqua, an haec a Meduſis: immenſus ſcilicet oceanus minimae ſuae parti tanta miracula debebit.

p.124. *Anomia tridentata*, teſtis inaequiualuibus, ad
iuncturam tridentatis, teſta longiore angulo ba-
T. XL. ſeos marginata, Tab. XL. B. delineatur. Huius
B. teſtae tam arcte iunctae ſunt apice et margine, vt
ſine fracturae periculo, vel tantillum aperiri nequeant: quare ad Patellas videtur haec Anomia propius accedere. Dum viuit, omnes alas celeriter mouendo remigat, eaſque facile retrahit et recondit totas. Animal cardini tantum eſt affixum: conſtatque placenta orbiculata, rugoſa, albido vireſcente, medio fuſca; baſi iuxta vexillum adiacebat globus flauicans, fere ſeparatus. Vexillo vero et alis explicitis, carina duobus labiis ſe ſiſtebat. *Trochus dentatus* eſt edulis, coctus ſapore
p.127. dulci. *Helicis ianthinae* deſcriptio et icon accura-
T. XL. tior, quam COLVMNAE, traditur tab. XL. C.
C. *Alcyonio Phuſca*, cui corpus affixum, teres
p.129. oblongum, cruſta coriaceo ſtupoſa, apertura du-

plex

plex lateralis, ſphinctere inſtructa, crudo Graeci veſcuntur, quod ſucco Limoniorum imbuitur, cortice tamen reiecto. Corallia in oris Arabicis p.131. obuia, aedibus ſtruendis apta ſunt pleraque, et Djidda vrbs tota his litophytis conſtat ceu inhabitatum muſeum. Syſtema Coralliorum adornari poſſet in *ſolida* et *fragilia*, quod ſenſibus et officiis domeſticis magis foret acceptum, quam nomenclaturae eruditae. Nunquam ſatis eſt admiranda Coralliorum copia in mari rubro: Scopuli et ſaxa littorea hic pretioſa ſunt eruditis, incommoda nauigantibus. Diſcernuntur e longinquo colore ex albo vireſcente, grato oculis otioſis ſpectaculo: vſque ad decem orgyas haec ſaxa ſurgunt. Dum aquis extrahuntur ſuprema parte inveniuntur mollia, inde magis magiſque cartilaginoſa; fundus eſt lapis ſolidus. Calx e *Coralliis* paratur alba, ſubtilis optima. In *Madrepora daedalea*, ſtellis ſubhexagonis, parietibus vnitis, reticulatis interne et margine dentatis, quae Tab. XXXVII. B. delineata eſt, animal inuenit *Priapum* ſ. *Actiniam* LINN. viridem vel cineream, quarum quaeque ſuam ſtellam inhabitaret. p.133. Tab. XXXVII. B.

*Echinum* foſſilem deſcribit nouum, quem dicit *pentagonum*, oblongum, ambulacris quinis, bipartitis ſuperficie ocellata. p.140.

Subiuncta denique eſt materia medica, ex officina pharmaceutica *Kahirae* deſcripta: in qua quidem adeo vtilia non introducta reperiuntur.

Ad Floram Aegyptiaco Arabicam accedimus, quae ſpecierum agmine non mediocri, et nouis regni *Yemen* detectis curioſum Lectorem incitat et allicit. *Eſtac* prope *Maſſiliam* primitias herba- *Flora Aegypt. Arab.* p. III.

rum orbis meridionalis dedit Cl. FORSKA°LIO, ibique plantas 265 obſeruauit, quas nomine, et breui, ſi opus erat, obſeruatione in *Florula Eſtacienſi* recenſuit. Locus hic gaudet terra albo bruneſcente, et pingui montes vicini conſtant lapide calcareo albo et compacto, qui ſolis calori expoſitus ſuperficiem liuidam induit: lapis arenarius adeſt albo brunus, mollis et cum aqua forti efferveſcens: inter ſtrata montium ſolidiora ſtratum arenae iacet. Ex plantis hic naſcendis nomine-
p. V. mus, *Cynoſurum echinatum*, *Coridem Monſpelienſem*, *Aphyllanthen Monſpelienſem*, quae ad baſin caulis folio gaudet lineari, ex apice vaginae longae, membranaceae; ſi vero planta ſine radice euellitur, ſecedunt caules e vaginis foliumque relinquunt, et illa *aphyllae* nomen per errorem obtinuit.

p. II. In inſula *Malta* deinde 87 plantas legit; nam horti pauci et inopes; flora in ſaxo calcareo Melitenſi habitat, et paruam plantarum progeniem educat. Calcareus mollis et vſibus domeſticis aptiſſimus eſt, conchyliorum exuuiae inhaerent variae: humus hinc inde areolas occupat anguſtas: plantae pleraeque ſunt ſalinares.

Praef.
p. 8. *Smirna* breuiſſimo temporis interuallo occaſionem herbationibus aperuit nullam. *Conſtantinopoli* per aliquot tantum ſeptimanas requieuit FORSKA°LIVS, in menſem Auguſtum rediens parca dabantur ſpicilegia. Hortorum cultura illic neglectiſſima. In Pago *Belgrad* augmenta herba-
p. XV. rum inuenit. Dedit itaque *floram Conſtantinopolitanam*, *littoris ad Dardanellos et inſularum Tenedos*, *Imbros*, *Rhodi*, quae quidem valde, ipſo Auctore fatente, eſt imperfecta, ſubitanea et curſoria manu collecta; minime tamen ſterilis. Circa *Conſtantinopolin* primum obueniunt *agri*, remotius inde

*colles*

*colles* deſerti, *Ciſto ladanifero*, *Erica vmbellata*, et *Carlina corymbifera* veſtiti. Ad vias paſſim eſt plantata *Piſtacia terebinthus*. Dein ſiluae magis magiſque exſurgunt, *Fago caſtanea*, *Arbuto vnedine*, *Acere campeſtri*, et *Meſpilo pyracantha* obſitae. *Hypericum aſcyrum* mira copia luxuriat inter arbores: et *ſmilax aſpera* illas ſcandens, loca haec reddit perplexa, vltra quam dici poteſt. *Belgrad* pagus, iuxta aquaeductum, ſylua *Carpini* pergratiſſima obumbratum, canali adhaerentes nutrit plantas, *Andropogon iſchaemum*, *Aſplenium*, *Rutam murariam*, *Phyſalin alkekengi*. In locis vicinis ſchiſtus atque arenoſum ſolum occurrit. *Dardanelli* terra ambiuntur littorea, arenaceo petroſa, ruderatis mixta. Vno in loco terra cretacea et argilla porcellana. *Seſamum Orientale*, *Goſſypium* et *Zea* magis in cultis habitant. *Tenedos* refert colles ſteriles, agris p.XVII. exceptis. Montes *Saxo* duriſſimo, rubicundo conſtant: aliud Saxum raſile et mixtum cum aqua forti parum efferueſcit. Dolemus Auctorem horum Saxorum naturam non curatius indicaſſe: haud dubie ſunt calcarei. *Natolia* e regione *Tenedos* littus offert arenoſum, in quo *Salſola kali*, et *Iſatis tinctoria* laete vigent. Superior area *Santolinam*, *Serratulam centauroidem*, et *Euphorbiam polygonifoliam* nutrit. Vlterius progrediendo plantae occurrunt Graeciae vulgares. *Imbros* incolas alit pauperrimos, ipſa tenuioris fundi et ſolo aquae dulcis fonte laudanda. Areolae paucae terrae melioris agros plantaſque geſtant: conſtat regio petra calcarea, quae mira latitudine ſubſternitur inſulis Archipelagi et maris mediterranei fere omnibus. Caeterum in dictis his locis plantas notauit 481: quarum pauciſſimas nominemus. *Iaſminum* pag. *officinale* colitur ob flores et ex iis paratum vn- XVIII. guentum, et propter caulem, ex quo fiſtulae ta-

bacariae parantur. Decoctum, ex radice, *Panici repentis* frequens in vſu, vt ptiſana apud Turcas.
p.XXI. *Capſici annui* fructus crudus edulis. *Hederae Helicis* folia recentia fonticulis imponuntur. *Santolina*
pag. *ambigua* flaua; receptaculo nudo, pappo nullo,
XXXII. polygamia aequali, diſcoidea. Hac nota diſcedit a *Carpeſio;* receptaculo non paleaceo abit a *Santolina crithmifolia.* *Smilacis aſperae* turiones edules
pag. XXXV. primo vere, grato ſapore, et ad depurandum ſanguinem vtiles putantur. Graeca nomina etiam addita ſunt.

Traiecto mari Aegaeo *Alexandriam* et Aegyptum venit et per *Roſettam* Nilum adſcendens *Kahirae* ſtationem annuam fixit. Ibique concinnauit *Floram Aegyptiacam* ſ. *Catalogum plantarum ſyſtematicum Aegypti inferioris, Alexandriae, Roſettae, Kahirae et Sues.* Cui praemiſſa eſt deſcriptio breuis *Aegypti* geographico phyſica, cuius, quantum
pag. fieri poterit, ſumma capita indicemus. Nilo
XXXIX. vtrinque adiacet *ſolum planum*, verſus Septentrionem magis ſubſidens; campi *Alexandriam* ambientes, collibus vallibuſque diſtinguuntur: verſus Meridiem altior ſurgit terra et fluuio ſuo supereminet; ſpatia vtrinque contrahit et circa Kahiram vix 4 milliariorum planitiem habet: area haec anguſta *Aegyptus vera* vocari meretur, vtpote fertiliſſima, ibique duae terrarum occurrunt ſpecies. Prior *terra Nilotica* Cl. Auctori dicta, eſt argillaceo humoſa, ſubtilis nigro cinerea, aqua ſolubilis: *ſedimentum* eſt Nili effuſi, qui prioris anni ſtratum nouo ſtrato auget. Antiquiſſima enim hiſtoriae documenta, naturae conſenſu ſuffulta, Aegyptum in principio *paludem* deſcribunt. Euidentius ſtatuitur Nilum iuiſſe diffuſum vſque ad terram cliuoſam, totamque hanc planitiem inundatam fuiſſe: ille ſolum argillaceo humoſum annuis fundauit

dauit ſtratis, et in ſolidam eleuauit terram. Ex Africa ſuperiore Limi maſſam aduehi vniuerſam veroſimile non videtur, quum magna eius pars in Cataractis diſſipetur. Sed eodem lapſu nouae proturbantur ſuppetiae. In ſtatu inundationis perfectae, Nilus externa ſuperficie fere ſtagnans, curſum continuat ſolitum et ſubfluuiale affert ſedimentum. Interea terram aquis ſaturat, et ad Canales riuuloſque clandeſtinos penetrat. *Delta* Aegypto ſubuenit, vndas retardando earumque onera excipiendo, ne in mare defluant omnia. Altera terrae ſpecies eſt *Alexandrina* albo cinerea, maxima ex parte *calcarea:* haec, quantumuis praeſtantiſſima, nihil valet arida et exuſta, niſi aqua ſaturata miteſcat: quam ex pluuia, Nilo, nebulis roriferis, et canalibus, puteis machiniſque hydraulicis recipit. Clima Alexandrinum tres numerat menſes pluuioſos, Nouembrem, Decembrem et Ianuarium. Fimum non ſolum inutilem, ſed prorſus noxium damnant terricolae. Soli Cucumeres ſtercoratione fimi columbini iuuantur. Fertilitas communi lege hic ad gradum ſeptimum, rariſſime ad 24 adſcendit. Triticum decies et Hordeum quindecies redit. p.XLI.

Vbi plana Aegypti area deſinit, ibi montoſa inchoat. *Kahira* in deſerti huius confinio iacet. Inde ſerie perpetua vſque ad mare rubrum miſcentur colles valleſque. Illi lapide calcareo, petrefactis habitato, conſtant. Valles arctae et profundae plantis non multis virent in ſolo arenoſo, argilla temperato. *Arena mobilis* hinc inde a Nilo vel mari mediterraneo proiicitur: quae in deſerto orientali, remotius a pago *Caid Bey* in ſolidam montis cotacei rubri compagem. Inter rariſſimos lithogoniae prouentus arena minerae ferri conſpicitur in littore Nili, et Alexandriae, quam colle- p.XLIV

 ctam

ctam in vaſculis latis diluunt, in quorum fundo argentum viuum inueniunt. *Lapis arenarius ſolidus* prope Alexandriam montem ſubterreſtrem conſtituit, *Catacombarum* concamerationibus famoſum. Petrefacta non rara ſunt in collibus calcareis, *lithoxylon* rarius, *gypſum ſtellare* lapides calcareos veſtit et foramina eorum replet: *cryſtalli ſpatoſae* plurimae, vt et *quarzeae* virides et violaceae. *Sale muriatico* paſſim impraegnata eſt terra, quod fertilitati eſt inimicum. Alexandria *Sal natiuum* ter quouis anno colligit ex fontibus ſalinis. *Natrum* prope pagum *Terráne* inter *Kahiram* et *Roſettam* abunde ex fundo lacus ingentis colligitur: pars eius eſt rubicanda, cuius vſus ad ſaponem, ad augendam panis fermentationem, et ad carnis macerationem. Caeterum in Aegypto inuecti occurrunt montes arte et ordine digeſti, *obeliſcorum* et columnarum forma: quorum operum materia eſt *Granites*, *Spato ſcintillante* rubro praevalente, minus *Quarzo* albo, *Mica* nigra minime. *Iaſpidis* et *Porphyrii* innumerae varietates, quae tamen in montibus Aegypti ſuperioris fodiuntur.

pag. XLVI. Flora Aegypti inferioris, cum quacunque Europaea collata, pauperrima videbitur: at minime ſterilis eſt Aegyptus; ſed parum cum aliis terris habet commune, admiranda omnia, aërem, terram, fluuium, opera hominum et naturae. Nullae illic naſcuntur plantae alpinae, neque ſylveſtres, nec vigent genuinae fluuiatiles et lacuſtres. Borealis mundi frigora excludunt aduenas teneriores: et Aegyptus ardentiſſimo illas opprimit calore. Aegyptiacae plantae peculiari oeconomia vegetatiua viuunt: laxiſſima textura conſtant, vt venis ſemper aqua diſtentis refrigerium habeant paratum; orificia vaſculorum rorem excipiunt, et folia totidem ſunt radices: hinc tranſpira-

ſpiratio ſumma, vtilis plantis, arborum vmbras ſubeuntibus. Aeſtum diurnum perferre, radice inundata, et tranſire valent ab ariditate menſium aeſtiualium extrema, ad humiditatem diluuii trimeſtrem. Tempeſtatis ordo inuerſus quietem hiemalem plantis inducit regionum ſeptentrionalium, dum in Aegypto campus viret et natat omnis. *Entomologia* igitur breuem hic refert cenſum; oua enim inſectorum aquis diu ſtagnantibus ſuffocantur: neque adſunt ſyluae, quas in ſicca temperie inhabitant inſecta, neque *Aues* monticolae et nemora amantes.

Plantae Boreales totis abſunt generibus: paucae, vt peregrinantes, ſparſae, facie mutatae, reperiuntur. Aegyptus *Coluteam Carduum*que ſpinis armat: Suecia *Iuniperum* et *Pinum* foliis acuit: illa *Sycomoricetis* et *Phoenicetis* abundat: haec *Salicetis*. Nilus *Arundine* luxuriante veſtitur: Suecia *Caricis* longam prolem tenet: vtraque regio ſuas ſeruat ſemperuirentes. Mirus eſt fungorum defectus in terra humida; rariſſimus reperitur muſcus aut *Lichen*. In duos ordines vniuerſales diuidit Plantas Aegyptiacas: 1. *plantae irriguae*, vel *cultae*, vt Palmae, vel *ſpontaneae littorales*. Plantae *noxiae* et *inutiles* aut nullae, aut extra oleas et furtim manent. 2. *plantae arenariae*, tabeſcentes, prioribus oppoſitae. Ne triſtia loca deſerta ſine vegetabilibus eſſent, ſpecies 50 ibi ſedem fixerunt, textura arida et prope cruſtacea, indolem loci imitantes: foliis ventricoſis ſuccum ſeruant, et propriis impenſis viuunt.

Morbos in Aegypto quoſdam notauit. *Rihh* p.XLIX *Schoki* eſt ſuppuratio cum dolore intenſo, diuturno, ſaepe lethali: pro medicina ſunt folia *Palmae* parua, tenera ex ſummitate decerpta, cocta cum oleo ad ſubſtantiam rubicundam, cui adiicitur Ce-

ruſſa:

ruſſa: hoc vnguento locus dolens ſemel quotidie fouetur. *Stigma Aleppenſe*, exteris *Sigillo d'Aleppo*, per annum durans morbus, cicatricem imprimit ſimilem ex variolis: exteri raro hoc vulnere foedantur in facie, et Aleppenſes illud vtplurimum in iuuentute patiuntur, non eſt recidiuum. *Fartit* morbus in *Aegypto ſuperiore* certo anni tempore (vernali noſtro) incidens, hominem plus vna vice non vexat, verum tanto vehementius, diebus 15 vel 30; ſaepe lethalis. Tumor eſt albus, e quo paruus ſtylus ſurgit ſub cute; inciſio funeſto effectu inſtituitur; palliatur foliis recentibus *Vitis viniferae* et *Betulae albae* impoſitis. Sequitur *plantarum diſtributio practica*, quoad foliationem, in arbores vmbratiles, frugiferas, herbas odoras et coronarias, cerealia, pabulares, monotropheas, eſculentas, tinctorias et medicas, Ligna fabrilia, ſpontaneas, vel hortenſes, vel aquaticas, vel rudericolas, vel pratenſes, vel arenarias. Hanc excipit Flora Aegyptiaca, ſyſtematice conſcripta. Vtriſque adſperſae ſunt obſeruationes, vſum et characteres ſpectantes.

p. LI.

Praef. p. 9. Aegypto itaque perarata, atque itinere vlterius per *Tôr*, *Djiddamque* promoto, *Lohaja* primum in Arabiam dedit introitum. FORSKÅLIVS ſaepe iam in Aegypto ab Arabibus caſtigatus, nunc ipſa in Arabia renouatum ſentiebat timorem. Aſt *Yemen* ſtudiis botanicis praeſtitit ſecuritatem, cuius documento ſunt herbationes Auctoris tutae, vagantes et audaces. Nam agrum Lohajenſem percurrebat, et ad vallem *Surdud*, montibus altibus cinctam, refrigerio et aquis foventem plantarum copiam locupletem, herbationes extendebat. Deinde ex *Beitel fakih* geminos fecit excurſus, alios in *montes Hadienſes*, Heluetiae ſimiles, alios verſus *Djöblam* et *Taaes*: vbi

arbor

arbor *Opobalſami* matrix detecta eſt. Tertio exitu *Mochham* profecta eſt ſocietas infauſto tamen euentu. Propoſitum erat *Sanam* Metropolin Regiam videre, ſed ſtudio botanico colophonem impoſuit *Taaes:* Nam *Sabber* montem, herbis celebratum, non licuit FORSKÅLIO ſine comite adſcendere, neque montem *Soreck*, niſi primo tangere cliuo; ruricolis omnibus dudum elapſis. Iter deinde continuans, corpore aeger, viribuſque deficiens, *Jerîm* intrauit metam laborum, viarum et vitae vltimam. Eſt itaque flora Arabica quinque menſium interuallo, viatoris tranſcurſu collecta.

Delibabimus quaedam ex deſcriptione *geographico phyſica Arabiae felicis.* *Kahirae* ab Oriente pag. *planities* adiacet arenoſa, plantis pauciſſimis ob- LXXXI. ſita: fontes aquae viuae tamen non deſunt. Colles calcarei deinde obueniunt, continuati ad mare rubrum. *Sues* in fundo ſita eſt, vbi piſces et conchylia, ſed nullae plantae. *Ghobeibe* prope collem calcareum thermas effundit, in litore arundines, quae commercio transferuntur. *Hamman Faraun* e regione *Ghobeibe* fontem aquae calidae e cryptis montis calcarei emittit. Lapilluli in canalibus incruſtantur ſale, guſtu nitroſo. *Mare rubrum* in Suenſi Sinu profunditatem 12 orgyarum habet: loci forma anguſtata. Fundus eſt arenaceus, conchyliis minutiſſimis mixtus. *Tor* plantis tenerioribus haud felicior tractu Suenſi, arbores pomonas vtilius colit: palmarum ſyluulae, thermae, et montes calcarei illic occurrunt. *Mons zeitije* (olei) in oppoſito Aegypti litore nomen obtinuit, ab Oleo (an *Petroleo?*) aquae puteorum innatante, quo contra dolores artuum vtuntur incolae. *Djidda* plantas tantum littoreas nutrit.

*Arabiae*

pag. LXXXIII *Arabiae felicis*, quam *Yemen* nominant, littus maris rubri eſt arenoſum vel argillaceum: inde planities argillaceo arenoſa *Panicum dichotomum* alit fruticoſa ſtatura. Fluuiis a pluuia genitis, et arte ſuſtentatis, campi ſecantur, qui tamen calore diuturno toti exſiccantur. Regio Mochhenſis quouis anno inundatur aqua pluuiali, quae in campo Sale inquinatur. *Diaebbal* montoſa regio limites ponit Tehamae ſuperficiem ſenſim eleuanti: altitudine prodigioſa et praerupta eminent montes haud pauci. *Montes Hadienſes* ſtratis oblique currunt, vel perpendiculariter abſcinduntur: mirabile eſt, molem eorum pentagonis diuerſae magnitudinis effingi, dorſaque montium gradibus arte quaſi eſſe exſculptas. *Metalla* in montibus latere plura docent ſigna, quamuis gens metallurgiae rudis theſauros effodere neſcit. Ferrum arenae inſperſum eſt. Praeterea Carneolum, Onychem, Spatum ferrugineum granulatum, Seleniten, lapidem calcareum rudem, Gypſum hyalinum, Cotem friabilem, Schiſtum friabilem, et marcaſitas ſphaericas, vel dodecaëdras commemorat. *Koſchaa* col-

pag. LXXXV. lis, *ſale gemmae* grauidus, argilla ferruginea, arena mixta componitur, lapidibus calcareis disiectis, vel per ſtrata digeſtis legitur. *Mons ſalis gemmae* alius prope Hodeidam, maior Lohajenſi ſ. priori. Temperies aëris mutationes diuerſiſſimas ſubit: *Tehama* ardore vexatur magno, neque toto ſaepe anno vllis ſolatur pluuiis. Montoſa regio aërem ſpirat purum liberumque, nullae tamen hiemes tam fortes, vt niues permaneant. Menſe Martio plantae florent omnes.

pag. LXXXVI *Arabia Yemen* ab *Aegypto* quoad plantarum ſtatus eſt diuerſiſſima: offert plantas nemoroſas, monticolas, ſcandentes, quibus immixtae vigent Indicae, Africanae et Syricae plantae. Ipſe Auctor fate-

fatetur, ex dato catalogo diuitias florae non ſuppu-
tari poſſe: confectus enim eſt tranſcurſu ſemeſtri: deſideratur igitur plantarum numerus dimidii adhuc anni. Plantae cryptogamae fere omnes deſunt. Plantae *littoreae*, et marinae, vt *Fuci* primum occurrunt: *campeſtres* ſub vmbra arborum refrigeria inueniunt, *paſcua* libera patent, veſpertina pabula ſuggerunt *Holcus* et *Panicum dichotomum;* ſolus hic pabularis ſeritur *Phaſeolus*. *Camelus* viuit plantis *cucurbitaceis* et *ſcandentibus*. *Cerealia* in campo et montibus occurrunt: monticolae hortos agroſque formant penſiles, dum gradus interceptis muris per interualla horizontaliter ſubleuant, et muniunt adiectis lapillis. Amphiteatralia iſta arua incredibili voluptate afficiunt ſpectatorem nouum. Syluae in *Tehâma* nullae, ſed in montibus et vallibus, obſitae *Sceura*, *Tomice*, *Cynancho*, *Catha*, *Maerua*, *Ficubus* et aliis indeterminatis. *Hortenſis* flora in Arabia eſt anguſtiſſima. *Coffeae* patria vera eſt *Yemen*, quae etiamnum praeſtantiſſimam ex montibus Hadienſibus ſuppeditat. Fructus Februario incipit matureſcere.

Hanc deſcriptionem Arabiae phyſicam ſequitur ordo itineris botanici, practica plantarum diſtributio, ſimilis ei, quam ſupra in flora Aegyptiaca notauimus, et ipſa Flora, numero plantarum 693. Tum ipſae plantarum octingentarum deſcriptiones incipiunt, inter quas plurimae nouae: e quibus nos *nouorum* tantum *generum*, et medicarum ſpecierum faciamus mentionem.

Noua genera ſunt: 1. *Pentagloſſum* (*Diandr. monogyn.*) calyce 1phyllo, infundibuliformi, 4 vel 5-gono, dentibus filiformibus, perſiſtente; corollae petalis 4 vel 5, calycis limbo inſertis, obtuſis, calyce breuioribus; filamentis calycis longitu- p. 11.

gitudine eique inſertis; antheris globoſo didymis, incumbentibus, germine oblongo terete, ſtylo curuato, germine breuiore, ſtigmate ſimplice: capſula calyce recondita, ſeminibus multis, globoſis. *Spec.* 1. *P. linifolium*, foliis lanceolato-linearibus; flore violaceo. Habitat *Alexandriae Ka-*
p. 27. *hirae* et *Beitel fakih.* 2. *Triſetaria* (Triandr. digyn.) Calycis gluma biflora, valuulis muticis; corollae valuula interiore mutica breuiore, exteriore tri-ariſtata. Habitat *Alexandriae*. 3. *Alternanthera.* Facie et floris partibus congruit cum *Achyranthe:* ſed ſtamina *6*, alterna antheris carentia, ideoque flos *triandrus.* Nectaria nulla. Habitat
p. 34. *Roſettae.* 4. *Saelanthus* (Tetrandr. monogyn.): Calyx germini impoſitus, quadriphyllus, apice cauus, deciduus. Corolla nulla. Nectarium, annulus eleuatus extra piſtillum. Germen vrceolatum, Stigma acutum. Bacca. Quinque ſunt huius generis ſpecies, quarum quaedam LINNAEVS ad *Ciſſum* retulit: vna nempe ſ. *quadragonus*, venenatae, reliquae edules. 5. *Roridula* (Tetrandr. monogyn.) Perianth. 4phyllum, lanceolatum, hiſpidum. Corolla monopetala, 4partita, calyce longior. *Capſula* oblonga. Habitat *Sues.* 6. *Pteranthus* (tetrandr. monog.) calyce nullo, petalis 4
p. 37. oppoſitis, alatis. Habit. *Kahirae.* 7. *Sceura*, (tetrandria monog.) perianthium vrceolatum, rigidum, laciniis 8, tribus infimis breuioribus, 5 interioribus ciliatis: corolla infera monopetala. Germen ouato oblongum villoſum, ſtylus filiformis, ſtigmata 2 curua. Semen vnicum nudum. In inſulis maris rubri alneta borealis orbis conſtituit: folia pabulum Camelis, aſinis ouibuſque, praebent.
p. 62. Pentandriae monogyniae noua genera haec ſunt: 8. *Geruma*, calyce monopyllo, 5dentato, corolla

corolla pentapetala, lanceolato truncata, antheris trigonis, nectario annulum craſſum circa marginem conſtituente, cui inſident ſtamina, germine globoſo. *Hadje* in Arabia habitat. 9. *Arnebia*, perianthio 5 partito, lineari, corolla monopetala, germinibus 4, ſtylo vno filiformi, ſtigmate quadrifido. Semina 4 glabra. Planta eſt tinctoria, in deſertis *Kahirinis* habitat. 10. *Antura* (monog.) perianthio 1 phyllo, 5 partito, corolla 1 petala infera, tubo ſurſum craſſiore, calyce quadruplo longiore, limbo 5 partito. Bacca ſupera, edulis. 11. *Catha*, calyce crateriformi, 5 dentato, corolla 5 petala; infera, nectario cyathiformi, inter ſtamina et germen globoſum. In *Yemen* colitur propter vires antipeſtilentiales, quas tamen Auctor in dubium vocat. 12. *Melhania:* perianthium duplex perſiſtens, exterius 3 phyllum, interius 5 phyllum; corollae petala 5 cuneata, campaniformia; nectarium corona circa baſin gemina, quinque laciniata; germen ſuperum, globoſo ouatum villoſum. In monte *Melhân* inuenta. 13. *Digera:* perianthium 5 phyllum, inaequale, margine membranaceum; corolla 5 petala, cylindracea; nectarium vtrinque vnum, inter calycis laciniam paruam lateralem et corollam, apice bilobum; antherae didymae: germen ſuperum globoſum, ſuperne planatum, ſtigma bidentatum; drupa globoſa. 14. *Gymnocarpos:* perianthium inferum, 5 partitum, baſi pentagonum, laciniis introrſum fornicatis; corolla nulla, filamenta decem, quorum quinque ſterilia; in calyce indurato ſemen nudum ouato acutum. In deſertis *Kahirinis*: ſimilis eſt aliquantum *Herniariae*. Icon eius traditur Tab. X. 15. *Maeſa:* perianthium duplex, exterius inferum, diphyllum, interius germini adnatum 1 phyllum; corolla monopetala, ſupera, campanulata; germen calyci immerſum, bacca globoſa. In montibus *Yemen*. p. 66

16. *Hyperanthera* (monodynamia), pentapetala, peta-
lo vno maiore, ſuperiore, ſtaminibus 4 neutris, quin-
que antheratis, vno ſuperiore. 17. *Cadaba*, ca-
lyce 4phyllo; deciduo, corolla tetrapetala, ger-
mine pedicellato. Tres ſpecies in Arabia habi-
tantes. 18. *Papularia*, calyce nullo, corolla ca-
lycina, monopetala, 5fida, laciniis infra apicem
mucronatis; antherae didymae, germen cylindri-
cum. 19. *Svaeda* calyce carnoſo, quinque partito,
corolla nulla, piſtillum tripartitum. Salſolae pro-
pinquum genus; nam *S. baccata* eſt *Chenopodium*
*Aegyptiacum* HASSELQVISTII ſ. *Salſola altiſſima*
p. 71. LINN; Tab IX. depicta. 20. *Rocama* (digynia) calyce
monophyllo, corniculato, corolla nulla, capſula
p. 208. 2loculari, 2ſperma. *Lohajae* habitat. 21. *Eracliſſa*
a patria *Eracliſſa* in Graecia dicta. Eſt *Andrachne*
*Telephioides*.

p. 77. Ad Hexandriam pertinent: 22. *Adenia* (mo-
nogyn.) perianthio longiſſimo, monophyllo,
6fido; corolla 6petala, calyce breuiore; necta-
rio ſquamis 6linearibus; germine tubo calyci
adnato, ſtigma craſſum emarginatum. Venenatiſ-
ſima haec planta eſt Arabiae indigena. 23. *Si-
liquaria glanduloſa*: eſt *Cleome Arabica* LINN.
Tab. XVI. fig. B. delineata.

p. 81. Ex Octandria monogynia 24. *Sodada*, ca-
lyce et corolla tetraphyllis, inaequalibus, ſtami-
nibus inclinatis capſula pedunculata. In Arabia
felici, fructus immaturus coctus eſt edulis. 25. *Bi-
nectaria*, calyce 4phyllo, corolla 4petala, ne-
ctarium duplex. 26. *Caidbeja* eſt eadem planta,
p. 84. quam LINNEVS *Forskoleam* dixit. 27. *Volu-
tella* (enneandr. monog.) calyce hexaphyllo, co-
rolla 6petala, pericarpio baccato, ſemine vno.
Planta paraſitica, radice et foliis carens, tenuiſ-
ſima, arbores ſcandit; baccae pulpa guſtu piperis,
ſed non acri, contuſae vulneri venae Medinenſis
appli-

applicantur. Ex Decandria 28. *Cadia* (monogyn.) p. 90.
corolla pentapetala, filamenta ad baſin introrſum gibba, piſtillum flexum ad latus, legumen lineare polyſpermum. 29. *Rokejeka* (digyn.) calyx monophyllus, 5fidus, margine membranaceus; corolla 5petala, germen obhemiſphaericum, ſtyli ſubulati, capſula 1locularis, 3ſperma. 30. *Caucanthus* (trigyn.) calyx 1phyllus, campanulatus, corolla 5petala, calyce ſextuplo longior, germen calyce longius. Ad Dodecandriam monogyniam pertinet 31. *Culhamia*, calyce nullo, corolla 1-petala campanulata, fructificatio quadricellulata, capſulae 5, baſi connexae.

Ex Polyandria monogynia 32. *Orygia*, pe- p. 103.
rianthio diphyllo, corolla pentapetala infera, capſula globoſa, 3valui, vniloculari. *Arabica* planta. 33. *Oncoba*, calyce monophyllo, corolla polypetala, bacca vniloculari polyſperma. 34. *Maerua*, calyce 4fido, corolla nulla, nectario multiſeto, pericarpio pedicellato. 35. *Chadara*, calyce 5phyllo, corolla 3petala, ſquama ad baſin ſinguli petali, nectarifera, nuce 2loculari, diſperma. Ex Didynamia: 36. *Simbuleta*, calyce p. 115.
5fido, corolla campanulata ringente, antheris connatis. 37. *Charachera*, calyce 2 vel 4phyllo, corolla labio ſuperiore nullo, capſula biloculari, diſperma. Ex Tetradynamia 38. *Zilla*, glandula p. 121.
magna inter ſtamina breuiora et piſtillum, altera inter longiora et calycem. Duae ſpecies: altera Auctori *Z. myagroides* dicta eſt *Bunias ſpinoſa* LINN. hic Tab. XVII. A. delineata: altera noua, vt videtur, tab. XVIII. A. depicta eſt. 39. *Mnemoſilla*, calyce diphyllo, corolla 4petala, inaequali, pe- p. 122.
talis cruciatis et duabus calycis laciniis in petala mutatis. Facies plantae inſtar *Geranii:* hanc plantam prae caeteris ex Aegyptiacis amauit FORSKÅLIVS, eamque in ſui nominis memoriam appellari

p. 127. optauit. Ex monadelphia 40. *Elcaja* (decandria, monogynia) ſtaminibus aequalibus, perianthio campanulato, 1phyllo; corolla 5petala, lineari. In montibus *Yemen:* Contra *Pſoram* ſemina matura miſcentur in vnguentum cum oleo *Seſami.*

p. 152. Ex Syngeneſia 41. *Micrelium* (polyg. ſuperfl. radiata), receptaculo ſetaceo, paleaceo, pappo nullo, calyce 9fido, corolla longiore. 42. *Kahiria* (polyg. aequal. diſcoid.) calyce polyphyllo, receptaculo nudo, ſeminibus 5angulatis. 43. *Ceruana* (polyg. ſuperfl. diſcoid.) calyce communi, aequali; receptaculo paleaceo. 44. *Polycephalos* (polyg. capitata) calyce 4 phyllo, multiflora. Mirae indolis planta: *Echinopi* affinis, facies capituli vt *Scabioſae.* *Hyſſopi* odori ſimilem fragranter ſpirat planta.

p. 158. Ex Gynandria 45. *Moſcharia,* (tetrandria monogynia) calyce 5dentato, corolla nulla. Odorem moſchi ſpirat fortiſſimum. Ex Monoecia 46. *Koſaria* (diandria), calyce communi, monophyllo, carnoſo, 10fido; receptaculo nudo, floribus verruciformibus confertis. *Hadje* habitat; contuſa exanthematibus medetur, ſale mixta datur vaccis aegris et grauidis. Ad *Dorſteniam* LINN. videtur referenda, Tab. XX. icone eſt depicta. 47. *Turia* (pentandra), calyce 5partito, corolla 5petala, fructu cylindrico, vtrinque attenuato, 10ſulcato, villoſo. Arabia quinque ſpecies nutrit. Ex Dioecia 48. *Aerva* (pentandr. monog.), calyce 5phyllo; capſula monoſperma. Nonne potius pertinet ad Polygamiam, cum in alia planta flores hermaphroditos inuenerit FORSKÅLIVS. 49. *Cebatha* (hexandra) perianthio hexaphyllo, corolla 6petala, bacca tricocca, filamenta *maris* inſerta cauitati baſeos petali. 50. *Leaeba* (hexandra) perianthio 5phyllo, corolla 3petala, filamenta ſubclauata, antherae quadratae: Feminam non vidit

vidit Cl. Auctor. 51. *Keura odorifera* foliis lineari
lanceolatis ciliato ſpinoſis. Arbor palmis ſimilis,
at ſine ſpatha. Folia Bromeliae foliis ſimilia, flo-
ralia alba, inter quae verſus terminum ramorum
imbricata baſi ſunt paniculae maſculae, antheris
ſparſis. Odoris cauſa ſtipitibus propagatur, quum
arbor foeminea deſit. Polygamiae duo ſunt noua p. 178.
genera 52. *Sehima Iſchaemoides:* differt ab *Iſchaemo*
ſpiculis pedicellatis, mere maſculis, quamuis bi-
floris. 53. *Themeda triandra*, ſpicae capitatae,
gluma vniflora, corolla biualui: in medio capituli
exſurgit pedicellus, in quo 2 maſculae pedicella-
tae, 1 hermaphrodita ſeſſilis.

Sequuntur iam ex tam inſigni nouarum plan-
tarum numero eae, quae propter vſum vel noxam
potiſſimum medicorum attentionem deſiderant.
*Ciſſi arboreae*, foliis oblongis, integris craſſis, fru- p. 32.
ctus maturus eſt edulis: folia contuſa imponuntur
tumoribus et bubonibus: vis antitoxica adeo fa-
moſa, vt carmine quoque celebretur. *Corni ſan-* p. 33.
*guineae* folia cum foliis *Daturae metel* contuſa in
cephalalgia fronti applicantur; e baccis gluten
paratur; lignum ad opera fabrilia vtile, fructus
edulis, at aeſtuans. *Ophiorhizae lanceolatae* radix p. 42.
contuſa contra vlcera applicatur. *Aſclepiadis ſpi-* p. 49.
*ralis* ſemina dulcia medicamen laudatum contra
tormina ventris. *Cynanchi pyrotechni* medulla pro p. 53.
fomite ad ignem excipiendum vtuntur Arabes;
ſucco vngunt variolis laborantem, miro ſucceſſu
vires reſtituendi; ruſtici caules recentes maſticant
ad dentes purgandos. Ex *Svaeda monoica* Arabes p. 70.
Yemenſes ſal alkali extrahunt, cuius diluta ſolu-
tione veſtes lauantur, antequam ſapone imbuun-
tur, pretioſa his in oris merce. Sic paratur: Li-
gna vel carbones terreſtri foueae iniecti accendun-
tur, rami *Svaedae* recentes et folioſi imponuntur
ſenſim, et depaſtis primis, ſal fundum foueae pe-

p. 79. tit, vnde forma ſcoriae nigrae excipitur. *Amyris
*Opobalſamum*, foliis ternatis, integris, peduncu-
lis vnifloris, *A. Kataf* foliis ternatis, apice ſerra-
tis, pedunculis dichotomis, et *A. Kafal*, tres
vnius generis ſpecies, quarum drupa odorem ſpi-
rat fragrantiſſimum balſami; pulpa drupae viridis,
ſi vulneretur, balſamum ſtillat albidum; gummi
huius arboris medicamen purgans eſt; lignum ma-
gna commerciorum pars eſt, et ad Aegyptum
transfertur, vbi vaſa hydrophora fictilia hoc fumo
impraegnantur, vt guſtum contrahant huic genti
expetitum. Arbores hae primum viſae ad hoſpi-
p. 94. tium *Oude*, non longe ab vrbe *Haes*. *Euphorbiae
thymifoliae* ſuccus purgans eſt vehemens, herba
p. 99. contuſa imponitur vulneribus. *Capparis Mithri-
datica*, foliis alternis, pendulis, lineari lanceola-
tis, contra venenum et morſus ſerpentum lauda-
tur, tanquam heroica; rami teneriores comedun-
tur crudi, ſi recentes, ſi ſicci, in pulueren com-
p. 101. minuti. *Reaumuria vermiculata*, foliis carnoſis,
planis, paruis, confertiſſimis, contra Pſoram im-
p. 131. ponitur trita et decocti forma bibitur. *Lupini
Termis*, calycibus alternis appendiculatis, labio
vtroque integro acuto, carbones ad puluerem py-
p. 137. rium adhibentur. *Indigofera houer*, tinctoria, ob
colorem coeruleum vbique colitur; qui ſic para-
tur. Planta ſecta expanditur, ſiccatur, deinde
iniicitur teſtis magnis, ad dimidium vſque, aqua
fontana affunditur ad ſummum marginem. Sic
per 2 horas fermentationem ſubit. Tum valde
miſcetur baculo arundinaceo, cui ad inferiorem
apicem quatuor paxilli lignei cruciatim poſiti. Fo-
lia natantia auferuntur. Aqua per foramen ½ ſpi-
thamae ſupra fundum teſtae emittitur, quae viri-
dis et nullius vſus. Sedimentum eſt Indigo. Fo-
veola in terra excauatur non profunda, 2 vlnarum
diametro; foliis reiectis comminutis veſtitur, huic
ſtrato

ſtrato Indigo inſternitur ad ſiccandum. *Indigoferae* p. 138.
*tinctoriae*, qua Aegypti ad tingendum vtuntur, ſemina cum oleo *Seſami* et ſale ammoniaco commixta, mane aſſumta, taeniam expellunt: ſub vſu autem aqua per triduum abſtinere, nil niſi panem edere iubent, potum Coffeae permittunt. Ex *Cacaliae* p. 145.
*pendulae* caule ſuper carbones ignitos calefacto ſuccus exprimitur contra aurium dolores commendatus. *Cacaliae odorae* caules ſiccati inſerviunt ſuffimigio odore grato, praeſertim variolis laborantibus. *Santolina fragrantiſſima* in officinis p. 147.
ob odorem venditur, eſt reſoluens medicamentum, ſuccus oculis dolentibus inungitur. *Croton* p. 163.
*villoſum* in furunculis et apoſtematibus in vſu eſt: ſtipites recentes imponuntur, quo tumor emollitur et dolor ſedatur. *Holcus Durra* eſt Arabum p. 174.
cereale vulgatiſſimum, ex quo panis conficitur Europaeo palato inſipidus. De *Fico Sycomoro* p. 180.
vera notatu digna refert: fructus non in ramis naſcitur, ſed ex ipſo trunco et e ligno ramorum maximorum ſurculi exeunt conferti frugiferi. Cl. Auctor multos fructus Ianuario et Februario menſe diſſecuit: in aliis minoribus duriſque nihil niſi obſcura florum rudimenta vidit: in maioribus ſucculentis *ſquamae* ſub vmbilico calycis *integerrimae;* prope has erant flores maſculi, quibus duo ſtamina data erant: vnicus tria praebuit: reliquum ſpatium calycis internum floſculis femineis pedicello hemiſphaerico inſiſtentibus repletum erat, germine tumido, obouato; verſus apicem e latere exit ſtylus breuis, ſtigmate longiore, incraſſato, Omnia haec germina vel plena erant *Cynipe* perfecto, vel vacua egreſſo *Cynipe;* vel marcida, nec ſemine, nec inſecto foeta. Videntur ideo germina ſolis inſectis producendis deſtinata. Inſecta germinis alia ſunt alata, quae *Cynips ſycomori* ab HASSELQVISTIO nominantur, alia aptera,

 aculeis

aculeis ani binis tranſuerſis, quae ſexu ſolo differre videntur, aguntque vices hortulani, inambulando pollinem ſpargentes: alatorum officium eſt, alios peragrare fructus, eoſque maturare, ſimulque ſuum genus propagare. Exeunt prope vmbilicum ficus, per foraminula dentibus exeſa. Fine Aprilis maturi ſunt Ficus ſycomori fructus; molles et dulces ſunt: flores maſculi ad vmbilicum clauſi, qui in medio apertus foramine paruo, et circum illud annulus latus impreſſus, arte factus incolarum, qui hac inciſione maturitatem conciliari putant; in his ficubus autem nulla ſunt ſemina. *Cynips Sycomori* Tab. XXIV. fig. C. depictus eſt.

Subnectamus catalogum reliquarum plantarum icone delineatarum.

p. 3. Tab. I. *Salicornia perfoliata*, fruticoſa, foliis carnoſis, vrceolato orbiculatis, caule perfoliatis.

p. 33. Tab. II. *Saelanthus quadragonus*, qui eſt *Ciſſus quadrangularis* LINN.

p. 35. Tab. III. *Saelanthus digitatus*, foliis inferioribus palmatis quinatis, ſuperioribus ternatis, omnibus petiolo communi ſuſtentatis.

p. 35. Tab. IV. *Saelanthus rotundifolius* ſ. *Ciſſus cordifolia* LINN.

p. 45. Tab. V. A. *Hyoſcyamus Datora*, ſ. *H. muticus* LINN.

p. 207. - - - - B. *Parnaſſia polynectaria*, foliis lineari-lanceolatis, nectariis 10 fetoſis.

p. 52. Tab. VI. *Stapelia quadrangula*, folliculis ſubulatis, coniugatis.

p. CVIII. Tab. VII. *Stapelia ſubulata*.

p. 55. Tab. VIII. A. *Salſola articulata*, caule fruticoſo, decumbente, aphyllo, ramis floriferis articulatis, floribus oppoſitis ad apices articulorum.

Tab.

Tab. VIII. B. S. *inermis*, fruticoſa, aphylla, ramis inermibus, bracteis farinoſo villoſis. p. 57.

- - - - - - - C. *S. imbricata* fruticoſa diffuſa, inermis ramis villoſis, ramulis imbricatis, bracteis obtuſis nudis.

Tab. XI. *Zygophyllum deſertórum* ſ *Z. coccineum* LINN. p. 87.

Tab. XII. A. *Z. proliferum* ſ. *Zygoph. album* LINN. p. 87.

- - - - - - B. *Z. portulacoides* ſ. *Z. ſimplex* LINN. p. 88.

Tab. XIII. *Euphorbia retuſa*: an *E. ſerrata* LINN?

Tab. XIV. *Glinus cryſtallinus* ſ. *Aizoon Canarienſe* LINN. p. 95.

Tab. XV. *Annona glabra*, an *A. reticulata* LINN? p. 102.

Tab. XVI. A. *Lunaria ſcabra* ſ. *Cheiranthus farſetia* LINN. p. 117.

Tab. XIX. *Senecio hadienſis*, foliis lanceolato ouatis, craſſis glabris denticulatis, panicula corymboſa. p. 149

Subiungamus denique *Hydram multicornem Tab. XXVI. B. b.* eſſe idem *Molluſcum*, quod Cl. O. F. MÜLLER in Actis Societ. Berolinenſ. Vol. I. *) deſcripſit. *Tab. 26. f. L. Holothuria denudata* eſt *Meduſa vmbella* EIVSDEM. *Tab. XL. f. D. E.* ſunt duo animalia, quod eſſe nequit, tanquam incolae vnius teſtae depicta.

## XVIII.

Acta Heluetica, Phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica, figuris aeneis illuſtrata, et in vſus publicos exarata. Volum. VIII. Baſileae, Typis et Sumtibus Ioh. Rudolphi Im-hof et filii. 1777. 4. 1 Alph. 5 plagg. tabb. aen. III.



*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 697.

Tractatus huius voluminis ſunt hi:

1. *Diſſ. de natura criſium in febribus acutis.*

p. 1. Dignitate huius doctrinae oſtenſa tranſit Noſter ad varias febrium ſolutiones, in ſanitatem nempe vel in alium morbum vel in mortem. Si motus
p. 3. febriles abſque vlla euacuatione diſparent, haec coctio perfectiſſima febriſque ſanatio *per aſſimilationem* fieri dicitur, vbi nimirum materia peccans humoribus ſanis analoga redditur ſine criſi euidenti. Id quod rarius contingere Noſtro videtur.

p. 7. Per criſin ſeu iudicationem hic ſtrictius ſumtam Noſter intelligit ſpontaneas fere repentinas nouas auctas turbulentas commotiones in febris acutae ſtatu aut declinatione, cum adiuncta aut ſubſequente materiae morbificae translocatione vel excretione manifeſta morbique praecipui fine aut ſaltem notabili in melius deteriusue commutatione.

p. 9. Differunt criſes in acutis ratione vehementiae et durationis, loci, materiae, effectus in morbum integrum vel partem eius, euentus, numeri
p. 13. et temporis. Miſſis reliquis criſium varietatibus antea enarratis, de diebus criticis, quae Cl. Auctor habet, videamus. Critici, iudicatorii, iudiciarii vel decretorii dies iam a veteribus ſunt obſeruati, etiamſi recentiores ipſos ob varietatem aegrorum, virium, climatis cet. non adeo attendunt. Horum autem alii ſunt principes aut magis legitimi, vbi perfecta criſis apparet, vt dies IV. VII. XI. XIV. XVII. et XX; nimirum fere quaternarii et ſeptenarii in acutioribus febribus, in longioribus, porro ſeptenarii, ſcilicet dies XXVII. XXXIV. XL: denique ſoli vicinarii, dies LX. LXXX. et C; inter quos tamen maxime

VII. XI. XIV. et XVII. prae reliquis potentia et iudicandi dignitate pollent. Alii dies critici inferio- p. 14.
ris ordinis ſunt, frequentia et ſecuritate criſium minus celebres, ſaepius ex accidente quam naturaliter tales, coincidentes, ſubincidentes aut intercidentes ideo dicti, quales fere obſeruati ſunt in febribus acutioribus dies morbi III. V. VI. IX. et XIII. Sed cum in diebus, qui praecedunt criticis, de viribus vitae, coctione materiei cet. iudicare liceat, illos horum reſpectu dies indices, indicantes internuncios aut contemplabiles appellarunt, vt hinc ſequentium dierum criticorum indices ſint ipſi dies critici praecedentes, quartus ſeptimi, ſeptimus noni vel vndecimi cet. Qui vero a commotionibus turbulentis et euacuationibus plerumque liberi ſunt, dies vacui nominantur, quibusdam etiam medicinales, quod in iis ſecurior fere remediis eſt locus, vt dies morbi VIII. X. XII. XVI. XVIII. XIX. XXI. cet.

Tum ſigna criſium diagnoſtica Noſter perſe- p. 16.
quitur, quibus generalibus praemiſſis, notae adduntur, quae ſingulas criticas euacuationes ſpecialius indicant; vt criſis cutanea per ſudores, per renes vrina critica, vomitus criticus, alui fluxus criticus cet.

Progreditur Noſter ad cauſſas criſium pro- p. 22.
piores. Quae cauſa nouas auctasue exacerbationes febris et euacuationes aut metaſtaſes creat, eadem cauſa proxima criſium erit, vt adeo, cum omnis commotio febrilis proueniat a frequentiori cordis et arteriarum motu ex ſtimulo praeternaturali et inconſueto ipſis applicato, hic inquirendum ſit 1) vnde dicto febrium tempore nouus ſtimulus materialis ad cor perueniat, 2) qualis illa materia ſit, 3) quae cauſae maioris tunc demum mobilitatis humorum criticorum et 4) aucti motus ſoli-

dorum

dorum ſint, 5) cur denique ſtatis fere temporibus tales motus contingant?

p. 23. Stimulus cor ad frequentiores contractiones febriles irritans, quatenus aliunde accedit et mutabilis eſt, eo defertur vel per neruos vel cum ſanguine per venas vel per vtramque viam.

p. 25. Materiam illam criticam eſſe acerrimam, inflammantem et ſepticam origo et effectus pro-
p. 28. bant. Aucta reactio ſolidorum in fluida eſt cauſa formalis criſium.

p. 32. Prouenit adeo genuina criſis a repentina commotione materiae morbificae ſiue contagioſae ſanguini introductae internumque ſeminium euoluente, ſiue reſiduae adhuc in primis viis et vaſorum extremitatibus hactenus ſtagnantis, iam vero magis minusue coctae nec ſanis tamen humoribus aſſimilandae, ſed ob conceptam ex ſtagnatione et calore acrimoniam ſepticam, vehementem in partibus, quas alluit, reactionem ſpaſticam hinc validiorem acceſſionem febrilem concitantis, ex qua eadem impenſius agitata penitiuſque ſubacta expellitur denique, ſecurioremue in locum transfertur cum prioris morbi diminutione aut ceſſatione, vel grauiter laeduntur partes ad vitam neceſſariae, functioneſque ſuas porro ſuſtinere nequeunt, vt ſic funeſto criſis euentu terminetur.

p. 35. Criſin autem varie mutare atque turbare queunt antecedentes cauſae ſ. remotiores, cum praediſponentes, tum occaſionales, quae augent vel imminuunt, vel accelerant, vel retardant criſin e. ſ. p. Atque inde pendent etiam criſium vtilitas noxae et varii euentus. Id quod cernitur in criſibus perfectis, imperfectis, metaſtaticis, et recidiuis.

2. Diſſertationis *de criſibus* pars altera, qua *pro-* p. 43.
*phylaxis criſium* exponitur. Medela criſium eſt prophylactica, curatoria et palliatiua, Noſter vero hic vnice praeſeruatoriam curat. Oportet hic medicum euitare in febrium decurſu ea omnia, quae ipſarum vehementiam augent ac criſes nimis praecipitant. Porro in acutis impediendum eſt medico, quominus morbi augmentum augeatur et curandum, vt reliquiae ſanitatis conſeruentur cet. Haec fiunt partim regimine, partim remediis.

Exemplis aliquot omnia haec adeo bene et p. 50.
profecto vtiliter a Noſtro hic diſputata, breuiter illuſtrantur. *In febribus exquiſite inflammatoriis* cum vel ſine manifeſta inflammatione locali; quo et arthritidem acutam refert, prae aliis euacuantibus valde ſtimulantibus, venaeſectionem ter quaterue ſuadet inſimulque moram in aëre temperato, frequentem ſurrectionem e lecto, ambulalationem in aëre libero, quamdiu vires permittunt cet. Medela *febrium catarrhalium benignarum* in eo maxime diuerſa eſt ab anteceden- p. 51.
tibus, quod inflammatio in his magis ſeroſa ſit et fere ſuperficialis plerumque in interioribus narium, faucium, aſperae arteriae, bronchiorum cet. locis. In *febribus remittentibus bilioſis* p. 52.
*et eryſipelaceis* conueniunt inprimis cholagoga emetica cathartica et regimen temperatum cet. *In putridis febribus* conducunt praeſertim primis p. 53.
diebus euacuantia, aër frigidus et purus, acida e. ſ. p. In iis ac in *peſtiferis malignis* ſuadet Noſter, ſaburra primarum viarum euacuata, vina alba ſubacida pro ſcopo antiſeptico et cardiaco. *Febrium exanthematicarum naturalium* p 54.
cura prophylactica, vt criſis primaria perfectior et ſecurior obtineatur, partim ante morbi,

ſubin-

ſubinde praeuiſi, initium, locum habet, partim quando prima febris adeſt. Naturalia exanthemata ſunt, variolae, cet. miliaria aut petechialia exanthemata praeternaturalia a Noſtro dicuntur. *Intermittentium febrium* digeſtiua Noſtro praecipua ſunt e. gr. ex cremore tartari in quotidiana, ex ſalibus mediis in tertiana, ex ſale ammoniaco in quartana febre, tum emetico purgantia, in prioribus fere cholagoga, in poſteriori magis phlegmagoga cet.

p. 58. 2. NICOL. IOSEPHI JACQUIN *illuſtrationes quaedam botanicae. Samydae nitidae* LINN. et *Caſeariae nitidae*, in hiſtoria ſtirp. Americ. p. 132. deſcriptae, characteres diſcernentes indicat: differt *Caſearia* praeſertim nectario foliis octo vel decem compoſito, foliiſque ouatis vel oblongis: icon adiuncta reliqua indicat. Deinde *Axyris pentandrae*, in eodem opere pag. 244. deſcriptae iconem addit.

Rationem, cur *Cycas circinalis* nuper a LINNEO in mantiſſ. II. et *ſyſt. vegetab.* ed. XIII. ad filices relata ſit, Cl. Auctor non perſpicit. Eſt enim ſtirps dioica, cuius florem femineum, ex viua planta, quae in horto Caeſareo Schoenbrunnenſi ſaepius floruit, depromtum et marem ex ſquamis ſiccis in figuris expoſuit. Flos femineus in vertice trunci copioſe inter folia egreditur, et germen ſubrotundum tomentoſum, breuiſſimo ſtylo praeditum offert. Fructus eſt drupa ouata, nitida compreſſa.

p. 61. 3. *Diſſertatio hiſtorica epiſtolaris de morbo nigro* I. I. D'APPLES M. D. ad S. A. D. TISSOT. Ictero atro ſiue morbo nigro HIPPOCRATIS laborabat vir ſeptuagenarius, qui

a pri-

a prima iam iuuentute anguſtiam orificii inferioris vnetriculi pylori dicti ſine multis incommodis, praeter vomitus, nimia quantitate alimentorum aut dulcium pinguiumque ingeſta, ſenſerat. Sed diu poſt vomitus cruentus niger copioſus cum eiuſmodi aluinis deiectionibus ſubſequebatur. Irritis omnibus remediis per ſeptem ſeptimanas in auxilium vocatis, tumebat et dolebat abdomen e regione orificii inferioris ventriculi et ob anguſtiam ſupra iam memoratam aeger anxietatem et dolorem ſentiebat, ſimulac alimenta ſumta fuerant. Id quod quoque aegroto creabat taedium omnis generis alimentorum, exceptis liquidis, quae etiam afferebant aliquam moleſtiam, ſed momentaneam. Hoc vitium mechanicum in pyloro videtur Noſtro vna cauſa huius morbi, et alteram repetit ab impuritatibus infimi ventris diu retentis. Quibus euacuatis, quae erant deiectiones nigrae, glutinoſaeque, cum leuamine ventriculi et inteſtinorum, cum digeſtionis et appetitus reditu, recuperauit aeger non quidem ſanitatem integram, attamen modum viuendi ſatis opportunum, vt rurſus muneribus fungi poſſet. Suaſit praeterea diaetam tenuem, motum lenem, clyſmata emollientia, cet.

4. *Obſeruationes aliquot de arcus Aortae ramis, de arteria thyroide quinta ſ. ſupernumeraria, deque vicinis his quibuſdam arteriis aliis*, IO. IACOBI HVBERI. Primo vidit Cl. Auctor in cadauere puellae ſeſquiennis et pueri 12 dierum loco trium ramorum in duos modo fiſſum eſſe arcum aortae; cum carotis ſiniſtra cum arteria innominata vnum communem truncum haberet. Deinde de aucto numero plures fecit obſeruationes, cum minimus ramus inter carotidem et ſubclauiam ſiniſtras prodiret. p. 68.

ret. Altera figura delineatur vertebralis arteria plane ſingularis, quippe quae eadem eſt, cuius originem ex aorta mox indicauimus. Ordinem etiam turbatum inuenit, vt ſubclauia dextra e cen-
p. 77. trali arcus parte prodiret. Sulcum, praeter alia, commemorat, in pulmones a venae ſubclauiae tranſitu expreſſum. Incuruationes arteriarum capitis adſcendentium frequentiſſimas eſſe in iunioribus, vt augeri poſſint et vt colli aliarumque partium prolongationem faciliorem reddant. Negat Cl. Auctor, ad imminuendum ſanguinis impetum incuruationes factas eſſe, nec ſanguinem puriorem et ſubtiliorem ad cerebrum ferri concedit: ſed vbique intime mixtum eum eſſe affirmat.

Reliquae obſeruationes de variatione thymicarum arteriolarum, de thyroide arteria quinta ſ. ſupernumeraria, de arteria ſingulari, pulmoni conceſſa, intercoſtali ſuperiore, mammaria, bronchialibus, oeſophagaeis et pharyngaeis, et de arteriola, venae iugularis comite exponunt.

p. 106. 5. *Lithophagi hiſtoria phyſica cum nonnullis adnotationibus ſuper digeſtione*, *Auctore* E. M. ROSTAN. Homo ferus, in inſula Septentrionali inventus et a nauta Belgico in Europam translatus, carne et lapidibus *) veſcebatur, neque aliis cibis vti volebat. Silices deglutitos et pollicis et dimidii longitudine, totidemque latitudine, et dimidii craſſitie: atque lapides duros, vt marmor in pultem redigebat. Silices, quos excernebat, pondere et magnitudine imminuti erant: atque reliqua excrementa quaſi calx puluerifata erant. Per duodecim horas dormiebat, et reliquum tempus edendo, ſpiritum frumenti bibendo, et nicotianam fumando terebat. Eodem modo, quo aues, Crocodi-

*) v. ſimilia exempla ſupra p. 501.

codilus et alia animalia, oſſa et lapides digerunt, hunc hominem quoque id praeſtitiſſe Cl. Auctor putat.

6. ACHILLIS MIEG *illuſtratio quarundam Holci ſpecierum.* Primo *Holcum ſaccharatum*, panicula ſparſa laterali, locuſtis hermaphroditis villoſis, ellipticis, ſeminibus oualibus, vberius deſcribit et florum icones characteriſticas dat. Deinde accuratiores definitiones ſubiungit *Holci halepenſis*, panicula ſparſa terminali, acuminata: locuſtis hermaphroditis lanceolatis glabris: ſeminibus oblongis complanatis: *Holci Dorae*, panicula coarctata ouali, matureſcente cernua; locuſtis hermaphroditis* ouatis villoſis; ſeminibus rotundis compreſſis: eſt *Holcus Sorghum* LINN. *Holci Sorghi*, panicula coarctata ouali erecta; locuſtis hermaphroditis obouatis, pene glabris, ſubariſtatis, qui eſt Holcus glumis glabris LINN. *Cliff.* p. 468. et ad *H. bicolorem* in Mantiſſ. II. refertur.

Omnibus his ſpeciebus commune eſt, locuſtas florere in racemis glomeruloſis, ſemper eſſe geminas, in apice ternas, vnam maiorem ſeſſilem, hermaphroditam, alteram ſubpedunculatam, ſterilem: iuniores villoſae ſunt. Exterior gluma calicis in locuſta fertili obtuſior eſt, tribus ſpinulis herbaceis notata. Folliculi exterior gluma maior, altera breuior, fiſſa iſta, ariſta tortili ex fiſſura prodeunte, vtraque membranacea, ſubtiliter villoſa. Staminum antherae vtrinque bifurcae, ſtigmata penicilliformia, vt *in Milio.* Mauult igitur has quatuor ſpecies a reliquis Linneanis ſpeciebus, nomine *Sorghi* ſeparare; et *Holcum mollem* et *lanatum* inter Auenas relinquere, Holci nomine pro ceteris ſpeciebus ſeruato.

7. WERNERI DE LACHENAL *obſeruationes nonnullae botanicae.* Inſunt annotationes quaedam ad ſtirpes Helueticas, quae in IACQVINI flora Auſtriaca depictae deprehenduntur: ſunt vero ſic comparatae, vt apte in compendium redigi nequeant. Synonyma potiſſimum corrigit et certiores deſcriptiones dat.

p. 148. 8. IO. RVDOLPHI STEHELIN *obſeruatio de iecinore dilacerato.* Puer 12 annorum, vehementer a machina quadam percuſſus, animi deliquio, vomitu, doloribuſque omnium partium vexatus, intra ſpatium 6 horarum moriebatur: cadauere mortuo, hepar in media parte, pollicem a ligamento ſuſpenſorio diſtante, fiſſura ſex pollices longa ruptum erat. Conf. MORGAGNI de *ſed. et cauſſ. morb. epiſt. LIV.* §. 16.

p. 151. 9. EIVSD. *obſeruatio de ſuffocatione a botulo:* Fruſto botuli auide deglutito, homo ſexagenarius ſubito obmutuit et poſt 15 minuta horae viuere deſiit. Aſpera arteria inciſa, ſtatim retro epiglottidem in rima glottidis fruſtum haerebat, vltra pollicem longum, eamque accurate obturabat.

p. 155. 10. *Deſcriptio partus difficilis et praeternaturalis occipite prolis dubiae praeuio, a hydrocephalo externo,* IO. LVD. BVXTORFII. Femina, nupta a 13 circiter menſibus, annum aetatis 29 agens, ſana, a. 1773 prima vice vterum gerens, multis morbis in grauiditate ſolennibus infeſtabatur: donec d. 28 Febr. 1774 mane doloribus ad partum veris corripiebatur: obortis circa veſperam contractionibus vteri fortibus, et per dilatatum eius orificium membranis propulſis et ruptis, mox praegran-

praegrande prolis caput inclauatum manſit a 7 veſperae hora ad mediam noctem.

Accerſitus Noſter inuenit admodum durum abdomen, genitalia tumentia, ſitum prolis naturalem: manuque immiſſa hydrocephalum externum ſenſit: atque periculo de morte matris imminente, etſi nulla de fetu mortuo adeſſent ſigna, cum aliud remedium non applicari poſſet, perforatorio FRIDII caput fetus diminuit, et deinde feliciter prolem maſculam, aërem bis vel ter e pulmonibus cum aliquali ſibilo eructantem, non viuacem, longam, pallidam, facie difformi oedematoſa, palpebris oculi dextri coeruleo colore ſuffuſi extraxit. Mater omnino reconualuit.

Reliquas obſeruationes hic omittimus.

## XIX.

FLORIS IACOBI VOLTELEN Med. Doct. Diatribe memorabilem ſeptennis apoſitiae hiſtoriam continens. Lugduni Batauorum et Traiecti ad Rhenum, apud Sam. et Ioann. Luchtmans, et Abr. van Paddenburg. 1777. 8. pagg. 120. cum tabb. aen. 3.

Femina cibi faſtidio affecta, iuuenili aetate ſanitate gauiſa eſt praeſtantiſſima, donec anno XLIII. mortem ſororis infantiſque ſui vehementiſſime lugens, hyſtericis affectibus aegrotare inciperet, quos quidem debilitas, ciborumque appetentia ſenſim imminuta ſecuta ſunt. Per annum circiter coffeae lactiſque potu nutrita, ſyncope atrociſſima laborabat, haemorrhagiis narium vtrique frequentibus, viriumque proſtratione tanta, p. 1.

vt per triennium fere pedibus inſiſtere nequiret. Recuperauit vero paulatim amiſſas vires, adeo vt negotiis conſuetis ſatisfacere poſſet, cibi vero ab eo tempore, praeter aquam, theae potum, croci infuſum, ſaccharum et paruam ſpiritus iuniperini quantitatem, nihil aſſumſiſſe, et ſua et aliorum multorum auctoritate probare annititur; alui deiectiones per quatuor annos vix vllas fuiſſe fertur, catameniorum fluxus inordinatus apparuit, ob artuum dolores, quibus interdum cruciabatur, vena ei quotannis menſe Maio ſecta eſt. Fuit vero corporis habitus paruus quidem graciliſque, neque tamen praeter conſuetudinem macilentus, animo ipſa fuit praedita quieto ſaepiusque hilari.

p. 9. Recenſet dein variorum ſuper ſimilibus abſtinentiae hiſtoriis diuerſa iudicia, et experimenta cum femina ab ſe et Cl. HAHNIO Prof. Med. Lugd. inſtituta tradit. Obſeruarunt vero Viri Cll. per vndeuiginti dies 1481. cum dimidia vncias minxiſſe, bibiſſe vero 1502. vnc. infuſi theae, ſpirit. iuniperini vnc. 42. ſacchari vnc. 36. adeoque eodem tempore fere 100. vncias vltra pondus vrinae emiſſae aſſumſiſſe. Perſpirationis ope parum omnino exiiſſe e corpore fertur. Sanitas ipſi tunc temporis fuit conſtantiſſima, praeter rheumaticos dolores parui caeteroquin momenti, quorum cauſa a Cl. Auctore ipſo venae ſectio vnc. 5. dr. 2. inſtituta eſt. Sanguis exiliens rubens floriduſque erat, ſerum inde ſeparatum ſeptem drachmarum pondus aequauit, cruor contra vnc. 4. drachm. 3. Pulſus fuit plenus, fortisque, minuti ſpatio ſexageſies ſexies, ad ſeptuageſies quinquies digitum feriens. Somnus octo horarum plerumque inquietus, cutis arida, alui deiectio nulla. Vrina per duos annos in loco calido ſeruata, chemicisque variis adminiculis

culis

culis diſquiſita alcaleſcentiae ſigna omnino nulla exhibuit. Neque ſalis veſtigia in ea reperiri potuerunt.

Tranſit iam ad corporis ipſius ſcrutinium, et in genere de vſu ſectionum quaedam praemittit, quae repetere longum foret. Inſtituta cadaueris ſectione haec in ventre imo ſunt reperta: *veſicula fellis* fuit capaciſſima, *ventriculi* ſitus perpendicularis, contractus, denſiſſimus, liquore multo tenui flaueſcenti repletus, *inteſtinum duodenum* craſſius erat atque praeter modum coarctatum. *Colon inteſtinum* inane prorſus, veſiculam felleam non accedebat, tribus in locis eximie contractum conſtrictumque cernebatur. Cum *inteſtino recto* vero ſaccum quendam formabat mollem, materia quadam, mucoſa, foeculenta, colore odoreque naturali praedita repletum. Recenſetur dein ſumma libri ſuper eodem aegroto a P. M. NIELEN, Hollandice, Vltraiecti 1775. ſcripti. p. 26.

In cauſarum huius morbi ſcrutinio, primo de cauſa famis in genere diſſerit, eamque in ventriculi aeque ac ſenſorii communis integritate atque ſympathia vtriuſque quaerendam eſſe cenſet. Sunt vero cauſae morbi huius *animi commotiones lentae diuturnaeque*, *affectiones hyſtericae*, *debilitas ſumma*, *virium proſtratio*, *phantaſia deprauata*, *ventriculi* atque *inteſtinorum contractiones;* has vltimas tamen pro effectu potius, quam pro cauſa morbi habendas eſſe arbitratur Cl. Auctor. Explicat deinde cauſam: cur fame ſublata ſitis integra remaneat, ita vt vtrique rei diuerſos originis fontes eſſe ſtatuat, ab animi imperio proficiſcentes. p. 42.

Accedit iam ad explicandam vitam hominum a cibo abſtinentium, putatque *primo* eos, qui parum excernant corpusque non nimium moueant, p. 63.

nutrimento egere parciſſimo; corpora *deinde* laxa,
phlegmatica pituitoſa, ieiunium facile ferre Noſtro
videntur, ad quae mulieres, inprimis referendae
ſunt; pinguedo *porro* in celluloſa tela contenta,
ad alendum abſtinentiae tempore videtur com-
modiſſima; conſuetudo *etiam* eſuriendi, Ipſi ad in-
ediam tolerandam quid conferre videtur; *quinto*
ad idioſyncraſiam quandam confugit, quae Noſtro
aliquid ad hanc rem explicandam conferre vide-
tur; potulenta *quoque* nutriendi quandam habere
potentiam Ipſi videntur; *denique* arguit viuere
quidem ſine cibo vel potu homines, non vero
valere. Studet deinde, his generalioribus de aſitia
exhibitis, nutrimentum feminae, de qua ſermo
eſt, detegere, propterea nempe, quod quae in ge-
nere de hiſce hominibus varie aegrotantibus mo-
nuerit, ad eam bene caeteroquin valentem ap-
plicare non poſſint. Exiſtimat autem, BONNE-
TVM ſecutus, competere aquae nutriendi, humo-
resque humani corporis, ex aqueis particulis nimi-
rum conſtantibus, conſeruandi facultatem. Theae
infuſum, quo mulier iſta copioſius vſa eſt, longo
diſquiritur ab Cl. Auctore ſermone, vireſque ipſius
merito pro antiſepticis, roborantibus, ſtimulanti-
bus, narcoticisque habentur, adeoque cum fixio-
res theae partes in ſe ſuſcipiat aqua, pro parum nu-
triente habetur. Saccharo quoque, ex gelatinoſo,
viſcido, oleoſo, ſalino, principio conſtanti, nu-
tritiuae vires competere videntur. Spiritus iuni-
peri, quo vſa eſt aegrota, non quidem ipſam
nutriuit, verum potius roborauit, et ad famis ſen-
ſum percipiendum ineptiorem reddidit. Ipſe quo-
que aëris ſuffimigiorumque acceſſus ad ipſam
p. 113. alendam aliquid contuliſſe videtur. Sub finem
vero libelli exempla ſimilium morborum ab aliis
obſer-

obſeruatorum adiunxit, quae vel ex libro ipſo hauriendā, vel ex fontibus colligenda omiſimus.

Tabulae aeneae, multa aſſiduitate factae, quae additae ſunt, viſcerum abdominalium diſcrepantiam exhibent, quam paucis tradidimus.

## XX.

SEBASTIANI SEVERII Rauennatis Almi Collegii Borromaeorum Alumni Commentarius, in quo medicatae quaſſiae vires expenduntur. Ticini Regii 1776. 4. apud Marcum Antonium Porro, Ioſeph Bianchi et Socios Typographos in Via Noua, Superiorum Facultate. pagg. 120 praeter dedicationem et approbationes.

Ligni amari Surinamenſis ſeu Quaſſiae vim medicam et alibi *) a nobis memoratam, Cl. Auctor hic perſequitur. Interius betulae, exterius cortici ſimaroubae ſimile dicitur. Exorditur Noſter hunc tractatum ab obſeruationibus, quae potiſſimum intermittentes febres ſpectant; dein ad quaedam tranſit experimenta, quae partim vim antiputridam in quaſſia et cortice Peruuiano concernunt et definiunt; partim quasſiae naturam, analyſin, proprietates, agendique modum ſpectant. p. 7.

Obſeruationes de effectu ligni quaſſiae bono in febribus intermittentibus, interdum ſat pertinacibus partim ab Ipſo Cl. Auctore, partim ab aliis ſunt collectae et hic communicatae: Cl. BLOMIVS iam retulit, in America contra febres intermittentes, vbi non raro corticis Peruuiani vſus irritus fuit, lignum hoc ad drachmam vnam in qua- p. 13.

 cunque

*) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 321.

cunque forma exhibitum, egregii vſus fuiſſe **).
Cl. BLOMII formula eſt haec: Rec. lign. quaſſ. raſ. dr. I. aq. font. ebull. lib. I. ſtent in digeſtione per horulam et infuſi detur vnc. I. pro doſi. Tuto augetur doſis nimirum, ad triplum & quadruplum.

p. 13. Praemiſſis itaque obſeruationibus febrium intermittentium, in quibus quaſſia cum et ſine fructu eſt adhibita, et quae perniciosae et pertinaces erant et varii generis, ſummam harum obſerua-
p. 75. tionum Noſter communicat. Quaſſia iuuat intermittentes febres vernales, quotidianas tertianas, quartanas duplices, vti hic ex hiſtoriis additis apparet. Reditus earum febrium quaſſia ſanatarum obſeruatur aeque ac poſt vſum corticis Peruuiani, quae continuato vſu quaſſiae iterum cedebant. Quae in reliquis anni temporibus occurrunt febres, nullo modo vſu quaſſiae potuerunt ſanari, nonnullae mitigatae ſunt, nonnullae exacerbatae. Nec quidquam magna doſis, quae erat ſex drachmarum per diem, praeſtitit, neque alia medicamenta, vt amara, ſalia, purgantia emeticaque inter vſum quaſſiae adhibita, vim eius adiuuerunt.

Praeterea ex his obſeruationibus apparet, quaſſiam, quacunque forma, etiam in puluere ad tres drachmas vna vice datam, nec vnquam ventriculum grauaſſe, nec nauſeam vomitumque creaſſe, neque aluum duxiſſe, neque obſtruxiſſe, ſed ſine vllo caloris ſenſu atque alia vlla moleſtia vrinis ſudoribuſque ciendis ſeruiiſſe. Igitur quaſſia praeſtat cortici Peruuiano, qui tamen quoad vim febrifugam ſemper quaſſiae praeferri meretur, vti pariter ex hiſtoriis hic a Noſtro narratis elucet: nam

**) v. LINNAEI amoenit. acad. Vol. VI. p. 420. & comm. noſtr. ſecund. dec. Suppl. I. p. 23.

nam illae febres, quas quaſſia nequiuit fugare, cortice facile tollebantur.

Iam venimus ad alteram partem huius tracta- p. 77. tus, vbi comparatur vis antiſeptica corticis et quaſſiae per tentamina extra corpus humanum diligenter facta. Sumſit ſcilicet duodecim vitrea vaſcula Noſter ea ipſa impleuit carne et ſolutionibus corticis et quaſſiae aquoſis et vinoſis atque mutationes quotidie obſeruatas et hic communicauit. Ex quibus apparebat, vim antiſepticam quaſſiae, ſi cum chinae chinae vi antiſeptica conferatur, longe eſſe minorem planeque languidiorem. Neque enim fermentationi officiebat, neque aceſcentiam cauebat, neque aciditatem ipſam liquoribus adimebat aut mutabat lignum Surinamenſe, nec aër fixus ex quaſſia per fermentationem eductus ad putredinem arcendam praeſtantior eſt aëre fixo chinae. Quae cum ita ſint, nunquam quaſſia cum cortice poteſt et debet comparari.

In tertia parte chemice et pharmaceutice diſ- p. 92. quiritur quaſſia a Noſtro, adiuuante PAVLO NOCETTIO in arte chemica claro. Duplici vſi ſunt chemicae reſolutionis genere ad indolem quaſſiae definiendam, lentiorem putamus atque valentiorem. Idem hoc factum eſt in collectaneis Berolinenſibus *), quae autem poſtea ad manus Cl. Auctoris peruenerant. En experimentorum, cum multa ac- p. 98. curatione inſtitutorum, ſummam: poſt duodecimam infuſionem aqua vix amplius amareſcebat. Terra erat ſemper poſt ſingulam infuſionem quamlibet ſubpinguis, luto ſimilis, cinerea: cum acidis liquoribus nequaquam efferuuit, nonnihil tamen, admota flamma, deflagrare viſa eſt, pondus huius terrae aequabat drachmam et viginti et vnum granum. Infuſio conſtabat nempe ex ſex



*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 322.

vnciis quaſſiae et totidem libris aquae deſtillatae communis. Extracta inde parata ſingula erant ſubfuſca, valde amara, tenacia neque ad ignem flammeſcentia, exceptis duabus illis partibus, quae ex vndecima et duodecima infuſione comparatae ſunt cet.

p. 103. Poſtquam aquoſa frigida et ſpirituoſa infuſione, coctione et combuſtione cet. quaſſiae partes conſtitutiuae erant hic diſquiſitae, ſequentia definiuit Noſter: Quaſſiae ineſſe, terram, eamque triplicem, prima eſt *argilloſa*, ſecunda *calcarea*, tertia *martialis*, videtur Noſtro, etiamſi Cl. BEAUME contra Cl. Auctorem dicit. Praeter hanc terram, ſit ſimplex, ſit multiplex, continet quaſſia gummi non paucum, valde amarum, reſinam porro, magis amarum gummi, oleum eſſentiale, mucoſum gluten, aërem fixum, nec non peculiare ſalis genus, quod eſſentialis ſalis nomen meretur. Figura eius hexagona, ſapor amarus, frigoris ſenſus, quem, inquit Cl. Auctor, in lingua inducit et deflagratio nitroſam naturam indubie declarant. Alcalinae indolis eſt hoc ſal et videtur Noſtro marini ſalis quid in quaſſia latitare, quod raro nitrum, quo quaſſiam ſcatere vidit Noſter, a ſalis marini miſcela disiungitur. cet.

p. 117. Vltimo loco expendit Noſter quaſſiae proprietates, vires agendique rationem. Summa ei eſt leuitas, peculiaris amarities, non acris, non ingrata, ſed ventriculo amica, nullus ſtypticus ſapor, odor vero, etſi leuis, aromaticus fermeque balſamicus. Vires eius pendent potiſſimum a gummi-reſinoſis et ſalinis partibus, quibus ſcatet, cum terra arctiſſime coniunctis, quarum ope leniter ſtimulat, incidit, abſtergit, aperit excretioneſque blande promouet. Ventriculi fibras ad periſtalticum motum allicit, amaritie et detergendi

vi

vi bilis vices gerit; coctionem laeſam iuuat et ventriculum roborat, ſanguinem non exaeſtuat et hoc Noſter a nitro, quod ineſt quaſſiae, deriuat, eidemque cruſtae inflammatoriae reſolutionem, quam quaſſiae tribuit LINNAEVS *), ac vrinae copioſum profluuium ab ea adſcribit; putredini porro, corruptioni, gangraenae morbiſque colliquatiuis prodeſſe poteſt quaſſia, aciditatem non arcet aut emendat, ſi vero aliquid boni praeſtat in cruditatibus acidis, id ſtomachicae et roboranti vi quaſſiae tribuendum Noſtro videtur. Atque ita iuuabit quaſſia vel ſola vel aliis remediis coniuncta hypochondriacos, hyſtericas, arthriticos, et ſudores nocturnos, diarrhoeas, febreſque putridas coercebit. Febres intermittentes mitiores quaſſia, vti ſupra eſt dictum, propellit et earum reditum, quoniam ventriculi functiones et perſpirationem egregie adiuuat, cauet. Poteſt quoque in iis febribus innoxie vſurpari, in quibus diatheſis inflammatoria aut pulmonum morbi acuti corticis Peruuiani vſum reddunt ſuſpectum.

## XXI.

## Noua phyſico medica.

Die 29. Decembr. 1776. celebrauit Academia Imperialis Scientiarum *Petropolitana* iubilaeum fundationis ſuae ſemiſeculare **). Cuius quidem ſolemnitatis breuem tantum tradamus Lectoribus epitomen. Cl. I. A. EVLER Secretarius academiae orationem habuit de illius feſtiuitatis cauſa. Qua finita Director Academiae Cl. SERGEY

*) v. l. l.

**) *Nachrichten von dem Jubelfeſte der Kayſerlichen Academie der Wiſſenſchaften. Vermiſchte Nachrichten von der Academie der Wiſſenſchaften.*

GEY GERASSIMOWITSCH DOMASCHNEW, aliam Ruſſico ſermone conceptam recitauit, *de officio Societatum eruditarum obſeruationes phyſicas cum caſibus philoſophiae moralis coniungendi.* Tum Cl. GÜLDENSTAEDT de iuribus quibuſdam cameralibus Ruſſiae in Gallica nempe lingua, diſſeruit. Praelegebantur poſtea elaborationes quaeſtionum praeterito anno ab Academia propoſitarum, de *Sanguificatione* *) nempe et *de diuerſitate ſonorum a tubis aequaliter amplis et in latere foramine inſtructis editorum* caet. Praemium de priori illa Exp. THOUVENEL Monſpelienſi conceſſit, poſteriorem vero nondum ſatis explicitam pro anno 1778 denuo proponere placuit. His vero peractis, vt rei nauticae, maximeque patriae, conſuleret, problema ſequens in annum 1779. proponere ſtatuit: *Vt ſuggerantur methodi et ſubſtantiae, ex qualicunque naturae regno, petitae illae ſint, diſpendio haud adeo magno parabiles, quae trabes quercinas aliasue naualibus deſtinatas, vel recentes, vel exſiccatas, iuſto temporis ſpatio totas penetrent atque condiant, ita vt a putredine ſolito diutius conſeruentur, neque tamen reddantur intractabiles vel magis igneſcentes, minoriue, quam antea, robore polleant.* Praemium erit centum nummorum aureorum Hollandicorum. Inuitati vero ſunt omnes viri docti, Sociis Academiae, Petropoli habitantibus, exceptis, vt de his quaeſtionibus, cogitata ſua atque obſeruata ante 1. Ianuarii cuiuſque anni ad Dn. IOAN. ALBERT. EVLER, tranſmitterent. Admonentur vero ii, qui hanc rem ſubire volunt, vt lingua Ruſſica, vel Latina, vel Germanica, vel Gallica, diſtincte, abſque nominibus ſuis, conſcribant. Poſtea Cl. RUMOWSKY *Sciagraphiam politicae ac phyſicae Geographiae Ruſſiae* praelegit.

Socie-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 165.

Societas Regia Scientiarum *Hafnienſis* inter alias quaeſtiones a noſtro inſtituto alienas, hanc propoſuit, *quum minerae cobalti non raro alia metalla et mineralia contineant, quae elegantiam coerulei coloris in Smalto, encauſtis et porcellana infringunt, quaeritur methodus facilis, haec inquinamenta hinc ſeparandi.* Is, qui Societatis exſpectationi reſpondet, accipiet monetam auream C. thalerorum, Danicorum. Elaborationes Ill. HIELMSTIERNE vectigalibus ſolutis, mittantur, et quidem ante finem Auguſti menſis 1779. Iudicium Societatis menſe Octobri eiusdem anni declarabitur.

Academia Scientiarum et Artium elegantiorum *Berolinenſis* quaeſtionem ad annum 1777 propoſitam, 1778 repetitam et a nobis iam memoratam *) iterum iterumque communicat cum viris eruditis ac pollicetur duplex praemium. Exſpectabit commentarios ante diem 1. Ianuarii 1781.

Ill. ELLERI praemium, quod conſtat ſeptuaginta et quinque nummis aureis Hollandicis offertur ei, qui claſſificationem vegetabilium ſecundum differentiam radicum ita tradet, vt reſpiciat ad ſingulae claſſis culturam. Elaborationes Ianuario 1779 mittantur.

Regia *Gottingenſis* Scientiarum Societas proponit ad Iulium 1779 et optat, *curioſam deſcriptionem eorum inſectorum, quae plantas in caldariis et fimetis (inprimis vbi cucumeres et melones ſunt plantatae) infeſtant et ea remedia, quae, illaeſa plantarum integritate arcent et tollunt.* Quae praeterea ſunt mittendarum elaborationum adhibendae cautiones, non multum ante retulimus.

Socie-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 344.

Societas Oeconomica *Amſtelodamenſis* d. 16. Sept. 1777. conuenit, vt praemia ſuper quaeſtione de *terrae emendatione ope cinerum lignoſorum cet.* ab ſe olim propoſita diſtribueret. Nulla vero voto ſuo prorſus ſatisfecit elaboratio. Exhibuit vero aliam quandam pro anno 1779. huius nempe tenoris. *Quaenam ſint ſigna tabis* (*ongans*) *ouium? quaenam huius morbi cauſae? et quomodo ipſae praecaueri atque ſanari poſſint?* Praemium erit moneta aurea quinquaginta nummorum aureorum Hollandica. Commentationes vero ſolutis vectigalibus ad Cl. HIERONIMVM DE BOSCH, mittendae ſunt.

Academia Imperialis Regia Scientiarum et Bonarum Artium *Bruxellenſis* ad annum 1779. propoſuit hanc quaeſtionem: *de modo apes in Belgio alendi optimo mercaturae et oeconomiae vtiliſſimo.* Moneta aurea viginti et quinque nummorum aureorum Hollandicorum optimo tractatui praemium eſt conſtitutum. Mittantur vero tractatus, ſolutis impenſis ad Cl. DES ROCHES, qui Academiae perpetuo ab epiſtolis eſt.

Academia Electoralis Scientiarum *Manheimenſis* die 17. Octobris 1777. conuenit, et ad annum 1779. propoſuit, *vt cauſae mortis fulmine tactorum animalium per obſeruata et experimenta detegantur.* Reliqua in elaborandis ſcribendis et mittendis commentariis attendenda vide ſuperius *).

Societas artium *Vltraiectina* die 1. Decembris 1777, vbi conuenerat, hanc quaeſtionem propoſuit, ante 1. Decembr. 1779. reſoluendam: *Eſtne cultus arborum, et quarum in et circa vbes ciuium*

*) comm. noſtr. Vol. XXI. p. 540.

*ciuium ſanitati aërisque puritati proficuus an noxius?* Optima elaboratio viginti nummis aureis Hollandicis vel moneta aurea huius valoris honorabitur, ſunt vero Gallice, Belgice vel Latine ſcripta ſchediaſmata ad Cl. IOANNEM VAN HAAFTEN Societatis Secretarium mittenda.

Societas Imperialis Regia Agriculturae et Artium *Graecienſis*, patriae amore ducta, praemium quadraginta nummorum aureorum Hollandicorum tribuet ei, qui 1. Martii 1779. Germanica, Gallica, Latina, vel Italica lingua, *cultum ſyluarum optimum* tradiderit ita, vt 1) doceat quomodo varii generis ſyluae optime inſtruendae 2) quomodo conſeruandae et 3) quomodo vſurpandae; modus vero elaborationis erit, vt in prima parte experientiae habeatur ratio, in altera impedimenta propagationis arborum enumerentur, in tertia denique diuerſae arborum caedendarum methodi, varie applicandarum ratio enucleetur.

Academia Electoralis Scientiarum *Monachenſis* inter alias hanc propoſuit quaeſtionem: *Quaenam ſunt arſenici partes conſtituentes? quomodo agit in metalla et ſemimetalla? cur illud natura metallis admiſcuit? et confertne aliquid ad illa formanda, an deſtruenda?* Tractatus ad Cl. KENNEDY Secretarium ante finem Iulii 1779. ſunt mittendi.

Societas *Lipſica* Scientiarum Iablonouskiana, inter alia propoſuit: *vt lucis effectus ad vegetationem plantarum, per experimenta et obſeruationes determinentur, haeque obſeruationes culturae plantarum applicentur.* Tractatus Latine ſcripti ante vltimum Octobr. 1778. ad Cl. CLODIVM ſunt mittendi, praemium conſiſtit in moneta aurea viginti et quatuor nummorum aureorum Hollandicorum valore.

Facul-

Facultatis medicae *Lipſienſis* *) Aſſeſſores ſunt:

D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ Ordinis Medici Decanus perpetuus, qui die 25 Septembr. 1778. Doctor ſemiſecularis eſt **) factus.

D. IOANNES CHRISTOPHORVS POHLIVS Senior

D. ERNESTVS GOTTLOB BOSE,

D. CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE,

D. IOANNES CAROLVS GEHLER,

D. IOANNES GOTTLOB HAASE,

D. ERNESTVS PLATTNER,

NATHANAELIS GODOFREDVS LESKE Philoſophiae Doctor, Hiſtoriae Naturalis Prof. Publ. Extraordinarius et Societatum Regiae Patrioticae Holmenſis, Phyſiographicae Lundenſis, Naturae Curioſorum Berolinenſis, Electoralis Oeconomicae Lipſienſis et Apiariae in Luſatia Superiori Sodalis, nominatus eſt Profeſſor Oeconomiae Publicus Ordinarius *Lipſiae.* Adiit hoc munus programmate: *de agri noualis cultura et ratione pecudes in ſtabulis paſcendi* et oratione: *de recta ratione ſcientiae ruſticationis conſequendae*, die 25 Iul. 1778. habita.

Cl. LODER, Profeſſionem Anatomiae Chirurgiae et artis obſtetriciae in Academia Ienenſi accepit.

Cl. IO. CHRISTOPH. ANDR. MAYER Prof. Anat. Berol. *Francofurtum ad Viadrum* petiit, vt profeſſionem medicinae ordinariam ſubiret.

Cl. IO. GODOFR. FALKENBERG, ſecundam Anatomiae Profeſſionem *Berolini* ſuſcepit.

Cl.

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 155.

**) EIVSDEM Progr. inaug. Decanorum Facultatis Medicae Lipſicae ſeriem continuatam continens. Lipſiae 1778. 4.

Cl. I. C. D. SCHREBERO, Conſiliario Aulico, Profeſſio Hiſtoriae Naturalis eſt tradita *Erlangae.*

Cl. GEORG. HENR. WEBER, Med. Doct. Profeſtoris et Profeſſoris Medicinae extraordinarii munera *Kiliae* accepit.

Cl. IO. ANTON DE SCOPOLI, qui adhuc profeſſioni chemicae Schemnizienſi praefuit, die 1 Iulii 1777. Schemnizium reliquit, vt Profeſſionem hiſtoriae naturalis Pauianam ſuſciperet.

Cl. SAMVEL RAETZIVS ad Profeſſionem chirurgiae in noua Vniuerſitate literaria Budana eſt deſignatus.

Cl. DE LACHENAL Profeſſioni botanicae *Baſileae* eſt praefectus.

Cl. IOANNES DANIEL METZGER *Regiomonti* Profeſſoris anatomiae, medicinae, et artis obſtetriciae, in collegio medico aſſeſſoris et Poliatri Regiomontani munera accepit.

Cl. PHIL. FRID. THEOD. MECKEL Profeſſio anatomiae *Halae* eſt demandata.

Cl. I. S. SCHROETERVS Diaconus Wismarienſis inter Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Socios eſt receptus.

Academia Scientiarum *Pariſina* Cl. MARGGRAFIVM Chemicum Berolinenſem, inter Sodales ſuos recepit.

Cll. Viri FOERSTERVS SPRENGLERVSque Hafnienſes, a Societate Naturae Curioſorum Gedanenſi inter Socios ſunt recepti.

*Coloniae* ab vrbis Senatu collegium eſt fundatum, corporum diſſectioni, et faſciis applicandis deditum, quod 21 Nouembris 1777. eſt inauguratum.

Mortui ſunt:

Cl. PHILIBERT COMMERSON 1773. aetate 56.

Cl. PETRVS CRAMERVS *) *Amſtelodami.*

Cl. BORDEU *Pariſiis*, 1776.

Cl. ROUX Chemicus *Pariſiis*, Iulio 1776. vaporibus lethalibus butyri antimonii.

Cl. IO. HENR. BRANDAV Chirurg. Profeſſor, *Caſſellis*, 14 Octobr. 1776.

Cl. ANTON. DE CAPDEVILA, *Valentiae Conteſtanorum* Nouembri 1776.

Cl. ANTON. VALLISNIERI *Patauii* 15 Ianuarii 1777.

Cl. IO. ERNESTVS NEVBAVERVS *Ienae* 29. Ianuarii 1777. aetate 35, phthiſi pulmonali.

Cl. ROBERTVS DOSSIE *Londini* 20. Februarii 1777.

Cl. DAN. GOTTF. SCHREBER Prof. Oecon. *Lipſiae* 28. Martii 1777. aetate 69.

Cl. I. H. POTT *Berolini* 29 Martii 1777. aetate 85 maraſmo ſenili.

Cl. KLEVENFELD, *Hafniae* menſe Aprili 1777. aetate 77.

Cl. DAN. CHRISTIAN. BVRDACH, Med. Doct. *Lipſiae* 4. Iunii 1777. aetate 37.

Cl. CHRIST. HENR. HAENEL, *Dresdae* 16. Iunii 1777. aetate 61, apoplexia.

Cl. IO. CHRIST. POLYC. ERXLEBEN, *Gottingae* 18. Aug. 1777. aetate 37. febre lenta.

Cl. IO. ANDR. DE SEGNER *Halae*, 5. Octobr. 1777. aetate 73.

Cl. BERNARD. DE IUSSIEU *Pariſiis*, 6. Nov. 1777. aetate 79.

Cl. IO. ANDR. CRAMER, in regione *Dresdenſi* 6 Decembr. 1777. aetate 67.

Cl. ALB. DE HALLER, *Bernae* 12. Dec. 1777. aetate 69.

Cl. CAR. A LINNE' *Vpſaliae* d. 10. Ianuarii 1778. aetate 70.

Cl. IO-

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 204.

Cl. CAROL. DE GEER, *Holmiae* 7. Martii 1778. aetate 59. annorum.

Cl. IONAS KIRNANDER Archiater Regius, *Hafniae* 30 Mart. 1778 aetate 56. annorum.

Cl. MVZELIVS *Berolini* 14 April. 1778. aetate 29. annorum.

Cl. IOS. THADDAEVS KLINKOSCH, *Pragae* menſe Aprili 1778. aetate 43.

Cl. IO. FRIDR. ZÜCKERT, *Berolini* 1. Maji 1778. aetate 41.

Cl. FRIDR. BERNH. ALBINVS, *Lugduni Batauorum* 23 Maji 1778. aetate 53.

Cl. FRIDR. HENR. GVIL. MARTINI, *Berolini* 27. Iunii 1778. aetate 49.

Cl. C. G. WAGLER, *Brunsvici* 20. Iulii. 1778.

Cl. IOAN. IAC. HVBER, *Caſſellis* Iulio 1778. annis 71.

## XXII.

## Continuatio indicis phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1774 prodierunt.

*Auserleſene Abhandlungen practiſchen und chirurgiſchen Inhalts aus den philoſophiſchen Tranſactionen und Sammlungen der Iahre* 1699 *bis* 1720. *geſammlet und überſetzt von* NATHANAEL GOTTFRIED LESKE. *Erſter Theil. Lübeck und Leipzig.* 8. (Indicauimus quidem breuiter hoc inſtitutum in comm. noſtr. Vol. XIX. p. 552, attamen liceat hic huius rationem paulo amplius cum Lectoribus communicare. Coepit Cl. LESKE a primis harum Transactionum voluminibus et vtiliter vſus eſt contractis philoſophicis Transactionibus *The philoſophical Tranſactions from the year* 1699 *to the year* 1720 *abridg'd and diſpos'd under ge-*

*neral Heads. By* HENRY IONES *Ed. III. Lond.* 1749. 4, quas cum genuina editione Tranſactionum accurate comparauit. Secutus quoque eſt Cl. LESKE ordinem Cl. IONES ita tamen, vt obſervationes ſuo loco inſereret et ſimiles coniungeret. Quae cum ita ſint, reperiuntur hic primum morbi cutis, dein capitis, colli, thoracis, abdominis ibidemque contentorum viscerum, poſtea morbi vniuerſales et denique oſſium. Vbique translator breuitati ſtuduit, ita tamen, vt ne noceret rerum perſpicuitati. Et haec ipſa breuitas non ſolum cernitur in rebus omiſſis, quae ad notionem, cognitionem et medelam morbi nihil faciunt, ſed in iis etiam obſeruationibus prorſus neglectis, quae plane nihil conferunt ad medicinam et chirurgiam illuſtrandam, ſiue quae confuſionem plus efficiunt, quam vtilitatem, inprimis iunioribus medicis. Pariter omiſit Noſter morbos animalium. Interdum Cl. LESKE eas hypotheſes, quae viuentibus illis Auctoribus valebant, per recentiorum autem tentamina refutatae ſunt, inſeruit quidem in favorem hiſtoriae medicinae, attamen inſimul laudauit Auctorem, qui recte rem docuit. Praeterea ſedulo contulit loca laudata, eaque, quae nimis mutilata mancaque erant, maluit prorſus negligere. Tabulae aeneae additae quoque ſelectum produnt. Terminos technicos ſecundum HALLERVM, LVDWIGIVM, BOEHMERVM cet. quantum fieri potuit Germanicos reddidit. Quod ſi vero aptum inueniri nequibat nomen, aliquod elegit, addito tamen termino technico. Pondera Anglica medica comparauit cum noſtris, adiecto pariter Anglico nomine. Alia vero negotia impediuerunt Cl. LESKE, quo minus continuaret hoc vtiliter coeptum opus Ipſe, cuius

cuius tamen continuatio ab alio viro docto cum plauſu vulgatur. Ea autem, quae naturalem ſpectant hiſtoriam, edet Cl. LESKE, vti pollicetur et nos ſupra laudato loco promiſimus.

Reflection on the general treatement and cure of fevers. London 8. maj.

Examen hiſtorique ſur l'apparition de la maladie vénérienne en Europe et ſur la nature de cette epidemie. à Lisbon. 8. (*Eſt verſio Gallica libri, olim Anglica lingua primum vulgati.*)

La philoſophie des vapeurs, ou lettres raiſonnées d'une iolie femme ſur l'uſage des ſymptomes vaporeux. à Lauſanne 8. (*Satyra in praeſentem methodum medendi morbis inprimis neruoſis*).

*Sammlung merkwürdiger Erfahrungen, die den Werth und groſſen Nutzen der Pocken Inoculation näher beſtimmen können.* *Lübeck* 8.

*Fortſetzung von der erleichterten und den Müttern ſelbſt übertragenen Blatterimpfung. Riga* 8.

Obſeruationes de vteri conſtrictione v. AZZOGNIDI.

The young ſurgeons dictionary or pupil's inſtructor. Lond. 8. (s. a.)

A vindication of the forceps deſcribed and recommended by Dr. LEAKE; in which the injudicious and illiberal remarks on that ſubject, ſigned THOMAS DENHAM are examined and refuted. By a late pupil of Dr. LEAKE's. ib. 4. (*De hac fortipe iam egimus ſupra p.* 79.)

*Der Schleſiſche Arzt oder Betrachtungen über verſchiedene Gegenſtände der Arzneykunde, beſonders der Diät. Breſſlau* 8.

*Arzeneyen wider phyſicaliſche, ökonomiſche und diätetiſche Vorurtheile. Heilbronn.* 8. (Auctore Cl. WEBERO.

*Mediciniſch und chirurgiſches Handbuch für angehende Wundärzte und andre Liebhaber der Arzneywiſ-*

 *ſenſchaft.*

*ſenſchaft. Aus dem Engliſchen. Franckf. u. Leipzig.* 8. (Secunda et emendata editio.)

Number II. (to te continued the firſt of every month of the medical magazine; or general repoſitory of practical phyſic and ſurgery for ianuary 1774. Calculated for the aid and aſſiſtence of the phyſician, the ſurgeon, the apothecary, the chemiſt etc. By a ſociety of Gentlemen. Lond. 8.

Detail des ſuccès de l'etabliſſement que la ville de Paris a fait en faveur des perſonnes noyées cet. (*vid. hunc librum cum ſupplemento primo comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 129.)

Diarii medici naualis in expeditione Algerienſi conſcripti Annus Imus. Auctore URBAN BRVNN AASKOW M. D. et Claſſ. Reg. Dan. Medic. Hafn. 8. (*Opus omni attentione dignum, quod proxime indicabimus*).

IO. ABBATIE diſſ. de corpore cribroſo HIPPOCRATIS ſeu de textu mucoſo BORDEVII. Monſpelii, 4. (*Varias meditationes ſuper contextu mucoſo ſiue organo cellulari a Cl.* DE BORDEV *traditas* v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 607 ſqq).

FRANC. ALIX obſeruata chirurgica Faſc. I. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 254.

* * ALIX diſſ. de quaeſtionibus medico legalibus ex chirurgia declarandis. Erford. 4.

AUBENTON V. D'AUBENTON.

Hiſtoire des plantes de la Guyanne Francoiſe rangées ſuivant la méthode ſexuelle. Par M. FUSE'E AUBLET à Paris 4. c. f.

Obſervationes ad vteri conſtructionem pertinentes Auctore GERMAIN. AZZOGNIDI. Bonon. 4.

*Die wohlunterrichtete Landwirthin oder Anfangsgründe zur Erlernung einer klugen und vernünftigen Haus- und Landwirthſchafft zum beſten des weiblichen*

*weiblichen Geſchlechts geſammlet. Aus den Franzöſiſchen des Herrn* L. R. *v.* B. *in das Deutſche überſetzt. Neue um die Hälfte vermehrte und mit vielen Zuſätzen verbeſſerte Auflage. Nürnberg.* 8.

ERNST GOTTFRIED BALDINGER *von den Krankheiten einer Armee, aus eignen Wahrnehmungen im Preußiſchen Feldzuge aufgezeichnet. Langenſalza*, 8. (editio altera, emendata, primam v. Comm. noſtr. dec. IIdae ſuppl. I. p. 169).

EIVSD. diſſ. inaug. de morbis diſſimulatis, Reſp. *Hieron. Alex. de Marckphaill.* Götting. 4.

*Eiusd.* progr. de optima medicamentorum mixtione ib. 4.

P. I. BARTHEZ noua doctrina de functionibus naturae humanae. Monſpel. 4.

Elémens de pharmacie theorique et pratique. Par M. BAUBRE. à Paris 8.

CAR. IOS. BAUER diſſ. inaug. ſiſtens caſum practicum de pleuroperipneumonia cum animaduerſionibus. Ingolſtad. 4.

BAUME' *Handbuch der Scheidekunſt, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* F. X. WASSERBERG, *Wien.* 8.

I. W. BAVMERS *Naturgeſchichte aller Edelſteine, wie auch der Erden und Steine, ſo bisher zur Arzney ſind gebraucht worden. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von* CARL *Freyherrn und Reichsrittern* VON MEDINGER, *Wien* 8 *mai.* (Latinum titulum v. in Comm. noſtr. Vol. XIX. p. 554. Animaduerſiones et obſeruationes mineralogicae additae ſunt bonae).

EIVSD. diſſ. inaug. de veris tympanitae cauſſis ac rationali curatione, Reſp. *I. Eberz.* Gieſſae. 4.

*Oeconomiſch-phyſikaliſche Abhandlung über die Bienenpflege, beſonders im Thüringiſchen, von weiland*

*D.* I. W. BAUMER *aus dem Lateiniſchen überſetzt, mit gemeinnützlichen Anmerkungen und einem Anhange begleitet von einigen Gliedern der Fränkiſchen Bienengeſellſchaft, herausgegeben von* I. I. EYRICH, *Pfarrer in Anſpach. Anſpach.* 8. (Cl. BAVMER ſcripſit anno 1770. diſſertationem *de apum cultura, cumprimis in Thuringia.* Haec itaque Germanice cum variis additamentis hic traditur.)

IO. BECKMANN *phyſicaliſche oekonomiſche Bibliothek. Fünfter Band. Göttingen.* 8.

DE BELLETE diſſ. inaug. ſiſtens ligaturae polyporum vteri inſtituendae nouam methodum anteponendam. Reſp. *I. M. de Fraſne.* Pariſ. 4.

GEORG. RVDOLPH BENTSCHNEIDER diſſ. de ruminatione humana. Götting. 4.

I. H. BERNS diſſ. inaug. de ſitu fetus ad partum naturalem. Duisb. 4.

Traite de myologie. Par Mr. BERTIN. à Paris. 12.

Dictionaire raiſonné univerſel de matière médicale, concernant les végétaux, les animaux et les mineraux, qui ſont d'uſage en médécine, leurs deſcriptions, leurs analyſes, leurs vertus et leurs propriétés par feu Mr. DE LA BEYRIE et mis en ordre par M. GOULIN. à Paris. 8.

M. E. BLOCHS *mediciniſche Bemerkungen nebſt einer Abhandlung vom Pyrmonter Augenbrunnen. Berlin.* 8.

*Lehrbuch der Landwirthſchaft in vier Theilen von* IOHANN AVGVST FRIEDRICH BLOCK. *Leipzig.* 8.

PHILIP. ADOLPH. BOEHMER diſſ. inaug. de curatione febrium intermittentium ex aeſtuantia infida et nociua, Reſp. *Fr. Carol. Lindenberg.* Hal. 4.

Inſtitu-

Inſtitutiones mediçae in vſus annuae exercitationis domeſticae, digeſtae ab HERMAN. BOERHAAVE. Editio correcta noua et emendata. Edimb. 8.

I. K. H. BOERNERS *Sammlungen aus der Naturgeſchichte, Oekonomie, Polizey, Kameral- und Finanzwiſſenſchaft. Erſter Theil mit Kupfern. Dreßden.* 8. (Cl. Auctor partim hic collegit tractatus Latinos, Francogallicos et Italicos aliorum Auctorum, et tranſtulit in linguam Germanicam, partim ſuas quasdam obſeruationes tradidit.)

CARL BONNETS *wie auch einiger andern berühmten Naturforſcher auserleſene Abhandlungen aus der Inſektologie. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt und mit einigen Zuſätzen herausgegeben von* IO. AVG. EPHRAIM GÖTZE. *Halle.* 8 *mai. m. K.*

Traite de médécine theorique et pratique extrait des ouvrages de Mr. BORDEU avec des remarques critiques par Mr. MINVIELLE, Doct. en Médécine de la Faculté de Montpellier. à Paris. 12.

ERN. GOTTLOB BOSE diſſ. de morbis mentis delicta excuſantibus Resp. *C. G. Deutrich.* Lipſ. 4.

EIVSD. progr. inaug. de diagnoſi veneni ingeſti et ſponte in corpore geniti. ib. 4.

DAMIAN FRID. BOST diſſ. inaug. ſiſtens hiſtoriam aſthmatis. Erford. 4.

I. B. BRINCKMANN *Beyträge zu einer neuen Theorie der Gährungen. Düſſeldorf, Cleve und Leipzig.* 8.

GOTTLIEB FRIDRICH BRODHAG de morbis recurrentibus generatim, occaſione ſcabiei venereae, per circuitus redeuntis. Hal. 4.

WILH. BROMFIELDS *chirurgiſche Wahrnehmungen. Leipzig.* 8. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 405 ſqq. (Ibidem non ſolum Cl. BROMFIELDII librum re-

 cenſui-

cenſuimus. ſed et verſionis Germanicae et quorundam aliorum librorum contra Eum ſcriptorum mentionem fecimus.)

PETER IOSEPH BVCHOZ *Sammlung auserleſener Briefe zur Erhaltung der Geſundheit und durch den Bau und die Erziehung der Gewächſe ſich in kurzer Zeit zu bereichern. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Dritter Theil. Nürnberg.* 8. (v. comm. noſtr. Decad. IIdae ſuppl. IV. p. 673. Reliquos tomos ibidem p. 160 et 470 ſqq.)

Dictionnaire vétérinaire & des animaux domeſtiques, conténant leurs moeurs, leurs caracteres, leurs deſcriptions anatomiques, la maniere de les nourrir, de les élever & de les gouverner, les alimens, qui leur ſont propres, les maladies, aux quels ils ſont ſujets & leurs propriétés tant pour la médécine & la nourriture de l' homme, que pour tous les différens vſages de la Societé ciuile, auquel on a joint une Fauna Gallica. Par Mr. BUCHOZ à Paris 8. Tom. IV. (*Primus tomus prodiit* 1770, *alter* 1771, *tertius* 1773. *Eſt opus compilatum et potiſſimum* BOVRGELAT, VITET, LAFOSSE, BVFFON et BOMARE *ſcripta illud effecerunt. Praeterea vero additae ſunt tabulae aeneae magni* CLAVDII FESSARD, *qui eas* 1767 *ſculpſit, et quae ſeorſim quoque venduntur.* Repraeſentatur hic I. aſinus, hircus Gambienſis, anas domeſtica mas et femina, equi et canis quaedam varietates. II. Phaſiani galli vterque ſexus, et aliae varietates; Meleagris mas et femina; felis domeſtica, Angorenſis, tigrina, Hiſpanica. III. Ouis varietates. IV. Mulus, anſeris et columbae varietates.

Première centurie des planches enluminées et non enluminées repreſentant au naturel ce qui ſe trouve de plus intereſſant & de plus curieux parmi

mi les animaux, les végétaux & les mineraux, pour ſervir d' intelligence à l' hiſtoire générale de trois régnes de la nature par Mr. BVCHOZ. Dec. I. regne animal. à Paris. fol. mai.

I. BVERSINK diſſ. de hemicrania. Duisb. 4.

*Kurze Anweiſung, wie ein Lehrling der Wundarzneykunſt ſich in der Anatomie und Chirurgie die vornehmſten Anfangsgründe bekannt machen kann von* IO. AVGVST BÜTEFISCH, *Wundarzt in Braunſchweig. Braunſchweig.* 8.

CHPH. GOTTL. BÜTTNER *ſechs chirurgiſche Wahrnehmungen* v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 301.

Traité de minéraux par Mr. de BVFFON Tom. I. à Paris. 4.

EIVSD. Oeuvres complettes. Tom. I. et II. ib. 4. (*Noua editio Hiſtoriae muſaei Regii*).

EIVSD. Oeuvres complettes. ib. 12. (*cum ſupplemento, in quo tractantur mineralia.*)

EIVSD. *allgemeine Naturgeſchichte. 6ter Theil. Berlin.* 8. *mai.* (Gallicum librum v. comm. noſtr. Vol. VII. p. 3.)

THEODORICI PETRI CAELS, Medic. Licentiati, de Belgii plantis qualitate quadam hominibus caeteriſue animalibus nociua ſeu venenata praeditis, ſymptomatibus ab earum vſu productis, nec non antidotis adhibendis diſſertatio, cui Caeſarea ac Regia ſcientiarum et litterarum Academia, quae floret Bruxellis, palmam detulit anno 1773. Bruxellis. 4. mai. (*Quaeſtionis huius iam in nouis phyſico medicis mentionem fecimus.* vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 364. *Inter acria venena reperimus hic rubiam tinctorum, quoniam aues, cum ea, ad oſſa tingenda, nimis diu nutritae, pereunt. Dein narcotica, viſcoſa, oleoſa, alcalina plantarum ſalia et varii vapores venenati a Cl.* CAELS *hic*

*hic tractantur cum ſuis effectibus et antidotis. Praeterea ad hiſtoriam huius Academiae, quam loco laudato et aliis v. Vol. XVIII. p. 716. tradidimus, pertinet id, quod* Eadem *quaeſtiones praemiis condecoratas ſimul quotannis vulgat ita inſcriptas:* mémoires ſur les queſtions propoſées par l'Academie Imperiale et Royale des ſciences & belles lettres de Bruxelles, qui ont remportés les prix. *Poteſt tamen ſingula tractatio ſeorſim quoque haberi.*)

Traité de bêtes à laine, ou méthode d' élever & de gouverner les Troupeaux aux Champs & à la Bergerie. Par Mr. CARLIER. à Paris. in 4 Voll. 2.

Avantages de l' inoculation avec la meilleure méthode de l'adminiſtrer. Par Mr. CAMPER. à Toulouſe & à Paris. 8. (PETRVS CAMPERVS *ab Academia Regia Scientiarum Toloſana praemium accepit.* v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 357. et 537. *Vide et ibidem p. 59. Eius annotationes ſuper variolis Belgica lingua traditas.*)

EIVSD. diſſ. de emolumentis et optima methodo inſitionis variolarum. Accedunt EIVSDEM epiſtolae de emolumentis ſectionis ſynchondroſeos oſſium pubis in partu difficili cet. Groning. 8.

Nouveau plan d' education pour former des hommes inſtruits & des citoyens utiles, auquel on a ioint une definition ſur l' etude des langues, qu'on doit y admettre. Par Mr. CHARPENTIER. à Paris. 8.

Traité théoretique & pratique des maladies inflammatoires. Par M. I. F. CARRERE. ib. 12.

I. F. CARTHEVSER diſſertationes phyſico-chemico-medicae, annis nuperis de quibusdam materiae medicae ſubiectis exaratae ac publice habitae, nunc iterum recuſae. Francof. ad Viadr. 8.

(Diſſer-

(Diſſertationes in hoc libello contentae ſunt: 1. De Radice Mungo. 2. De Opobalſamo. 3. De Millepedibus. 4. De Calycibus aromaticis florum caſſiae Zeylanicae. 5. De Radice Colomba).

Manuel anti-ſiphyllitique, ou eſſai ſur les maladies vénériennes, avec un préſervatif de ces maladies Par Mr. DE CEZAN à Londres et à Paris. 12.

M. K. COHEN *theoretiſche und practiſche Abhandlung von Stein und den Arzneymitteln dagegen. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt mit einer Vorrede, Anmerkungen und einem Anhange, worinnen von einem doppelten männlichen Glied eines Menſchen Nachricht gegeben wird Vermehrt und herausgegeben von* I. L. NIEMAN. 8.

Oſſervazioni microſcopiche ſulla tremella e ſulla circulazione del fluido in una pianta acquainola dell' Abbate BONAVENTVRA CORTI. Lucca. 8. (*Ad animale regnum Tremellam pertinere putat Auctor*)

Eſſai ſur l' amelioration de l' agriculture dans les pays monteux & en particulier dans la Savoie avec des recherches ſur les principes & les moyens propres à y augmenter la population, la vivification & le bien être des peuples. Par Mr. COSTA.

EIVSD. eſſai ſur les moyens d' ameliorer la ſalubrité du ſeiour de Nancy. Mémoire couronnée de l' Academie Royale de ſciences arts & belles lettres de Lorraine. à Nancy. 8. (*Doctrinam atmoſphaerae phyſico medicam, loci rationem, emendationes rerum ſanitati infeſtarum, cauſſas, quae ad ſpurias peripneumonias et pleureſias, apoplexias lymphaticas, febres telioſas putridas, rheumatiſmos, oedema, aſthma, hydropiſiamque, morbos hic fere endemios, diſponunt, eorumque remedia continet hic liber.*)

DOM.

DOM. COTVNNI de aquae ductibus auris v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 538. Reperitur haec quoque diſſertatio in Cl. SANDIFORTII Theſauro diſſertationum v. comm. noſtr. decad. IIdae ſuppl. IV. p. 733.

Some thoughts on the nature of fevers By IOHN CURRY Lond. 8.

Voyage faits par les navigateurs Eſpagnols & Hollandois dans la mer du Sud traduits de l' Anglois de DALRYMPLE. Par Mr. DE FREVILLE. à Paris. 8.

D'AVBENTON planches d' hiſtoire naturelle. vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 11.

DAWSON'S caſes in the acute rheumatism and the gout. v. ib. p. 594. editionem alteram.

Deſcription méthodique d'une collection des mineraux. Par Mr. DELISLE. à Paris. 8. (*Deſcriptiones breues ſunt, attamen ſatis bonae*).

*Nachricht von den Geſundbrunnen bey Sichersreuth ohnweit Wonſiedel. Nebſt einer Anzeige der Brandenburgiſchen Geſundbrunnen und Bäder in Franken von D.* HEINRICH FRIEDRICH DELIVS. *Bayreuth.* 8.

IO. DICKS *vollſtändige Gartenkunſt, worinnen die bewährteſten Methoden, alle Arten von Bäumen, Gewächſen und Blumen nach alphabetiſcher Ordnung beſchrieben, zu ziehen, nebſt ausführlichen Regeln für die Gartenarbeiter überhaupt enthalten ſind, nach dem Engliſchen herausgegeben von D.* IO. ERNST ZEIHER. *Leipzig* 8 *mai.*

Reliqua proxime.

Conten-

## Contenta in hac parte.

I. Noua acta Regiae Societatis Scientiarum Vpſalienſis Vol. II. p. 387

II. POERNERS *Verſuche zum Nutzen der Faerbekunſt I. II. III. Theil* 401

III. GMELIN *von giftigen Gewächſen in Deutſchland* 422

IV. EIVSDEM *allgemeine Geſchichte der Gifte 1ſter Theil* 427

V. EIVSDEM *allgemeine Geſchichte der Pflanzengifte* 435

VI. EIVSDEM *allgemeine Geſchichte der mineraliſchen Gifte* 443

VII. BERGMANN diſſ. de arſenico 446

VIII. MARX *von den Kräften der Eicheln* 450

IX. SPIELMANN ſyllabus medicamentorum 451

X. NICOLAI *Pathologie 4ter Band* 452

XI. METZGER Aduerſaria medica 455

XII. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae 462

XIII. WHITERS obſ. on the abuſe of Medecine 471

XIV. Iournal de médécine chirurgie cet. Par ROVX Tom. XLI et XLII. 476

XV. FORSKÅL deſcriptiones animalium cet. 503

XVI. EIVSDEM Flora Aegyptiaco Arabica ib.

XVII. EIVSDEM icones rerum naturalium 503

XVIII. Acta Heluetica Vol. VIII. 537

XIX. VOLTELEN hiſtoria ſeptennis apoſitiae 547

XX. SEVERIVS de viribus quaſſiae 551

XXI. Noua phyſico medica 555

XXII. Continuatio indicis phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1774 prodierunt. 563

# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.




## VOLVMINIS XXII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXIX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Lugduni Batauor. apud Fratres Luchtmann, Londini apud Fr. Elmsly
Venetiis apud I. B. Paſcali, Romae apud St. Richard, Aug.
Taurinor. apud Giraud et Gravier.

I.

## Obſervations & Mémoires ſur la Phyſique, ſur l'Hiſtoire naturelle & ſur les Arts & Mêtiers. Avec des Planches en Taille-Douce. Par Mr. l'Abbé ROZIER, à Paris, Hôtel de Thou, Rue des Poitevins. Tom. I. pagg. 504. Tom. II. pagg. 523. MDCCLXXIII. 4.

i. e.

## Obſeruationes, quae ad phyſicam, hiſtoriamque naturalem et artes ſpectant, collectae a Cl. ROZIER.

Operis huius continuati ratione iam ſupra *) a nobis data, pergimus eos tractatus, qui ad nos pertinent, cum Lectoribus breuiter communicare, praemiſſis quibusdam adnotationibus. Annus 1773.

Scilicet ante hos tres vel quatuor annos controuerſiam inter eruditos nonnullos de norma grauitatis corporum, quam a Cl. NEWTONO demonſtratam, nouimus, exortam eſſe, quae excitabatur a Cl. COULTAUD, qui, experimentis in ſummis Alpibus factis, ſe reperiſſe putabat: grauitatem corporum non in ratione eorum diſtantiae quadratae a terrae centro imminui, ſed potius eo maiorem fieri, quo ſublimius ferrentur corpora. Obſeruationibus his, in Commentariis Eruditorum diuulgatis, primum tantum Cl. LE SAGE ſurrexit, vt

Oo 2 hanc

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 272.

hanc nouam experientiam labefactaret. Sed poſtea etiam multi alii accedebant, qui partim NEWTONI ſententiam, partim Cl. COULTAUD opinionem defenderent, eamque nouis experimentis ſtabilire conarentur. Atque quamquam Academia Duodunenſis doctores in hac doctrina peritos, ad hanc litem componendam, eligebat, nec non ipſi iſtas reprehenſiones, quibus Newtoniana ſententia deprimi crederetur, feliciſſimis et firmiſſimis argumentis refutarent: tamen non poterant pace et otio reſidere aduerſarii NEWTONI; nam ſingulus fere faſciculus huius operis continet tractationem de hac controuerſia. Igitur, cum nemo dubitet, qui naturam grauitatis ipſam conſiderat, quin NEWTONI ſententia firma et experimentis, caute inſtitutis, conſentanea ſit: nos horum tractatuum nullam omnino mentionem facturi ſumus.

Deinde etiam aliquis Auctor anonymus multas diſſertationes de natura radiorum ſolis huic operi inſeruit. Egit enim de coloribus luminis qui inter duas laminas vitreas, a radiis ſolaribus exiſtunt; de apparentia, quam veſiculae aëreae in laminis vitreis efficiunt; de cauſſis refractionis propriis; de coloribus per ſpecula concaua contractis; de natura atmoſphaerarum opticarum circa quaedam corpora, radios inflectentia; de extremitatibus luminoſis circa vmbras quorundam corporum; de reflexione radiorum a corporibus pellucidis; de argumentis, quibus negatur, lumen immediate a ſuperficiebus corporum repercuti etc. Sed in his omnibus diſſertationibus nihil noui nec experimenta alia inuenies, quam quae in NEWTONI libro de optica vberius explicata legimus. Atque cum Noſtri Anonymi explicationes iſtorum phaeno-

phaenomenorum non modo multis et magnis difficultatibus ſubditae ſint; ſed etiam idem nonnumquam per idem illuſtrent, vti, quum dicit ad refringendos radios neceſſe eſſe, vt aliquod fluidum refringens in ſpatiolis, a propria materia vitri aut aquae vacuis, contineatur: nos etiam de his nihil commemorabimus. Reperimus autem notatu digna haec:

*Menſe Ianuarii:* Tom. I.

*Obſeruationes ſuper attractione et repulſione, quam ſales exſerunt, cum ipſi in cryſtallos coguntur. Auctore Cl.* BAVME'. Cum ſalis GLAVBERI ſolutionem, ad cryſtalliſationem vſque inſpiſſatam et vitrea cucurbita exceptam, contra aliud vas vitreum, ſale eiusdem generis plenum, poneret; cryſtallos in eo tantum latere cucurbitae cogi ſe vidiſſe dicit, quod aduerſus alterum vas vitreum ſpectaret eique velut accubaret, ad auerſum autem latus nullas omnino cryſtallos extitiſſe teſtatur. Vbi autem illud vas, quod antea ſalem GLAVBERI continebat, ſale tartari impleuerat, ſolutionem in cucurbita ad auerſum latus coiuiſſe et cryſtallos formaſſe affirmat. Inde autem ſequi exiſtimat, non modo affines materias ab affinibus viciſſim attrahi, ſed etiam diſſimiles a diſſimilibus manifeſte repelli. Nouum autem hoc aſſertum ad explicandas multas in arte chemica occurrentes rerum proprietates adhiberi poſſe ratur. Sed totum hoc experimentum Cl. LAVOISIER ſequenti diſſertatione iam refutare conatus eſt. p. 8.

*Animaduerſiones in quasdam obſeruationes ſuper cryſtalliſatione ſalium.* Iam Cl. Auctor experimentum, modo commemoratum ita repetiit, vt p. 10.

ſalis GLAVBERI libras ſex, in ſufficiente aquae fontanae copia liquefactas et ad cuticulam vſque euaporatas, per tot pocula vitrea diſtribueret, quot ſalis libras adhibuiſſet, atque prope ſingula pocula, quae per conclaue, circumpoſita atque ſatis longis interuallis inuicem diremta eſſent, alia vaſa vitrea, ſalibus, natura ſua multum diuerſis, repleta collocaret: primo enim vaſi immiſit cryſtallorum ſalis Glauberiani libras quatuor; ſecundo magnam copiam cinerum clauellatorum, tertio cineres clauellatos liquidos etc: atque, rebus ita coordinatis, per quinque horas omnia quieti reliquit: quibus praeterlapſis cryſtallos ſalis GLAVBERI in ſingulis poculis pari ratione ad latera coactas reperiebat. Nam adhaerebant non modo ad fundum poculorum vitreorum omnium cryſtalli, ſed etiam circa eorum latera. Iam, cum hoc experimentum ſaepius repeteret, eiusque exitum ſemper eodem modo euenire animaduerteret: hoc experimento Cl. BAVME' valde illuſum eſſe concludit.

p. 13. *De praeſentia alcali mineralis in plantis quibusdam. Auctore Cl.* ROVELLE. Salem ſodae aut omnino ſalem alcalinum mineralem abſque combuſtione aut incineratione e plantis quorundam generum obtineri, ſequentibus experimentis probatur. Scilicet, cum ſufficientem copiam plantarum, e quibus ſalem ſodae per incinerationem parare ſolent, in acido vitriolico, magna vi aquae diluto, digereret liquoremque litratum et ad cuticulam vſque euaporatum, quieti relinqueret: cryſtallos obtinuit tales, quales ex combinatione ſalis ſodae cum eodem acido vitriolico exiſtere nouimus. Ex quo confici putat, illud alcali, quod ad efficiendum hunc ſalem medium neceſſario requirebatur, haud dubie ex ipſis plan-

plantis adhibitis eſſe eductum. Conſentit itaque cum Ill. MARGGRAFIO, qui hos ſales alcalinos in ipſis plantis eſſe; neque eos ab ipſis plantis e ſolo vna cum nutrimento ſugi, nec vi ignis produci, probare conatus eſt.

*De acidis vegetabilibus, cicutae antidotis. Auctore Cl.* HARAM. Loquitur Cl. Auctor de *Conio maculato* LINN. ſiue de cicuta maiori BAVH. et aſſerit, ſe huius plantae ſucci menſuras cochleares duas feli infudiſſe, quae paullo poſt valde conuulſionibus torqueretur: ſed mox feli exhibita ſucci citri recenter expreſſi menſura cochlearis, animal priſtinam ſanitatem recuperaſſe. Ceterum putat Cl. Auctor conium eadem efficere in corporibus animalium, quae opium: vtrumque nempe humores animalium coagulare. p. 20.

*De inoculatione variolarum iſtarum, quae apud Iamaicos* pians *appellantur. Auctore Cl.* MACGRVDAN *Medico Iamaico.* Hunc morbum quodammodo ei ſimilem eſſe, qui apud nos interdum ſub nomine variolarum regnat: ſed in eo multum diſcrepare, quod per duo, tres, quatuorue annos eadem ſaeuitia graſſetur magnamque ſtragem nonnumquam edat. Puſtulae ſe manifeſtant inprimis ſub axillis, tum etiam circa inguina et partes genitales, easque dolor acerbus articulationum comitatur. Aegri quidam hoc morbo affecti etiam ſuperuenientibus vomendi conatibus et lienteria opprimuntur. Vlcera nonnunquam late ſerpunt et ipſas venas arrodunt, vt ſaepe haemorrhagiae periculoſae efficiantur. Homines habitu debiliori omnia ſymptomata huius morbi citius experiuntur, quam robuſtiores puſtuliſque quidem copioſioribus, ſed exilioribus obſidentur. Deinde p. 37.

perdunt naturalem colorem et fuſcum magis induunt; nec non appetitu deprauato afficiuntur, ita vt terram, carbones, cretam et praeſertim cineres herbae nicotianae comedant; hydrope denique atque hydrophobia moriuntur. Huic morbo medendi ratio haec eſt: ſtatu eruptionis incolae ſuis aegris menſuram cochlearem florum ſulphuris matutino tempore ſingulis diebus praebent balneisque lauant; ſtatu autem deſquamationis in locis calidis detinent, aegrisque mercurium dulcem in tanta copia porrigunt, vt ſaliuatio excitetur, quae ſexta, plerumque ſeptima die ſubueniat; ſequenti tempore decoctis ſudoriferis vtuntur. Quidam medici etiam aethiopem mineralem loco mercurii dulcis adhibuerunt. Verum cum Cl. Auctor vidiſſet, multos miſeros hac ratione medendi opprimi, aliam viam ingreſſus eſt. Fecit enim initium purgando, adhibita ialappa cum paucis granis calomellis; deinde electuarium ex theriaca Edimburgenſi, floribus ſulphuris, ſulphure aurato et ſyrupo aurantiorum aegris porrexit: initio autem ſtatus deſquamationis ſaliuationem leuem excitauit aegrosque conualeſcentes decoctis oryzae et hordei nutriuit. Morbum hunc, inoculatione propagatum, mitiorem euaſiſſe dicit Cl. Auctor. Monet praeterea mixturam Switenianam in iſtis calidis regionibus magno cum detrimento incolarum adhibitam eſſe: depelli quidem ea morbum cito poſſe, ſed renaſci eum etiam et intolerabiles dolores ventriculi inteſtinorumque ab eius vſu relinquere.

p. 62. *Deſcriptio Conyzae, cuius ſemina ex inſula Franciae Pariſium miſſa ſunt.* Conyza arboreſcens, caule multiplici, foliis lanceolatis acute dentatis, floribus in tribus capitibus acumine congeſtis: nomine

mine *triuiali, conyza viſcoſa,* appellatur et icone illuſtratur.

De *Moſcho moſchifero* LINN. Viuum hoc animal Verſaliae in horto ducis DE LA VRILLIERE nutritur. Exteriori forma ſimile eſt caprae aut hirco: magna cum celeritate curſitat et dentibus laniaribus maxillae ſuperioris, per duo digitos prominentibus, munitum, ſed caudae expers eſt: caeterum odorem ſpirat acerbum. Ipſum autem animal tabula aenea excuſum eſt. p. 63.

*Menſe Februarii.*

*De effectibus funeſtis miaſmatis cuiusdam venenati. Auctore Cl.* COTTA. Humatorem cadauer quoddam, putredine paene conſumtum, bipalio, ex improuiſo confodiſſe, quod vaporem ſpirauiſſet, qui humatori primum capillum criſparet, atque eum continuo humi proſterneret mortuum, Auctor aſſerit. Venam ſtatim ſectam ſanguinem nigrum et corruptum reddidiſſe, qui autem humatori ad manus fuerant famuli, odorem tantum foetidum grauantemque ſentiebant. p. 109.

*De monſtro humano. Auctore Cl.* HYACINTHO FABRI. Huius monſtri oſſa bregmatis temporumque et frontis erant cartilaginea tantum, quae ad ipſam cranii baſin adhaerebant ita, vt hae cartilagines cum oſſe occipitis et pterygoideo aliquod planum excauatum, nullo cerebro intercedente, formarent: neque haec oſſa integumentis communibus veſtita, atque oculorum bulbi extra orbitas poſiti deprehendebantur. Femina robuſta et ſatis firma valetudine fruens hunc fortaſſe caſu quodam obtritum fetum prope Bononiam in lucem edidit. Caeterum de natura mon- p. 110.

ſtrorum naeuisque maternis Cl. Auctor diſputat.

p. 119. *Analyſis aquae mineralis, quae Montecenis in Burgundia ſcaturit. Auctore Cl.* DE MORVEAV. Experimentis conſuetis, Cl. Auctor docet, hanc aquam ſalem marinum, crocum martis et ſulphur ſiue phlogiſton continere.

*Menſe Martii.*

p. 150. et 460. *De attractione et repulſione aquae et olei. Auctore Cl.* DE MORVEAV. Negat Cl. Auctor corpora pinguia ab aquoſis repelli ſuamque ſententiam ſequentibus experimentis ſtabilit. Primum per tubulos capillares oleum ſugebat, vt illinerentur, eoſque continuo aquae immittebat: quo facto ſe vidiſſe ait, aquam vtique paullulum ſupra ſummam aquam externam aſcendere. Ex his autem colligit: attractionem inter aquam et oleum omnino negari non poſſe: hoc autem concedit, eam minus validam inter aquam et oleum, quam inter homogeneas materias reperiri. Igitur vt horum diuerſorum corporum actionem metiretur, laminam vitream ſeuo illinebat, eamque filo de libra ſuſpendit in ſummam aquam, oleum tartari, oleum oliuarum, et ſpiritum vini: cum autem ad ſuperandam cohaeſionem in oppoſitam lancem librae pondus apponere oportebat 334; 294; 280; 226 granorum: vbi autem nudam laminam vitream ad idem experimentum adhibuerat, ipſe ad tollendam vitri cohaerentiam cum iisdem quatuor materiis diuerſis pondus 756; 250; 240; 192; 162 granorum ſuper imponebat. Pondus ipſius vitreae laminae e calculo exiiſſe monet Noſter. Experimentum praeterea ſub campana, aëre vacua eundem exitum habuit.

*Animaduerſiones in tabulas affinitatum chemicarum. Auctore Cl.* DE FOVRCY. Loquitur primum Cl. Auctor de iis, qui antea huic rei explicandae ſuum ſtudium impendere. Scilicet Cl. GEOFFROY, GROSSIVM, RÜDIGERVM, GELLERTVM, DE LIMBVRG et DE MACHY, tabulas ſuas edidiſſe: ſed hos viros omnes non ſatis perſpicue locutos eſſe ait. Neque ſufficere putat, vt quis corpora chemica analyſi tantum inueſtiget: ſyntheſin enim nonnumquam etiam opus eſſe. Nam analyſi numquam poſſe intelligi affinitatem ſalium cum oleo; atque ſyntheſi v. c. non poſſe effici, vt intelligatur ſulphur acido vitriolico et materia inflammabili conſtare. Aſſerit praeterea Cl. Auctor acidum pingue ſolum et vnum eſſe medium, quod diuerſas et diſſimiles materias vniat aut affines reddat: quod quidem argumentis ſequentibus fulcit. Scilicet metalla auro et argento ignobiliora in acidis mineralibus citius diſſolui; calcem autem argenti et auri aeque facile, quam aurum et argentum ipſum liquefieri: calcibus enim metallorum plus acidi pinguis, quam metallis ipſis, praeſertim autem nobilioribus, contineri. Quae cum ita ſint, ſequi etiam ait, metalla et ſemimetalla ratione ſuarum partium terrenarum tantum differre, quae aut maiorem aut minorem copiam phlogiſti ſuſcipere poſſint. Quod autem partes terrenae metallorum diuerſorum reapſe differant, ex eo intelligi exiſtimat, quia quaedam calces metallorum in aceto ſolubiles ſint, aliae autem in eodem acido inſolubiles maneant. Stabilitis his fundamentis ad explicationem ſuae tabulae affinitatum, quoad copiam phlogiſti, redactae, progreditur. Conſtat ea columnis principalibus triginta ſex, et apud COLLARDVM ſculptorem Pariſiis venditur. Caeterum Cl. Auctor eas obiectiones reprehendit, quae

p. 197.

a Cl. IACQVIN contra acidum pingue MEYERI ſecundum BLACKII et MACBRIDII doctrinam de aëre fixo publici iuris factae ſunt. Sed quamquam Cl. Auctor Cl. IACQVINI reprehenſiones ſtudioſiſſime reprimere conatur, nos tamen ei hoc largiri non poſſumus, quod putet, radiis ſolaribus arcte coactis neque aurum neque lapidem calcareum in calcem commutari poſſe. Sunt enim experimenta poſterioris generis bono cum ſucceſſu a Cl. BVCHHOLZIO facta. Ignorat praeterea experimenta Pariſiis ipſis cum auro mediante illius ſpeculi cauſtici magni et famoſi inſtituta.

p. 223. *De excreſcentia ſingulari in capite cuiusdam apis. Auctore Cl.* LE CAT. Diuiſa erat haec excreſcentia in quatuor pedunculos, quorum ſingulo capitulum inſiſteret: haec capitula ſtaminibus berberis ſimilia videbantur. Sed putat Cl. Auctor hanc excreſcentiam nouum genus muſcarum vegetabilium efficere. Caeterum icone haec obſeruatio illuſtratur.

p. 326. *De herba theae. Auctore* Cl. FOVGEROVX DE BONDAROI. Regnum Sinae foliis huius fruticis ſingulo anno duo et viginti milliones librarum lucrari, Angloſque ſolos tres milliones nummorum aureorum per annum huic merci impendere, et Batauos eam e Iaponia aduehere Cl. Auctor affirmat. Deinde de indole et natura huius plantae loquitur; denique eius culturae, meſſis et rationis praeparandi mentionem facit. Fruticem hunc in quibusdam Sinae regionibus *theh*, in aliis *thea* appellari; Iaponiae autem *tſia* vocari dicit. Vſum eius infuſi anno praeteriti ſaeculi ſexageſimo inter Europaeos inualuiſſe et ipſam plantam primum deſcriptam eſſe a BAVHINO, deinde a

PLVKE-

PLVKENETIO, poſtea a KAEMPFERO, DV HALDE et BOCCONIO, et poſtremo a LINNAEO. Iam Noſter ipſum fruticem definit, et ſuam deſcriptionem figuris pulchris, aeneis tabulis excuſis, illuſtrat. Meſſis foliorum inſtituitur menſe Martii, vbi folia progerminare incipiunt. Tenerrima germina Imperatori aſſeruantur et maxima cum diligentia colliguntur. Serotina autem folia nobis Europaeis venduntur. Quae diligentiſſime colliguntur et exſiccantur, thea Imperialis, *ſteo theh*, appellantur; quae autem minoris pretii aeſtimantur, thea *bhout*, thea *pecko*, thea *viridis*, thea *heyſuan*, thea *ſaotchaou* etc. nominantur: ſed haec genera omnia non niſi ratione colligendi et exſiccandi, de qua plura adhuc Cl. Auctor dicit, differunt. Monet etiam Franco-Gallos, qui Americam incolunt, loco infuſi theae, decoctum *Caprariae biſlorae*, Hiſpanos autem, *Chenopodii ambroſioidis* Mexicani, infuſum bibere.

*Menſe Maii et Iunii.*

*Methodus aërem, vaporibus peſtiferis infectum, breui tempore exactiſſime purificandi. Auctore Cl. de* MORVEAV. Duoduno aedem S. *Metardi* anno cIↃIↃCCLXXIII, menſe Februarii vaporibus putridis, a cadaueribus ibi ſepultis, totam infectam impletamque fuiſſe ait. Igitur, vt hi vapores peſtiferi ſtatim diſſiparentur, diuerſis vicibus magna vis nitri exploſa eſt: herbae odoriferae, ſtorax, benzoe etc. comburebantur; aceti vaporibus aër implebatur; pauimentum adſpergebatur aceto antipeſtilentiali: quae tamen omnia nihil profecerunt. Verum, vbi ſalis marini humectati libras ſex cum oleo vitrioli vaſi vitreo infunderet, idque prunis ſuperimponeret Cl. Auctor, iſtos vapores putri- p. 436.

dos

dos breui tempore mitiores redditos aut plane diſſipatos animaduertit.

p. 450. *De aëre fixa. Auctore Cl.* RVTHERFORD. Putat Cl. Auctor grauitatem ſpecificam aëris fixi ad eandem grauitatem aëris liberi eſſe vt 16: 9; igitur ob ſuam grauitatem hunc aërem non poſſe in ſublime ferri: ſed ſummae terrae ſemper incumbere debere. Ait porro hunc aërem ex combinatione aëris atmoſphaerici et phlogiſti oriri, idque propterea, quod aëri, qui ſe metallis deflagrantibus immiſcet partemque eorum phlogiſti inſorbet, eandem indolem contrahat. Ex his autem ſequi exiſtimat; aërem fixum partim in terris calcareis generari, partim in animalium ſpiritibus gigni, partim per ipſam diſſolutionem corporum quorundam obtineri. Vapores autem, qui a diſſolutionibus metallorum formantur, non abſorberi a terris calcareis: neque eos, qui a fermentantibus acidis proueniunt. Ex quo ſequi putat: hos vapores nullo aëre fixo impraegnatos eſſe. Sed haec argumenta fere omnia ex BLACKII libro, de aëre fixo, deſumta ſunt.

p. 468. Quaedam de *Pelecani* LINN. ſpecie quadam *Auctore S. R. Abbate* VINCENTIO. BRISSONIVS eandem Sulam maiorem appellat, et a *Pelecano Sula* LINN. diſtinguit, ex ſynonymis tamen Briſſonianis apparet, LINNAEVM hanc ſpeciem pro varietate habere. Deſcriptionem BRISSONII aut non accuratam eſſe, aut diuerſas formas vel varietates huius auis dari: nam hanc, e Florida in Galliam migratam et ab incolis oppidi *Eu* captam, auem albis vnguibus, ſtriisque albis pedum, et cinereis maculis pectoris abdominisque a BRISSONII *Sula maiore* diſtingui. Species ipſius auis pulchre expreſſa eſt tabula aenea.

*Aetherem*

*Aetherem nitroſum deſtillatione obtinendi ratio, Auctore Cl.* BOGVES. Acidi nitroſi diluti libram vnam cum eadem copia ſpiritus vini commiſcuit Cl. Auctor, mixturamque retortae ſpatioſae infudit, cui recipiens ſic adaptatum erat, vt igne expanſo, aëri per calami fiſtulam, commiſſurae vaſorum interiectam, exitus pateret. Deinde ab initio ignem lenem adminiſtrauit et elapſis tribus horis vncias ſex liquoris citrini coloris obtinuit, quem aetherem nitroſum appellabat. Deinceps ſpiritus nitri dulcis deſtillabat, et, peracto labore, acidum nitri purum cum exigua parte ſpiritus vini in retorta remanebat. p. 478.

*Menſe Iulii.* T. II.

*De epidermidis morbo quodam ſingulari Auctore* Cl. DE LA MOTTE. Ruſtico cuidam ad partem anteriorem auriculae callus, ab intio exiguus, enaſcebatur: ſed breui tempore malum ita proſerpit, vt faciem, pectusque et totam corporis ſuperficiem occuparet. Exiſtebant ſquamae, quae ſubinde defluerent. Tum etiam veſiculae aquoſae enaſcebantur totumque corpus rubebat, quaſi eryſipelate afflictum eſſet. Vtebatur primum aeger mercurio dulci, ptiſanis et gelatinis antiſcorbuticis: ſed omnia nihil perficiebant. Igitur cum ipſa cutis poſtea multis in locis finderetur caroque fungoſa enaſceretur, balneis ex aqua pluuiali per totum menſem Iunii, iuſſu Cl. Auctoris, vſus eſt: atque hoc quidem ſingulis diebus per ſeptem horas fecit. His balneis quidem efficebatur hoc, vt tota cuticula deſquamaretur: ſed morbus tamen eadem ſaeuitia reuertebatur. Adhibebat propterea balnea ex decocto hepatis ſulphuris; porrigebat aegro ptiſanam ex ligno guaiaci et baecis p. 22.

iuniperi; praeſcribebat deinceps opium cum ſaſſaparilla, antimonium crudum et millepedes: ſed morbus eadem ſaeuitia ſemper progrediebatur. Putat Cl. Auctor hunc morbum ſimilem eſſe leprae ichthyoſeos SAUVAGESII. Caeterum deſcriptio huius morbi ad diſſertationem ſequentem alii Auctori occaſionem praebuit.

p. 24. *De ſtructura cuticulae et cutis. Auctore Cl.* BANAVD. Cuticulam ſuam originem non a corpore mucoſo aut reticulari MALPIGHII, vti recentiores credunt, ducere, ſed potius meris ſquamis conflatam ipſam eſſe Cl. Auctor aſſerit: atque hoc non ſolum e natura modo commemorati morbi, ſed etiam e ſquamis, quibus piſces aliaque animalia munita ſunt, intelligi, idque ipſum iam a BOERHAAVIO et LEUWENHOEKIO demonſtratum eſſe. Ait porro, hoc aſſumto, facile explicari poſſe, quo modo cuticula tam celeriter, vt modo dictum eſt, reſtituta ſit: viſcidum ſcilicet tenax per oſtiola vaſorum, in totius corporis extremo habitu hiantium, excretum eſſe atque continuo inſpiſſatum ſic, vt cuticula aut ſquamae heri formatae, ab iis, quae poſtero die apparebant, continuo propellerentur. Vngues, crines, pilos, lanam, plumas etc. eadem natura eſſe putat Cl. Auctor: cutim autem talibus ſquamis intertextis fibris carnoſis vaſculisque cutaneis et neruis conflatam eamque tranſudatis humoribus condenſatam aſſerit.

*Menſe Auguſti.*

p. 104. *Remedium ſpecificum contra peſtem inueniendi ratio. Auctore Cl.* MAVDVIT. Ad cognoſcendum contra peſtem medicamentum, haec facienda praecipit Cl. Auctor: Scilicet animali cuidam

dam domeſtico ſecetur vena, eique iniiciatur miaſma peſtilentiale; alii autem animali inſpergatur miaſma idem cum acido quodam commixtum: nam miaſma peſtilentiale alcalinae indolis eſſe, eique neceſſario contrariam materiam opponi debere, ſatis notum eſſe putat: iam, ſi prius animal peſte afficiatur, poſterius autem ſymptomata mitiora experiatur, adhibitum acidum contra peſtem vtique valere, aſſerit; ſi autem grauia ſymptomata ſe adhuc exſerant, experimentum repetendum eſſe adhibito acido alius generis. Suadet porro, vt initium faciant medici cum acido ſulphuris, deinde autem ad alia acida vegetabilia et mineralia progrediantur. Sic enim facillime medicamentum ſpecificum contra peſtem inueniri exiſtimat.

*Deſcriptio auis cuiusdam.* Garrulus Sinenſis, ſuperne pallide coeruleus, inferne albicans, collo et gutture nigris, roſtro pedibusque rubris. Hanc auem eam eſſe, quam nos ſaepe in tapetibus Sinenſibus depictam videmus, hic aſſeritur. Apud BRISSONIVM eius deſcriptio deſideratur. Pertinet autem ad *Corui* LINN. genus; caeterum in aenea tabula haec auis excuſa eſt. p. 146.

### *Menſe Septembris.*

*De diuerſis ſpeciebus frumenti, quibus Sinici populi maxime veſcuntur.* Inter nationes decem Sinicas ſeptem tantum Oryzam colunt, reliquae tres autem Melicam. Oryzae diuerſa genera coluntur: nam quoddam genus viſcoſum eſt, alterum non item; barbatum deinde quoddam, alterum imberbe; denique etiam ratione coloris et formae ipſa grana oryzae valde diſcrepant: quaedam enim magis oblonga et alba ſunt, alia autem rotunda et ſubrubra. Eſt etiam quoddam genus, ex p. 209.

 quo

quo potus, quem vinum appellant, praeparatur. Iſtud autem, quod *ma*, aut *tchyma* dicitur, optimum eſt: nam exprimitur ex eo oleum, quod, cum crines eo inunguntur, iis ſplendorem conciliat, atque iis, qui eo veſcuntur, ſanitatem affert. Sed vermes quosdam et ventos pernicioſos laetiſſimam frugem nonnumquam omnem conſumere Cl. Auctor aſſerit: tum etiam igne quodam fatuo, qui noctu circa ſpicas appareat et ab incolis *ignis daemonum* appelletur, hanc frugem ſaepe comburi. Denique Sinenſes diuerſa genera leguminum colunt, quae omnia ſub nomine *chou* comprehenduntur.

p. 218. *Reſponſum Cl.* DE FOVRCY *ad diſſertationem Cl.* IACQVINII *de aëre fixo contra doctrinam de acido pingui.* Commentatur Cl. Auctor in diſſertationem modo nominatam Cl. IACQVINII, *) eamque totam refutare conatur et ſingulos locos eius inveſtigat.

*Menſe Octobris.*

p. 261. *De cauſſis quibus argentum viuum in tubis Torricellianis modo attollitur, modo deprimitur. Auctore Cl.* DE LA MONTAGNE. Genera cauſarum huius apparentiae ſex eſſe putat Cl. Auctor: primo generi annumerat planetarum, praeſertim autem lunae, modo maiorem, modo minorem a terra diſtantiam, tum etiam eius tranſitum per meridianum; ſecundo adſcribit locorum, vbi obſeruationes cum barometro inſtituuntur, diuerſam latitudinem; tertio, accumulationem aëris, quae interdum

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 481. Ibidem et alia huc pertinentia ſcripta WIEGLEBII, CRANTZII cet. reperiuntur.

terdum per ventos, ſibi ex aduerſo oppoſitos, efficitur; quarto obſtructionem vulcanorum et ventorum ſubterraneorum; quinto, fermentationem et putredinem diuerſarum materiarum, quae magnam aëris copiam exhalant et ipſi atmoſphaerae ſuppeditant; ſexto denique generi viciſſitudinem caloris et frigoris atmoſphaerici attribuit. Singula haec genera diligenter et perſpicue Noſter explicat.

*De ſale acetoſellae eſſentiali obſeruatio. Auctore Cl.* BAYEV. Cum drachmis duabus ſalis puri, ex Acetoſa rotundifolia hortenſi paratis atque in ſedecim vnciis aquae deſtillatae calidae ſolutis, ſolutionem argenti viui per acidum nitri factam, commiſcuit Noſter et praecipitatum album obtinuit: liquore ſupernatante decantato et euaporato, praecipitatum ei ſalem acetoſellae cum mercurio commiſtum ſuppeditauit. Liquor autem decantatus per cryſtalliſationem ei tres et quinquaginta grana cryſtallorum acuformium nitri exhibuit. Eundem ſucceſſum expertus eſt Cl. Auctor, cum ſalem Acetoſellae aut Oxytriphylli Germanici ad experimentum adhibuerat. p. 324.

*Animaduerſio in definitionem lapidis cornei, quam Cl.* BAVMERVS *exhibuit. Auctore Cl.* MONNET. Definitionem, a BAVMERO exhibitam, lapidi corneo propterea non conuenire dicit, quia ipſa non ab eius definitione ſilicis igniarii diſcrepet: Lapidem enim corneum ſilice minus durum eſſe, neque cum alcalino ſale in vitrum fuſione conuerti poſſe: tum etiam eo pro coticula nonnullos vti aſſerit. p. 331.

*Menſe Nouembris.*

p. 384. *De electricitate, quae aurum fundit et purpuram mineralem ſuppeditat. Auctore Cl.* SIGAVD DE LA FOND. Putat Cl. Auctor machinam, electricitatis cucurbitis oblongis vitreis inſtructam, validiores effectus edere, quam laminae vitreae circulares. Vt autem frictio augeatur, puluinar aut ipſas cucurbitas amalgamate ex ſtanno et argento viuo inungi iubet. Deſcribit primo totum apparatum ſuae machinae, et poſtea ad experimentum ipſum enarrandum progreditur. Scilicet inter binas laminas vitreas auri lamellati binas ſtrias decuſſatim poſuit ita, vt earum extrema pars paullulum vltra laminas vitreas promineret; hunc apparatum deinde prelo aeneo arcte preſſit: atque, cum ſuam machinam, electricitate fartam, verſus prominentem auri extremam ſtriam explodiſſet, totam laminam auream, inter iſtas laminas coactam, fundi ſe vidiſſe dicit; ſed in purpuram mineralem tum demum conuerti aurum, cum electricitatis machina validiſſime agat. Caeterum eorum opinionem reprehendit, qui putant, hanc purpuram mineralem praeparandi rationem ei eſſe praeferendam, quam chemici ſequuntur: quod hac arte peritus quisque ei haud dubie facile concedet.

p. 390. *Animalia in Muſeis conſeruandi ratio. Auctore Cl.* MAVDVIT. Reprehendit Cl. Auctor primum eorum opinionem, qui mercurium ſublimatum aliaque venena contra inſecta conſeruandis animalibus noxia, adhibenda putent: nam vnguenta talia non modo inſectis necandis, ſed etiam hominibus peſtifera eſſe: tum formae et ſplendori praeparatorum conſeruandorum nocere, atque hoc

hoc etiam metuendum eſſe, ſi quis talia praeparata decoctis herbarum lauare velit. Igitur, vt aliam meliorem, inſecta noxia auertendi, rationem exhibeat, haec facienda commendat Cl. Auctor: primum ſcilicet docet, opus eſſe, vt ad mores rationemque viuendi ſinguli generis eorum reſpiciatur, eorumque propagatio caute impediatur. Ad talia inſecta pertinere dicit *Ptinum Furem* LINN. *Byrrhum*, *Dermeſtem tomentoſum maculatum*, *Tineam* et *Termetes*. Quaedam genera horum inſectorum lucem aduerſari: igitur ad haec auertenda hoc tantum opus eſſe, vt praeparata in loca illuſtria collocentur, aſſerit Noſter. Alia autem quietem amare: atque vt haec aufugiant, muſeum interdum concuti oportere dicit; ſed nonnumquam tamen opus eſſe, vt praeparata vaporibus ſulphureis mundentur idque ſequenti modo faciendum eſſe ait: Diuidatur ſcrinium ex aſſeribus in diuerſos loculos mediantibus ſeptis ligneis ſic, vt inter ipſos loculos communicatio per fiſſuras nonnullas ſeruetur; deinde in loculos ſuperiores ponantur ipſa mundanda praeparata et in infimo loculo adaptetur vaſculum cum floribus ſulphuris, clauſa ianua, iam comburendis: ita enim vapores ſulphureos circumire per iſtos loculos, et inſecta ſuffocatione necari dicit; idque variis vicibus propterea faciendum eſſe, vt, cum hi vapores ouulis inſectorum non officiant, animalcula certe recenter excluſa ſuffocentur totaque eorum proles extinguatur. Caeterum monet hanc operationem praeſertim menſe Decembris inſtitui debere*).

*Naturam montium diſcendi rationis proluſio.* p. 416. *Auctore* M. D. F. L. G. Q. MONTEADAMARI. Negari non poteſt, Cl. Auctorem de hac re ornate



*) vid. comm. noſtr. decad. II. Suppl. II. p. 326.

locutum eſſe conſiderationemque naturae montium diligenter commendaſſe, atque etiam viam aperuiſſe, qua hoc ſtudium proſequendum eſſet: cum autem eius praecepta breuiter recenſeri nequeant, ipſius commentarii lectionem commendamus.

*Menſe Decembris.*

p. 437. *De figura conductorum ad fulmen ab aedificiis auertendum aptiſſima. Auctore Cl.* LE ROY. Diſſentiunt phyſici in eo, an iſta perdica ferrea, quae, in ſummis aedificiis prominens, conductor electricitatis atmoſphaerae appellari conſueuit, in ſua extrema parte acuta, aut obtuſa, ſiue potius globulo terminata eſſe debeat? Noſter praefert obtuſae acutam, idque propterea, quia obtuſi conductores electricitatem non niſi e nubibus propinquis attrahunt atque, hoc facto, omnem electricitatis vim, quae in quadam nube continetur, ſimul magno cum fragore experiuntur ita, vt etiam nonnumquam catena et ipſe conductor diffulminentur. Putat e contrario acutos conductores electricitatem e longinquo ſenſim ſenſimque abſorbere, nec eos, vbi nubes propius accedant, ſcintillam magnam allicere poſſe. Haec omnia experimentis probare conatur diligentiſſimis et explicationem ipſam deſcriptionibus linearibus illuſtrat.

p. 445. *Analyſis lithanthracum, qui prope montem Cenis in Burgundia effodiuntur. Auctore Cl.* DE MORVEAV. Deſtillatione primum obtinuit flauum aliquod phlegma, quod vino commiſcibile eſſet; aucto autem igne, oleum ſubnigrum deſtillauit, quod valde acre eſſet, odoremque bituminoſum ſpiraret, et chartam coeruleam redderet viridem; validiſ-

validiſſimo demum igne adhibito, oleum nigrum ſpiſſum in vas recipiens deſcendit, quod odorem intolerabilem exhalaret, chartamque coeruleam in flauam conuerteret. Hoc vltimum oleum priori in forma guttularum coagulatarum ſupernatabat.

*De optima animalia, in muſeis aſſeruanda, capiendi et praeparandi ratione. Auctore Cl.* MAVDVIT. Longum ſane foret, hic omnia recenſere, quae Cl. Auctor monet: nam ample ſatis loquitur de omnibus cautionibus adhibendis, quae praeſertim tum diligenter notandae ſunt, cum talia animalia ſuper mare ad longiſſimas regiones vehi debent *). Digna eſt, quae ipſa legatur, haec diſſertatio. p. 473.

II.

Campi Phlegraei. Obſervations on the Volcanos of the two Sicilies, as they have been communicated to the Royal Society of London by Sir WILLIAM HAMILTON K. B. F. R. S. His Britannic Majeſty's Envoy extraordinary, and plenipotentiary at the Court of Naples. To which, in Order to convey the moſt preciſe idea of each remarck, a new and accurate Map is annexed. with 54 Plates illuminated, from Drawings taken and colour'd after Nature, under de Inſpection of the Author, by the Editor Mr. PETER FABRIS. Naples 1776.



*) Vid. ſupra p. 596.

Obſervations ſur les Volcans des deux Siciles, telles qu'elles ont été communiquées à la Societé Royale de Londres par le Chevalier HAMILTON. Aux quelles pour donner une idée plus preciſe de chaque Obſervation on a ajouté une Carte nouvelle & très exacte avec 54 planches enluminées d'apres les Deſſeins faits & coloriés ſur la nature même, ſous l'inſpection de l'Auteur par l'Editeur le Sieur PIERRE FABRIS. Naples 1776. pagg. 94. in folio.

i. e.

Campi Phlegraei ſ. obſeruationes ſuper Vulcanis duorum Siciliorum communicatae cum Societate Regia Londinenſi a GVILIELMO HAMILTON: quibus adnexa ſunt mappa geographica et 54 tabulae aeneae viuis coloribus illuſtratae, pictae ab Editore PETRO FABRIS.

Splendidiſſimus atque pretioſiſſimus eſt liber, cuius indicandi copiam nacti ſumus, cum ex laudabili litterarum et bonarum artium amore Viri Illuſtris, qui publicae bibliothecae Lipſienſi curandae praeeſt, factum ſit, vt haec ipſa bibliotheca pretioſiſſimo hoc libro augeretur. Curioſiſſima atque miratu digniſſima ſpectacula, magno ſane vitae periculo obſeruata, nec minori cum diligentia et arte delineata ſunt, atque adeo viuis coloribus picta a Cl. FABRIS concinne, vt naturae imaginem, quantum fieri poteſt, proxime aemulentur; etſi fatendum eſt, artifices nonnullos non eam

eam penicilli ſubtilitatem, neque colorum nitorem animaduerſuros eſſe, quas in nitidis quibusdam Gallorum et Germanorum picturis plerumque videre licet: interim eam ipſam nimiam, vt ita dicamus, artem et ſubtilitatem, a naturae imagine ſaepiſſime iconem alienam reddere putamus, atque magnam admiramur artem, naturae effigiem talem repraeſentare, qualis ſe nobis ipſa offert.

Exhibentur igitur tabulis his aeneis: Varia *Veſuuii* montis facies externa, eiuſque augmentum; proſpectus, quos Neapolis a diuerſis partibus praebet; eruptio lauae, hyeme quondam circiter 22 annis abhinc a Cl. FABRIS obſeruata; magna Veſuuii eruptio, quae 1767 d. 22 Oct. accidebat, et plures eruptiones eiuſque facies, variaque lauae ſtrata, a variis partibus, mons S. Angeli, minores montes, ex eruptionibus Veſuuii orti, mons ſummus (*monte Somma*) variae eius partes, introitus in ſpecum *Pauſilippi;* varii lacus, in cratere montium quondam igniuomorum enati, e. g. lacus *Agnani*, in cratere montis *Aſtruni;* thermae, *Piſciarelli* dictae, in monte *Solfatara* ſcaturientes; exterior et interior Solfatarae effigies, vrbis *Puzzoli* proſpectus, montis noui (*monte nuovo*) crater in ipſo fundo; proſpectus a monte Barbaro (*monte Gauro or barbaro*) in eius craterem, vbi lacus *Auerni* et *Fuſaro*, qui veterum eſt *Acheron*, ſimul conſpiciuntur; inſulae *Iſchiae* proſpectus; regio ex eruptionibus Vulcanorum nata, a veteribus nomine *Campi Phlegraei* appellata; Promontorii, *Capo dell'Arco* dicti, *Pandataria* veteribus, quod etiam a Vulcanorum exploſione ortum eſt, effigies: inſula *Stromboli*, quae vna eſt inſularum *Eolienſium* apud veteres. Vltimis tabulis ſingula nonnulla fruſta Lauae, Sulphuris, variorum petrefactorum, et Scoriarum delineata

 ſunt.

ſunt. Sane non ſine ſumma admiratione atque horrore maieſtatis atque potentiae virium naturae contemplamur tabulam *ſextam*, vbi eruptio Veſuuii anno 1767 d. 20 Oct. facta; tab. *nonam*, vbi crater Veſuuii, qualis ante hanc eruptionem fuerat; tab. *decimam*, vbi crater Veſuuii delineatur, qualis fuit 1756. ipſius eruptionis tempore; tab. *duodecimam*, quae eruptionis 1760 d. 23 Decembris inchoatae, et quinto Ianuarii finitae effigiem tradit: et tab. *trigeſimam octauam*, in qua eruptio Veſuuii d. 11 Maii 1771. facta, qualem noctu ſe offerebat, ſumma arte imitata eſt. Quanta debeat eſſe admiratio illius, qui ipſa haec naturae ſpectacula viderit, ex iconibus his facillime colligere licuit! neque nos audemus animi noſtri ſenſum verbis exprimere, neque amplius in ipſas imagines quaſi commentari; ſed Lectoribus, quibus datum eſt, vt ipſas has tabulas aeneas intueantur, contemplentur, et admirentur, commendamus. Haec de tabulis aeneis, quibus ſingulis breuis adiuncta eſt explicatio.

Altero in volumine mappa Geographica atque nonnulli proſpectus montium igniuomorum, procul viſorum, ac deinde epiſtolae Ill. HAMILTONI, ad Cl. IOANN. PRINGLE datae, continentur; ex quibus nonnulla referamus.

BUFFONII opinio refutatur, qui non, niſi
p. 7. paruos monticulos, a Vulcanis eleuari poſſe, eorumque ſedem ſ. focum in ſuperficie montium primaeuorum eſſe dixerit. Etenim montis *Veſuuii* altitudo ſupra horizontem eſt 3659½ pedum, atque circumferentia propemodum triginta milliarium: mons *Aetna* autem ſuper mare 10036 pedes eleuatur, atque circuitu 180 milliaria implet. Prope a lacu *Bolſena*, inter Romam et lacum *Radico-*

*dicoſani* ſito, obſeruatur laua columnaris, quamquam non adeo ſit regularis ac Baſaltes Irlandicus *viae*, quae dicitur, *giganteae*. Cl. LATAPIE, nobilis Gallus, omnem montoſam regionem a monte *Fiaſcone* vſque ad *Bolſena* eſſe ait compoſitam ex terris lapidibuſque Vulcanicis, ad horizontem ſitis, quorum notatu digniſſimus ſit Baſaltes: eſt enim quaſi ſemiuitrificatus, obſcure griſei coloris, formae columnaris pentaëdrae plerumque regularis, quae columnae inſtar cellularum apiarium ſecum nexae ſunt: obtectus cruſta albeſcente: non ad perpendiculum ſitae ſunt columnae, ſed angulum 45 graduum formant. Similis laua Baſaltica ex Veſuuio fluxit in lacum, qui intra *Reſinam* et *Torre del Greco* poſitus eſt. Antiquitus facta exploſione ex monte Aetna, in mare prope a *Catania*, inſula formata eſt, compoſita ex diſtinctis Baſaltis columnis, quae vel recta, vel ad horizontem, vel oblique ſitae ſunt, ſimiles iis, quas in *Staffa* deſcripſit Cl. PENNANT; in itinere ſuo in *Hebrides*.

A Cl. SAUSSURE communicatas obſeruationes ſuper terrarum ſolique natura circa Romam inſerit Ill. Auctor. Vbique ibi ſunt veſtigia Vulcanorum, miratu tamen eſt dignum oſſa Balaenarum aliaque corpora marina ibi eſſe inuenta. Exiſtimat etiam plures terrae tractus magnae ſatis extenſionis, exploſione ignium ſubterraneorum eſſe formatos: vbicunque enim laua ſeu materia vitrificata inueniatur, ibi etiam certiſſime adfuiſſe vulcanos; ex obſeruationibus autem in regno Neapolitano inſtitutis perſuaſus eſt Ill. Auctor, hanc vulcanorum productorum ſpeciem, ſi cum aliis ignium ſubterraneorum productis comparetur, admodum raram inueniri. Decem annorum ſpatio montes hos igniuomos diſquiſiuit Ill. Auctor, atque p. 8.

exin-

exinde apparuit, omnibus iisdem conos aut perfectos aut truncatos formari.

p. 14. Refertur hic eruptio montis Veſuuii anno 1767 facta, quae relatio etiam inſerta eſt Philoſophicis Tranſactionibus *), ex qua tamen haec notare placet: fumus in hoc monte multo maior erat humida in tempeſtate atque internae eius exploſiones ipſa in vrbe Neapoli, quae ſex milliarium ſpatio ab illa diſtat, audiebantur. Fumus erat albus, valde humidus, atque ſanitati minus noxius exhalationibus ſulphureis, quae ex rimis in montis ſuperficie euaporabant. Septembri fumus copioſior ipſa etiam ſerena tempeſtate continuabat, atque Octobri niger fumus intra album erumpebat, quod quidem eruptionem proxime inſtare ſignificabat. Paucos ante eruptionem dies vidit Ill. Auctor fumum formam arboris *Pini* aemulari, quemadmodum PLINIVS iam obſeruauit, cum deinde erruptio die 28 Martii inſequebatur, laua latitudine decem pedum ex Vulcani cratere effluebat; quo longius autem a cratere fluebat, eo latius etiam expandebatur. Quod phaenomenon exploſio antecedebat, qua terrae motus maximus excitabatur. Hoc facto, exploſionum ſonitus minus fortis erat, quam ante eruptionem fuerat, etſi lapides flagrantes maxima in copia eiiciebantur. Laua horae tempore ſpatium milliaris transfluebat, atque tum duo lauae fluuii in foſſam ſatis magnam, quae in quodam montis latere aderat, vniebantur, neque vltra progrediebantur. Proxime ad ipſum Vulcani gurgitem, quantum prudentia permittebat, accedens Ill. Auctor, vidit lauam metalli rubri fluentis faciem habere, ſupra quam cineres ſemiflagrantes natabant atque

*) vid. comm. noſt. Vol. XVII. p. 387.

atque vndarum inſtar ſupra latera montis praecipitando ſeſe cataractam quaſi ſatis miraculoſam formabant. Primo veſpere ignis pallidior erat, deinde autem obſcure rubro colore fulgebat; diuturno vero tempore praeter fumum denſum albumque ignis non conſpicitur, niſi admodum prope ad ipſum locum accedas. Vidit deinde Ill. Auctor lapidis 2000 librarum pondere per altitudinem perpendicularem ducentorum pedum ignis vi eiici atque in ipſum vulcani iurgitem vel proxime ab eo relabi.

Eruptio altera, quam deſcribit Ill. Auctor, maior, ac, cum eo ipſo tempore, quo eadem eueniebat, in monte verſaretur, Ipſi periculoſior, tanto terrae motu atque ſonitu exploſionum ſociata, vt maximum toti Neapolitanae regioni periculum minaretur. Fluuius, quem laua formabat, ſexaginta vel ſeptuaginta pedum erat altitudine, et latitudine duo milliaria aequabat. Cauſam nimii ſonitus et rumoris hanc eſſe putat, vt aquae pluuiales igni admixtae eundem augerent. Cineres, qui vltimo eruptionis die eiicebantur, inſtar niuis albi erant. p. 21.

In Inſula Iſchia mons, cui a *St. Nicolao* nomen eſt, ex laua conſtat atque eiuſdem fere eſt cum Veſuuio altitudinis. In regione circa Veſuuium inventum eſt ſtratum lauae viginti quinque pedes ſub maris ſuperficie; Omne ſolum ex laua in terram mutata fertiliſſima conſtat. Montem Solfatara dictum, olim vulcanum fuiſſe ex veſtigiis lauae illic conſpiciendis certum eſt; ſed ex abundantia ſulphuris et defectu particularum metallicarum eruptiones deſierunt. Mons nouus prope vrbem *Puzzoli* etiam igniuomus fuit. p. 34.

In epiſtola quarta obſeruationes circa montem Aetnam inſtitutae enarrantur, quarum ſummam, p. 37.

mam, cum iam philoſophicis Tranſactionibus inſertae ſint, alio tempore *), indicauimus.

p. 53. In epiſtola quinta circa naturam ſoli Neapolitani et regionis vicinae obſeruationes enarrantur; quae quidem eo redeunt, vt ipſum ignibus ſubterraneis productum eſſe oſtendant: veroſimile eſt etiam, mare baſin horum montium, qui pone Capuam et Caſertam ſiti, atque montium Apenninorum continuatio ſunt, inundaſſe Herculaneum, quod olim in ſuperficie terrae inſtructum erat, iam ſaltem 70-120 pedes ſub ea laua tectum et ſepultum eſt: idem etiam valet de Pompeio, quod pumice aliiſque cineribus atque humo fertili tectum reperitur. Veſtigia vidit, ſex ſaltem eruptiones ſupra Herculaneum eſſe effuſas. Putat Ill. Auctor, montem, qui nunc *ſummus* dicitur eundem eſſe cum veterum Veſuuio; Veſuuium vero hodiernum ſucceſſiuis eruptionibus eſſe formatum. *Campaniae* ſolum fertile ſtratis quatuor ſeu quinque pedum conſtat, quibus ſubiacent pumex, laua aliaque Vulcani producta. Montes poſt *Caſertam* poſiti ſunt calcarei. Solum, in quo aedificata eſt Neapolis, vti et circumiacens regio explosionibus vulcanicis producta eſt. Mons nouus ab vrbe *Puteoli* recentiori tempore enatus eſt, formam conicam perfectam habet atque vegetationi nondum conuenit. Crater eius fere eandem cum cono habet altitudinem, id eſt quartam milliaris partem. Sabulum in baſi huius montis in litore maris adeo calet, vt manu nuda attingi nequeat. Hunc montem vna exploſione ſpatio 48 horarum formatum eſſe ait. Hiſtoriam huius montis tradit ex libro Italico **). Exinde patet ignem ſubter-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XX. p. 469.

**) Dell' incendio di Pozzuolo MARCO ANTONIO DELLI

ſubterraneum ex intima terrae altitudine proru- piſſe. Etiam lacus, quorum imagines in tabulis dedit atque inſula *Procida* et *Iſchia* Vulcanorum vi producta ſunt. In poſteriore thermae repe- riuntur, quae valetudini multorum aegrotorum conueniunt. Plura praeterimus, quorum plura FERBERVS, BRYDONE et RECVPERO retule- runt.

## III.

Specimen Zoologiae Geographicae, Quadru- pedum domicilia et migrationes ſiſtens. Dedit tabulamque mundi Zoographicam adiunxit EBERH. AVG. GVILIELM. ZIMMER- MANN, Profeſſor Matheſ. et Phyſ. Collegii Carolini Brunsvicenſis. Lugduni Batauorum, Apud Theodorum Haak et Socios. MDCCLXXVII. 4. 3 Alph. 19 plagg. *)

In conſideratione Quadrupedum, quoad domici- lia, et dilatationem eorum, tres quaeſtiones fundamenti loco ponendas eſſe Cl. Auctor putauit. Primo, qui fiat, vt omnia ac ſingula quadrupedum genera vnam eandemque regionem inhabitare ne- queant

DELLI FALCONI all'Illuſtriſſima Signora MAR- CHESA DELLA PADUBA nel MDXXXVIII. Et Ra- gionamento del Terremoto del Nuovo Monte, dell' aprimento di terra in Pozzuolo nell'anno 1538, e della Significazione di eſſi per PIETRO GIACOMO DA TOLEDO, ſtampada in Napeli per Giovanni Sulzbach Alemano a 22 di Gennaro 1539.

*) Indicamus ſimul Cl. Auctorem ſuper hac materie iam edere librum Germanicum, multis locis emen- datum et auctum, cuius prima pars iam prodiit *Lip- ſiae* ex officina Weigandiana.

queant? Deinde, quaenam illorum per totum orbem diſſeminata inueniantur? Porro, ſi quibusdam terris aliqua ipſorum genera vel adeſſe, vel deeſſe obſeruantur, annon exinde, quibus fatis telluris ſuperficies olim vſa fuerit, probabili ſaltim ratione coniectari poſſit? In tres igitur claſſes omnes quadrupedes diuiſit, quarum prima eos continet, qui vel per integram telluris ſuperficiem diffuſi ſunt, vel ingentes ex vtroque aequatoris latere tractus occupant. Secundae illos tribuit, qui primis quidem minora, magna tamen ſatis terrae ſpatia inhabitant. Ad tertiam retulit, qui exiguis tantum regionum finibus circumſcribuntur. Vt itaque omnia loca, quae haec vel illa animantia inhabitarent, cognoſceret, itineraria aliosque multos libros hac ex cauſſa perſcrutatus eſt. In tabula ſ. mappa Zoologica domicilia animantium quadrupedum ad oculum demonſtrantur. Temporis ſucceſſu pollicetur ſpecialiores mappas, in quibus ſimul cuiusuis terrae tractus meteorologia exhibebitur, ſeu media Barometri et Thermometri menſura, venti, qui certis anni temporibus in hac vel illa regione flare ſoleant, acus magneticae inclinatio et declinatio.

p. 1. In proluſione de ſapienti rerum ordine et nexu hac in terrarum orbe, non fortuitis, ſed diuina mente inſtitutis et gubernatis, atque de animantium multitudine, plantarum et mineralium copiam longe ſuperante, et ſexcenta millia genera complectente, ample et docte exponitur. Has rerum conditarum claſſes conſtituendas putat, vt infimo loco *informes* planeque *rudes*, ſecundo *ardeſiae* cum cryſtallis, ſemimetallis, aliisque eius generis formae lapidibus ponantur. Sequentem *Salia* occupent; *lycoperdum ſubterraneum* ea excipiat, cui deinde *plantae* ſuccedant, quae per *poly-*

*pos*

*pos* animantium claſſi adnectantur. Animalem naturam infuſoriorum animalculorum contra repugnantes argumentis Cl. SPALLANZANI confirmat, atque ex eorum multitudine ipſum etiam animantium numerum mirifice augeri oſtendit. Quem quidem omnibus computatis, praeſertim addita marinorum animantium multitudine, *quinque millionibus et quadringentis millibus* confici autumat. Probabile etiam eſſe addit in aëre, quin forte in igne, animalcula viuere.

Capite primo de animalibus per totum pene terrarum orbem diſperſis; eorumque degenerationibus agitur. *Hominem* ſolum eſſe, qui per orbis terrarum omnes regiones diſperſus ſit, donec intolerabile octuageſimi ſecundi, tertii reliquorumque graduum frigus ſanguinis circulum ſpiritumque prorſus intercludat. Mirandum eſt ſane, idem corpus et aeſtui, qui ad Senegalli ripas vini ſpiritum bullientem reddit, et frigori, quod ſpiritum vini rectificatiſſimum, et hydrargyrum gelu conſtringit, reſiſtere, motumque cum vita ſeruare poſſe. *Ieniſeae* *) a. 1735 ſummum frigus homines perpeſſi ſunt, cum interim aues volantes, quae tamen natura ſua hominibus calidiores ſunt, repente morirentur. Extremus caloris feruor, in quo homines ſine mortis metu viuere poſſunt, is eſt, qui FAHRENHEITHII Thermometrum ad centeſimum vſque gradum extollit. Aëris etiam vel tenuiſſimi, vel ſpiſſioris, viciſſitudines homo perfert: ſic homo plerumque 32235 librarum onere comprimitur; vrinator vero decuplo, quod 322350 pondo efficit: et qui in ſummis montibus degit 17160 librarum pondere tantum vrgetur. Deinde homines

p. 37.

p. 43.

*) GMELINS Flor. Sibir. in praefatione.

nes vbicunque inueniunt, ex quo viuant et nutriantur. Recte ait, hominem natura ſua magis ad carnes veſcendas natum eſſe, quam vt ex vegetabilibus victum ſolum capiat. Itaque homines ita ſapienter facti ſunt, vt omnibus eduliis, quae vitam naturamque ipſorum non penitus deſtruunt, contenti eſſe queant. Omnibus his facultatibus hominem caeteris animantibus antecellere atque non ſoli rationi eas tribui poſſe, cum ſine machina corporis, ad omnes coeli terraeque plagas facta et accommodata, nunquam id effici potuerit: etſi concedit Cl. Auctor rationem auxiliatrices manus
p. 58. porrexiſſe, quibus corporis vires perficerentur. Ac, quamuis homines aliquantum a ſe differant, tamen vna vbique iisdem eſt ſimilis et eadem natura. Agit hic potiſſimum de differentia hominum, quoad ſtaturae proceritatem et colorem. Maxime communis hominum magnitudo eſt quinque pedum et ſex pluriumque pollicum; minima quatuor, maxima vero ſex pedum altitudinem aequat. Minimae ſtaturae populi ſunt *Eſquimauii*, *Groenlandi* et *Lappii*. Etiam in calidiſſimis regionibus interdum, e. g. incolae Matimbaenſes et interioris Madagaſcaris, *Quimos* dicti, pygmaei inueniuntur, quos tamen potius ex quodam Nanorum pari oriundos putat, quam vt ab aeſtu vel habitatione in ſummis montibus minutiem illorum deriuet. Itaque ſolas vehementiori gelu rigentes terras minoris ſtaturae homines producere demonſtrat. Maxima eſt in auſtralibus terris *Patagonum* gens, in iisdem noſtrae latitudinis gradibus, *Hiberni*, *Noruagii* et *Dani* celebrantur. *Germani*, quos quondam eiusdem proceritatis fuiſſe hiſtoria narrat, non ſolum propter morum mollitiem, verum potiſſimum propter frigoris diminutionem in breuiora quaſi corpora coaluiſſe Cl. Auctori videntur.

Patago-

Patagonum maximi iuxta BOVGAINVILLIVM quinque pedum et vndecim digitorum, iuxta COMMERSONIVM tamen altitudinem ſex pedum et quatuor digitorum, attigerunt. In *Taiti* inſula BOVGAINVILLIVS nationem vidit, cuius quidem corpora ſuper ſex pedes eminuerunt, neutiquam tamen ad firmos denſosque Patagonum humeros artusque acceſſerunt. Hinc patet homines magnitudinis ratione duorum tantum pedum menſura a ſe invicem diſtare, nec altiſſimos vnquam minimis altero tanto maiores eſſe, cum in animantibus ſaepe contrarium locum obtineat.

Duos colores, album nempe et nigrum, in hominibus praeualere, conſtat. Nigrorem Aethiopum a ſolo coeli ardore pendere obſeruationibus probat, cum Saraceni, qui ſeptimo poſt C. N. Saeculo in Africam venerunt, tum aut albi aut ſubfuſci fuerint, nunc vero eadem, qua primi Africae indigenae nigredine ſint infecti. Idem Luſitanis accidiſſe teſtatur DEMANETVS *). Sic etiam nigritici gradus aeſtus gradui exacte conuenit, et in regionibus maxime diſſitis, ſub eodem tamen coeli tractu poſitis aequalis ſemper coloris populi inueniuntur. Corpus humanum denique inſigni robore cunctis quadrupedibus longe praeſtare, ex hoc etiam conuinci poteſt, quod nulla, nec ſub gelidiſſima ſeptentrionis plaga detur natio, quae hiſpida totoque corpore pilis tecta ſit. p. 74.

Proximum a homine locum occupat, ipſum vbique comitatur, et itidem cum eo in formidoſis terrae climatibus durare poteſt *lupus* ſ. *canis*, quos pro vno eodemque animali habet. Nam non ſolum p. 83.



*) Diſſ. ſur la Coul. des negres. Hiſtoire de l'Afrique Françoiſe, à Paris 1767. 4. cf. et Recherch. philoſ. ſur les Ameriq. par Mr. DE PAW. et MECKELII obſ. in mém. d. Berl. T. IX.

lum lupum cum cane coire experimentis DOEBELII *), et obſeruatione DE SCHAVROTH, qui lupam, cum cane venatorio ſociatam, gemellos, matri ſimillimos in lucem ediſſe comprobat: quibus et addi potuiſſet PENNANTI teſtimonium **). Verum falſum eſſe etiam docet, lupam et canem differre tempore grauiditatis, quum et DOEBELIVS et BROOKIVS ***) teſtentur, vtramque per nouem hebdomadas vtero gerere. Lupum cane diutius viuere concedit, id tamen robuſtiorem tantum, non plane diuerſam naturam indicare addit. Neque id ſatis graue contra Auctoris noſtri ſententiam videtur, lupum tantum ſemel anno catulos edere, quum bis vel ter canes vterum gerant. Nam etiam nonnullae catulae ſemel ſingulis annis maribus miſcentur, et adſunt viciſſim exempla in beſtiis aliis eiusdem ſpeciei originis et partus tempora differre, quod in apro fero et ſcrofa locum habet. Neque externa canum luporumque forma nimis differt, quin potius canis lupinus, magis cum lupo conuenire videtur quam aliae canum varietates. Denique falſum eſſe experientia docet, lupos nunquam cicures reddi, cum et in America, canum loco, lupi manſuefacti ſint, et alia paſſim
p. 89. huius rei proſtent exempla. Lupum itaque ſeu canem ferum longe lateque ſatis diſſeminatum reperimus: prima tamen eius patria ſub aquilone quaerenda eſſe videtur, quia iſtae regiones non ſolum magnum eorum prouentum, ſed magnam quoque diuerſitatem adferunt. Lupus etiam facultatem quamlibet coeli aërisque regionem tolerandi, vti canis, poſſidet. Diuerſitates iam canum diſſitas

*) vid. Eiusd. *vollſtändige Iägerpracktik.* p. 35.

**) vid. Synopſ. of quadrupeds. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 346.

***) BROOKS *new ſyſt. of natur. hiſtory. T. I. p.* 200.

ſitas regiones inhabitantium exponit, quam praeterire cogimur, id tantum notantes, ex Auctoris Cl. ſententia, antiqui orbis colonos canis vſum longe diutius meliusque in rem ſuam conuertiſſe, quam Americani, quorum lupi adhuc adeo ſibi ſimiles erant, quum Europaei aduenirent, vt eos nondum canum, ſed cicurum luporum nomine appellarent. Inde etiam colligit, neque ipſam Americam, neque eius habitatores tam antiquos eſſe, vt a plerisque perhibentur. Proximum itaque ab homine locum in eo habent canes, quod plurimarum regionum temperiem perferant prae aliis animantibus, diuerſiſſimis alimentis adſueſcant, temperamentorum variatione et animali intelligentia polleant, et ad coniunctionem congregationemque et naturalem communitatem nati videantur. In Dania et Hibernia, vti maximi homines, ita et maximae canum ſpecies procreantur. Pecudibus do- p. 99. meſticis poſt canem quam latiſſime diſſitas regiones tributas eſſe exiſtimat. Bos enim propter eximia, quae hominibus adfert, commoda, per omnes fere regiones dilatatus et propagatus eſt. Is autem externa forma in regionibus modice a ſe diſtantibus in diuerſas et diſſimiles ſpecies quaſi diviſus eſt, quod a paſcuorum diuerſitate deriuat: Hinc etiam boues non tam late per orbem diffundi queunt. Interim Cl. Auctor omnes bouis ſpecies, *Vrum*, *Biſontem*, *Zebu* et alios non ad vnum genus ſolum verum et ad vnam ſpeciem pertinere putat eorumque diuerſitates regionum permutationibus adſcribit. Primum boum domicilium, p. 104. primamque originem in calidioribus terrae regionibus, praecipue in Aſia calidiore quaerit. Maxi- p. 109. mus ex boum genere eſt *Tauroelephas* *), noſtro duplo maior repertus, et minimus *Zebu*, qui duos



*) vid. PHILOSTORGII hiſtor. eccleſ. Lib. 3. cap. 2.

pedes ſeptemque digitos altus, vitulorum ſex hebdomadum aetate magnitudinem aequat. In *Islandia* vaccae, quae in auſtrali inſulae parte aluntur, cornibus deſtituuntur, boues vero reliquarum eiusdem regionum cornuti ſunt. Hinc cornuum defectum vel differentiam alimentorum vel inopiae, vel vbertati adſcribit.

p. 112. *Ouem* et *Capram* tam cognata animalia dicit, vt, quid inter vtraque interſit, vix dignoſci poſſit, eaque itidem totam orbis cogniti ſuperficiem occupant: nam et frigori ſeptentrionis, et Guineae calori perferendo ſufficiunt. *Capram Ammonem* LINN. generis ouini patrem eſſe, et ab *Capra Ibice* capras reliquas originem ducere cum BVFFONIO ſtatuit. Notam hircorum characteriſticam barbam eſſe ait, qua omnes oues, etiam *Ammon*, deſtituantur. Cicures oues et capras multo debiliores eſſe et naturalem alacritatem perdidiſſe, propterea exiſtimat, quod in planitie habitent, maiorem aëris preſſionem patiantur, pabulo deteriori nutriantur, neque puriorem auram ſpirent. Hic ſimul Cl. Auctor de aëris ratione et ſanitate in montibus plura vberius et docte diſputat. *Ru-*
p. 127. *picapram*, quam BVFFONIVS cum *Ibice* et *Hirco* coniungit, ab iis diuerſam eſſe putat Cl. Auctor, quoniam nunquam cum iis coire ſoleat. Recenſet poſtea reliquas ouium vel caprarum ſpecies, quas LINNEVS et BVFFONVS conſtituerunt, eaſque omnes ab vno quondam patre ortas eſſe putat.

p. 138. Equus poſt ouem latiſſime eſt diffuſus; aſinum huic propter ſingularem ſimilitudinem ſubiungit. Equus haud longius, quam ouis, a ſeptentrione diſcedit. Islandia alacres alit equos, nec dubium videtur Cl. Auctori, etiam Groenlandos illos, vt oues, eſſe educaturos, ſi caute periculum facerent.

rent. Sub circulis tropicis, ſub ipſo aequatore equi offenduntur. Aſinus contra in frigidis regionibus rarus eſt, in frigidiſſimis plane ignoratur, et in nouis terris plurimae hoc animante carent. *Arabia* probabilis equi eſt patria. Aſinus in calidioribus terris optime propagatur. Vtrumque animal ab initio cinereo infectum fuit colore. Limites, inter quos optimae notae equi gignuntur, decimo quinto et quinquageſimo quinto ſeptentrionis gradu, excluſa inferioris Aſiae parte aliqua, terminantur. Atque equis aequalis ac hominibus ſors obtigit, qui a quibusdam coeli plagis tantopere immutantur, vt ſub quinquageſimo quinto ſextoque gradu magni ſatis et robuſti, in vlterioribus vero frigidioribus locis parui breuioresque ſint; ſub temperatiori vero coelo in procera corpora excreſcant. Aſino eandem cum equo patriam tribuit: ferus aſinus in quibusdam Archipelagi inſulis adhuc obuius eſt, et maiori robore differt a cicure.

Suibus etiam iſtas inter pecudes, quae per vtramque latitudinem ſe extendunt et in plerisque locis cognitis proueniunt, locum adſignat. Calidiores regiones ſuum eſſe naturalem patriam ex copia eorum in iisdem et praeſtantia atque ex defectu in frigidioribus locis apparere ratur. Sic Groenlandia, Islandia, Lapponia et Sibiria iisdem carent. Adeo etiam pecorum ſpecies differunt, vt vix ab eodem generis auctore deduci poſſint. Interim *aper*, *ſus noſter cicur*, *Siamenſis*, *Sinenſis* et *Iauanenſis* porcus ab vna ſtirpe ſunt deriuandi. Nec dubium eſt, quin *Guineenſis* *) et *viridis* ſic dicti *Capitis* **), porcus et *Madagaſcaris* ***) Sus, p. 151.

 etſi

*) HALLENS *Naturgeſchichte.* T. I. p. 360.
**) *Hiſtoir. natur.* p. BVFFON Vol. II. p. 243.
***) FLACOVRT *Hiſt. de Madagaſc.* et BVFFON Vol. II. p. 232.

etſi dentium numero, aliisque nonnullis ſignis differant, a communi patre, *apro*, ſati ſint. Sic quoque *Aethiopicus* *), quibusdam quamuis diſtet a noſtro proprietatibus, tamen ab *apro*, communi Suum ſtirpe originem duxiſſe Cl. Auctori videtur. *Suis Taiacu* differentiam, qua a noſtris Suibus differt, nempe dorſum cyſtiferum, et caudae defectum, morbo cuidam tribuere annititur. *Suem Babyruſſam* denique multis ita cum noſtro huc conuenire, vt facile eius cum apro cognatio appareat.

p. 167. Quae quidem ſi contemplamur, colligere licet, natale ſolum, quod bouem, equum, aſinum, ouem capramque a rerum initio genuit aluitque, eſſe Aſiae mediam partem, quae eadem quoque hominis patria eſt habenda: vnde non ſolum ipſum mundum animalem initium quoddam habuiſſe, verum etiam ordine admirabili diſpoſitum eſſe, ſapientiaque exquiſitiſſima adminiſtrari patet.

p. 170. Reſtant quaedam animalia, quae nec tanto hominibus ſunt vſui, neque ſic frangi domarique potuerunt, vt eorum iugo ſe penitus ſubmitterent; ſolo tamen naturae ſuae robore et ſtructura totum pene orbem pererrant. Talia ſunt primo *Felis*, animal inter cicures et feras medium, quod dilatationem generis ſui ſibi magis, quam homini, debet. Frigoris vim abhorret, nam non vltra ſexageſimum tertium aut quartum gradum ſe extendit. Aeſtum facilius fert. Minoribus corporis mutationibus eſt obnoxius, quum feles feri vix dimidio cicures magnitudine ſuperent. A fero fele quinque varietates diſcedunt 1. Felis *noſter*. 2. *Hiſpanicus*. 3. *Perſicus*. 4. *Angoricus* et 5. *Chinenſis*, auribus pendulis.

p. 175. Sequitur *Vulpes*, quam a Lupo et Cane genere

*) PALLAS Spicil. Zool. Faſc. II.

genere ſpecieque diuerſam eſſe cenſet. Nam etſi hic coactus, cum cane coëat *); tamen Canis ſpecus cuniculosque non agit, quod Vulpis naturae eſt proprium. Deinde illis multo intolerabilius foetet Vulpes, pluribusque longe alimentorum generibus veſcitur et denique longe difficilius Lupo mitigatur. Vulpis igitur prae caeteris omnibus animalibus quam proxime ad polos vtrosque accedere videtur: inueniuntur enim in Spitzbergae regionibus, Noua Zembla in Hudſonis Freto et alibi. Temperatas vtriusque hemiſphaerii plagas occupat. Trans capricorni tropicum, et propius a polo antarctico frequentius occurrunt. Ex quo patet, Vulpem plagarum frigidiorum incolam eſſe et a ſeptentrione progreſſum in alias terras. *Vulpem Iſatidem*, *albam nigramque* et *Vulpem Alopegem*, quae omnes colore tantum et magnitudine differunt, cum Vulpe noſtrate vnam ſpeciem conſtituere affirmat.

*Lepus* flexilis quidem, et robuſtae naturae, easdem cum *Vulpe* poli arcti plagas incolit. Non tamen in frigidiſſimis terris reperitur. Varietates leporum ſunt ratione coloris, cornuti nonnunquam occurrunt. *Cuniculus*, qui ſpecuum fodiendorum et congregationis colendae inſtinctu magis, quam externa corporis forma a *lepore* differt, in iisdem, vbi lepus, locis, non tamen adeo frequens eſt: difficilius enim frigori reſiſtit, pilorumque varietate debiliorem naturam indicat. Cum de p. 182.

Qq 5 *Tolao*

*) In hoc capite quidem negat Cl. Auctor, canes et vulpem coire; in capite tertio autem p. 471. experimentis, quae teſtium oculatorum auctoritate firmat, coitum harum duarum ſpecierum concedit, ſpecies autem nihilo minus diuerſas iudicat.

*Tolao Tartarico* *), *Lepore Iauanenſi* **), *Tapeto* †) et *Aperea* ††), qui in America ſeptentrionali habitant, nondum certo conſtet: an eiusdem cum noſtris ſint generis, iis ſeparata loca, vbi reperiuntur, in mappa adiudicauit.

p. 194. *Cerui* totum aquilonare orbis hemiſphaerium, et in Peruuianis Braſilienſibusque terris inhabitant. In Aſia pariter, atque in Africae aridis regionibus viuunt. In Bonae Spei Promontorio non ſunt obuii. Minimus ceruus Corſicus eſt, noſtro dimidio minor. *Ceruum Axin* BVFF. Cl. Auctor

p. 203. varietatem *Cerui Elaphi* iudicat. *Capreolus* pari ratione, ſed ceruo infrequentius per vtramque orbis latitudinem diſperſus eſt: huius varietates eſſe putat *Ceruum Pygargum*, et *Saigam* PALL. *). Simul hic alias beſtias ad *Cerui* vel *Capreoli* genus pertinentes, obſcuras etiamnum extricare ſtudet.

p. 213. *Sciurus* tenui gracilique, robuſto tamen corpore eſt, vt tam zonam glacialem, quam torridam tolerare valeat. Septentrio eius patria videtur. Sciurus cinerei coloris et noſtras rufis crinibus veſtitus vnus idemque ex GMELINI **) obſeruatis, tum etiam reliquae cognitae ſpecies vnam eandemque ſpeciem cum vulgari conſtituere Cl. Auctori videntur. A Sciuro autem ſeiungendi ſunt *Sciurus ſtriatus*, et *Glis* et *volans* LINN., vti quoque *Mus auellanarius*.

p. 240. In *Glirium Muriumque* genere definiendo Aucto-

*) Nov. Comment. Petrop. Tom. V. Tab. XI.

**) CATESBY Hiſt. de Carol. et LINN. Syſt. nat.

†) PISO de Ind. vtriusque re naturali. p. 102.

††) Subiungit eius deſcriptionem vid. et MARTINI *Naturlexic.* Tom. III. p. 4.

*) vid. EIVSD. iter per Ruſſ. Tom. I. comm. noſtr. Vol. XX. p. 288.

**) BRISSON regn. anim. ed. in 4to. p. 170.

Auctores valde diſcrepare et errare videntur. Noſter vtrosque ſiluarum olim incolas fuiſſe putat, et *Surmulotum* BRISS. genuinum glirium caput, *muremque maiorem campeſtrem* *) murium noſtrorum patrem ſtatuit. Totumque genus ad tres ſpecies reuocat, quarum prima *mures auellanarum*, altera *glires*, tertia *mures vulgares* comprehendat. Glires muresque proprios antiqui orbis indigenas eſſe et LINNEVM, POPPINGII verbis perperam intellectis, in eum eſſe deductum errorem, vt glires ex America in Europam crederet delatos, prolixius probat. Primam ſedem in moderatioribus habuiſſe videntur regionibus. Cum de vario Glirium colore agit, alborum mentione facta, omnino de albore animantium recte nobis iudicare videtur, cum generatim imbecillitatem animalium et tenuitatem ſuccorum cauſſam illius eſſe aiat, hancque rationem, cur crines pilique per hiemem albeſcant, addit: Frigus, quod vtrorumque tubulos comprimat, viam humori nutribili, colores crinium efficienti, quo minus intrare queat, praecludere.

*Talpam* ſubiungit his. Nobis autem minus videtur omnes ſpecies, quas coniungit, ab vno patre ortas eſſe. p. 233.

*Muſtelae* in vtriusque latitudinis plagis frigidioribus et calidioribus viuunt, tractibusque multis interiacentibus penitus ignorantur. Patria eius ſeptentrio fuit. *Muſtelam niualem* LINN. varietatem tantum eſſe ait. p. 216.

Animantibus, quae magnas terrarum plagas inhabitant, addit *Phocas*, et *leoninam* et *vitulinam* et *Manatum*. Iure monet, dubiam etiamnum eſſe hiſtoriam, quae peregrinantium peritiſſimorum induſtria certa reddi debet. Plures profecto nobis p. 241.

*) BRISSON l. c. Mus cauda longiſſima fuſcus, ad latera rufus.

nobis ſpecies eſſe videntur, quam hactenus ſtabilitae ſunt, atque CRANZIO fere aſſentimur, qui quinque ſpecies *Phocarum*, ſtricte ſic dictarum, recenſet. Interim Noſter Phocas per omnia Oceani littora diffundi probat, atque etiam in mari Caſpio inueniri PALLASII teſtimonio firmat: quin in Sibiriae lacu, *Baikal* dicto, qui aquam dulcem continet inueniuntur. *Phoca minima* BVFF. *) a reliquis diuerſa eſt, et in mari mediterraneo tantum habitat. De *Phoca Leonina* ſ. Leone marino ita diſputat, vt Leonem marinum STELLERI diuerſum eſſe putet, ab eo, quem WALTERVS **) deſcripſit. Caeterum dubia eorum eſt hiſtoria. Ex omnibus hactenus dictis patet, Lupum omnium per orbem diſperſorum animalium ſolum eſſe, qui ſingulari ſua magnitudine et praedas faciendo homini noceat, atque pauciſſimos eſſe horum quadrupedum, qui homini nullum plane fructum afferant. Glis, mus, vulpes et talpa ſoli ſunt, quibus carere poſſimus. Qui nobis ſunt vtiliſſimi, ii vbique diſſipati inueniuntur.

p. 269. *Capite II.* de iis quadrupedibus diſſeritur, qui magnas lateque excurrentes terrarum orbis regiones frequentant. Horum alii aeque in antiquo, atque in nouo orbe commorantur, alii autem ſunt
p. 273. antiqui tantum indigenae. Ad priores pertinet *Vrſus*, cuius domicilium in ſeptentrione praeſertim quaerendum eſt, et qui ad aequatorem vſque eſt diſperſus, ſaltem per exiguos eiusdem gradus tranſiit. *Vrſum marinum album* ***), proceriori collo et grandiori capite diuerſum, hanc diuerſitatem ſola climatis aërisque natura accepiſſe, et vnius cum *Vrſo Arcto* eſſe ſpeciei demonſtrare annititur. *Taran-*

*) T. VII. p. I. Mém. de l'Acad. des Scienc. V. I. p. 119.
**) In ANSONII itinerario.
***) vid. SCHREBERI iconem et deſcript.

*Tarandus* et *Alce*, animalia diuerſae ſpeciei, eosdem tamen fere terrae tractus inhabitant. Prior in ſeptentrionis extremitatibus ſedem ſuam fixit et ſub octuageſimo prope longitudinis gradu in *Spitzbergae* oris viuit; inueniturque in omnibus et noui et antiqui orbis polo vicinis terris. *Karibu* BRISS. *) cum *Tarando* vnum idemque animal eſſe putat. Fines, quos rangifer in Aſia Orientali occupat, a quinquageſimo ſexto latitudinis gradu ad Oceanum vſque glacialem extenduntur. In Europa in ſexageſimo aut quinquageſimo nono conſpici ſolet. In America vero, quae acriori frigore horret, iam a quadrageſimo ſecundo ad ſeptentrionis extrema progreditur. *Alce* circulum polarem, intra quem habitat, non transgreditur. In Americae Canadenſibus terris viuit, atque vſque ad regiones ſub triceſimo ſexto gradu ſitas, expanditur. In Caſanenſi Aſiae regno ſub quinquageſimo tertio gradu primum conſpicitur. Pari ergo cum *Tarandis* ratione Alce thermometri viui loco eſſe poterit. p. 279. p. 285.

*Martes*, cuius varietates ſunt, *campeſtris*, *domeſtica*, *Pekan* et *Viſon***), poſt vrſum latiſſime ſunt diſperſi, et a ſeptentrione ad aequatorem fere deſcendunt, non tamen ad regionem ipſam polarem vſque tendunt p. 289.

*Caſtores* olim maris nigri littora tenuerunt, et aliis paſſim in moderati climatis regionibus obuenerunt: gregatim vero frigidiores tantum noui et antiqui orbis plagas frequentant, ibidemque tamquam in patria vera naſcuntur et propagantur. *Lutra*, quae propinqua caſtorem cognatione contingit, propius ipſo ad aequatorem deſcendit, et longius a polo ſedes et domicilium ſibi collocat; ſed paucorum p. 295. p. 301.

*) EIVSD. regn. anim. p. 91.

**) BVFFON *hiſt. nat.* T. XIII. Tab. 42. et 43. et SCHREBERI *Säugthiere.* P. III.

corum tantum graduum interuallo a ſe diſtant. In Africa et India non reperitur. *Lutreola*, diuerſum a Lutra animal, hoc cum illa commune habet, vt per vtrumque orbem late ſatis diſpergatur.

p. 306. *Lynx* vnus fere quadrupedum, tigrinis maculis variegatus, aquilonali terrae tractu nutritus, per vtrumque orbem diſperſus eſt. In Africa et India natus non inuenitur: ſed Noruegiam Sueci-
p. 309. amque proprie inhabitare videtur. *Gulo* easdem fere cum Lynce terras incolit, eſt tamen et ab *Hyaena* et *Vrſo luſco* LINN. diuerſus. Subiungit Cl. Auctor eius deſcriptionem, illum *Muſtelae* adnumerari ſuadet. Solum eius natale eſt ſeptentrio, vnde vſque ad Saxoniam interdum migrauit: in auſtrali tamen Germania ignoratur; Africam, Aſiam, vel Americam meridionales nunquam inhabitat.

p. 315. Praeterea in vtroque orbe obuii ſunt, *Sciurus volans*, *Mus marmota*. *Vrſus meles*, *Mus amphibius et terreſtris*, *Muſtela Zibellina*, *Mus porcellus* et *Trichechus Roſmarus*. *Sciurus volans* in antiquo orbe nuſpiam quinquageſimum quartum longitudinis gradum tranſilit, Mexicum autem tropicum attingit, nouo documento, Americam
p. 320. frigidiorem eſſe. Ad *Marmotam* refert et *Bobakum* BVFF. *) et *Monacem* LINN., (i. e. Fiſtulatorem), qui in montibus inter quadrageſimum quartum et ſexageſimum circiter latitudinis gradum orbis antiqui poſitis commorantur: in America vero, quae, vt ſaepe iam dictum eſt, frigidior eſt antiquo orbe, a viceſimo ſexto ad quadrageſimum
p. 325. quartum latitudinis gradum adſcendit. *Meles* animantibus ſeptentrionis eſt accenſendus, vtrique orbi communis ad ſexageſimum tantum longitudinis gradum adſcendens, calidosque tractus deuitans.

Sequun-

*) Hiſt. nat. Tom. XIII.

Sequuntur animalia, quorum patria quidem ſeptentrio non eſt, quae tamen nihilo ſecius orbis vtriusque, quidquid vel BVFFONIVS contra dicat, ſeſſores ſunt. Huc pertinet *Didelphys marſupialis*, quem PENNANTI *) BANKIIQVE **) teſtimonio aeque Indiam Orientalem, atque Americam calidiorem inhabitare docet. Coniicit tamen caſu quodam marem feminamque in Indiam deportata eſſe ibique genus propagaſſe. Sic et *Phalanger* BVFF. quem Cl. SCHREBERVS *Didelphydem macrotarſum* dixit, BANKIVS †) in Nouae Hollandiae ora invenit, qui prius ſola in America habitare a BVFFONIO dicebatur. Nec minus *Bradypus* ſ. *Tardigradus*, qui BVFFONII ex mente in *Ceylonis* inſula tantum viuit, etiam in *Bengalae* montibus *Paliacatenſibus* non infrequens ††) reperitur. *Myrmecophagarum* ſpecies in Bonae Spei Promontorio PALLASIO teſte *) viuit. p. 337.

Parte poſteriori capitis ſecundi animalia recenſentur, magnos antiqui orbis tractus, per ſexaginta longitudinis gradus extenſos, tenentia. Huic ſectioni itaque ſubſunt *Mus citellus*, *Cricetus*, *Sciurus*, *Glis Surmulotus* et *Erinaceus Europaeus*. *Citellus*, qui idem eſt cum *Suſliko* et *Ieuraſka* **) ex Hungaria ad Siberiae oppidum *Iakuzkii* tranſit, tractumque ideo centum longitudinis graduum, a quadrageſimo quinto ad ſexageſimum ſecundum latitudinis gradum extenſum, percurrit. *Cricetus* e Ger- p. 340.

*) EIVSD. Synopſ. p. 206.
**) COOKS Voyage round the World, in HACKESWORTHS Collect. T. III.
†) Ibid. p. 536.
††) PENNANT ſynopſ. p. 321.
*) Miſcell. Zoolog. p. 64.
**) PALLAS *Reiſen.* T. I. p. 129. et GMELINI iter. T. II. p. 443. et 444.

e Germania, quae eius videtur patria, in Auſtriam, Poloniam, Vcraniam, Ruſſiae Caſanique regna tranſit. *Sciurus Glis* in Europa meridiem verſus progreditur, et Hiſpaniam vſque ad Tartariam procedit, tractum inter trigeſimum quintum et quinquageſimum quintum latitudinis gradum occupans. Miramur Cl. Auctorem *Surmulotum* hic iterum repetere, quem tamen ſupra patrem Gliris dixit. *Erinaceus Europaeus* a quadrageſimo quinto latitudinis gradu ad ſexageſimum vſque extenditur, nec in Aſia Africaue calidiori, nec in America
p. 351. habitat. *Hyſtrix* calidiorem Aſiam et Africam occupat, nec vltra quadraginta latitudinis gradus reperitur; in nouo orbe plane deeſt. *Ceruus dama* in terris, quae magnis ſpatiis diremtae ſunt, viuit, et quidem quae moderatius clima habent. Contra *Camelus* et *Dromedarius* Arabiam patriam agnoſcunt, ſed ſuperiores tantum Africae partes occupant, eorumque domicilium ad decimum vsque latitudinis gradum in Africa et Aſia diffunditur. *Lupus aureus* Camelum per vtrasque aequatoris partes in antiquo orbe quaſi comitatur, et amplas Europae terras, magnam Aſiae partem, omnemque Africam incolit et ad quadrageſimum ſecundum aut tertium latitudinis gradum deſcendit. *Hyaena* easdem fere regiones occupat, ſolitudinesque amat, eamque ſequuntur *Felis Caracal* et *Vncia*, quarum prior a trigeſimo ſeptimo latitudinis gradu exorſus, in Aſia cancri tropicum quidem egreditur, in Africa vero longius ab aequatore disiunctis commoratur; altera in Arabia, Perſia, Hyrcania ad Chinae prouinciam Peking extenditur: Africae tamen interiores partes abhorret.

p. 369. Ad ea animalia, quorum ſedes zona torrida eſt, intra antiqui orbis tropicos, quos vix ad decimum

mum vſque gradum tranſeunt, pertinent et phytiphaga, et carniuora animalia. Priora ſunt *Bos Bubalis*, et *Gnou*, qui ALLAMANDI *) cura detectus eſt, *Elephas*, et *Rhinoceros*. Ad poſteriora pertinent *Viuerra Ichneumon*, *Zibetha*, *Foſſana*, et *Leo*.

In capite tertio eos quadrupedes contemplatur Cl. Auctor, qui vel anguſtius ſexaginta longitudinis gradubus ſpatium occupant, vel minoribus tractibus ſunt incluſi, vel per diſſitas minusque inter ſe cohaerentes regiones diſperſi et hinc et inde obuii ſunt. Huc pertinent omnes, qui superſunt, centum et quinquaginta, eosque ordine ſyſtematico Linnaeano recenſet, ſubiunctis, quae BVFFONVS, PENNANTVS, et SCHREBERVS recenſuerunt, animalibus, monetque pauciſſimas vel nullas in iis varietates inueniri. Nos autem ſingulorum horum animantium vel nomina, vel patriam hic repetere ſuperfluum iudicauimus, cum Lectores vel ad Auctores hos, vel ad ipſum librum legendum amandare poſſimus. Itaque nonnullas tantum obſeruationes ex iis ſeligamus. p. 393

*Simia Satyrus* LINN. ſi paulo limatiora ipſi organa, politioresque nerui et ſenſus data eſſent, infimae ſortis facultatisque homo euaſurus Cl. Auctori videtur. Altera eiusdem varietas, *Pongo* dicta, quae in Europam adulta non delata eſt, adulta magnam intelligentiae ingeniique ſpeciem prae ſe fert, non exigua cum probabilitate hinc conficitur, eos quam proxime ad hominum ſimilitudinem accedere. Singulis *Simiarum* ſpeciebus recenſitis, ſub finem ſectionis colligit, Simias antiqui orbis prae Americae indigenis latius diſſipatas eſſe. p. 400. p. 441.

*) vid. BVFFON hiſt. natur. Hagae ab ALLAMANDO edita Tom. XV. Tab. IV. p. 113.

eſſe. *Veſpertiliones* generatim terras ſeptentrionem ſpectantes abhorrent: in aliis autem terris, iis prope axin poſitis exceptis, vnum alterumque genus habitat. *V. Vampirus* omnium maxime
p. 493. hinc inde diſperſus eſt. *Didelphydes* in India Orientali etiam habitare, vberius hic ex BARCHE-
p. 506. WITZII *) obſeruatione probat. *Cauiae* genus ad-
p. 509. mittit. *Caſtori* ſubmittit *Pilorem*, a ROCHEFORTO in *Hiſt. des Antilles* p. 124. deſcriptum. *Ratto* noſtro non eſt abſimilis, et vt *Sorex moſchatus*, moſchum olet, differt autem ab hoc, corporis proceritate et breuitate caudae. Animalia, quae LINNAEVS *Muris Iaculi* nomine propoſuit, ad ſeparatum genus *Yerboae* nomine refert, atque huc *Tarſier* BVFFON Tom. XIII. p. 49. *Yerboam giganteam* **), et *Cuniculum pumilum ſalientem* ***).

p. 553. Ad caput quartum progredimur, in quo de quadrupedum per tellur. ſuperficiem diſperſione agitur. Ex omnibus obſeruatis conſtat terras, aequa humorum caloriſque vi exuberantes, copioſiſſimas animantium greges alere; ſiccas autem et frigentes nimium pauciſſimas ſpecies fouere: id quod de omnibus ſinguliſque ſummatim ſumtis animantibus intelligendum eſt: in oceano autem, etiam ſub auſtro et ſeptentrione, immenſae piſcium aliorumque animalium copiae degunt; huius quidem ratio inde eſt repetenda, quod frigus non tantam in maris
p. 574. aquas habeat vim, quantam in terras exercet. Si comparatur ſpatium terrarum cognitarum, cum incognitis: patet multo maius adhuc latere. Sic ſi Aſiae circa 850000 milliaria Geographica quadrata

*) *Neu Oſtind. Reiſebeſchreibung. Erf* 1751. 8.
**) COOKS *voyag.* in HAWKESW. collect. Tom. III. t. 20.
***) Nov. Act. Petrop. Tom. V. p. 351.

drata tribuuntur, 215000 milliaria quadrata, ratione regni animalis, et reſpectu cuiuscunque cognitionis humanae ignorantur. Africa per 531683 milliaria Germanica quadrata extenditur, quorum vix 150000 Europaeis innotuerunt. Americae magnitudo certo determinata nondum eſt: interim ſi America, iuxta BERGMANNVM, 700000 milliaria continet, horum 150000 in America ſeptentrionali; in meridionali autem 120000 ignorantur. Sic itaque orbis partium, quas ignoramus, ſumma 800000 milliaria quadrata efficit, et vix dimidium terrae continentis ſpatium nobis eſt cognitum, et illud quidem dimidium, quod pauciſſimas et animantes et res alias magnis hominum commodis fructibusque inſervientes profert. Ideoque ſperandum eſt, totidem ſaltem animalia terreſtria, quot iam detecta ſunt, obſeruatum iri.

His praemiſſis, oſtendit, non probabile eſſe p. 597. ab vno mare et femina orta eſſe omnia vnius ſpeciei animalia, neque eadem ab initio vno in loco coniuncta, quin potius per orbem iam diſpertita fuiſſe. Vt itaque cuiuis animalium generi certa p. 605. patria adſignari poſſit, cauſſae inquirendae ſunt, quibus coacti patriae fines vel extenderint, vel deſeruerint quadrupedes. Hae ſunt vel *naturales*, vti, ſi animalia adeo augeſcunt, vt vno in loco viuere ſimul nequeant. Primi autem cuiusuis quadrupedum generis patres non vno in loco, ſed hinc inde aut ſub aequalibus, aut modice a ſe diſſitis latitudinis gradubus diſpoſiti fuiſſe videntur: atque probabile eſt, naturam longe minores numero animalium patres, qui carne, quam qui gramine frugibusque victitant, produxiſſe: ſapienter quoque quadrupedes, vaſtiſſimo corpore praediti, phytiphagi facti ſunt, atque omnium

ſere animalium genera primam ſuam originem temperatiori zonae quam maxime debent. Sic itaque beſtiis carniuoris, cibos quaeſituris, breui tempore plures variaeque regiones peragrandae erant: quum phytiphagae pedetentim et poſt aliquot demum generationes in alias terras digreſſae ſint. Cauſſae *externae* vel aduentitiae variae ſunt:
p. 608. 1. vis dominiumque hominis, quibus ipſa etiam aëris terrarumque temperies mutata eſt, effectumque vt 2. ob hanc climatis mutationem animantes patriae verae valedicerent: quarum quidem emigrationum exempla, paſſim iam propoſita, hic *Muris lemmi*, *Surmuloti*, et *ratti* itione et reditione
p. 616. augentur. 3. commutatio et conuerſio, quam in terrae ſuperficie factam eſſe inter omnes conſtat; atque ea quidem, qua magni telluris tractus maris olim aquis inundati, inſulae e mari pronatae, terraque continens variis locis vno quaſi ictu diſrupta ſeiunctaque, et certae ſuperficiei telluris partes ad maris fundum olim pertinuiſſe dicuntur. Hanc itaque euerſionem ex domiciliis ac ſedibus, quas hoc vel illud animal nunc occupat, demonſtrare conatur Cl. Auctor.

p. 617. Quam immutationem telluris vt commonſtret, nec hominem ipſum, nec illa animalium genera, quae homo commodi ſui cauſſa ſecum abduxit, teſtium loco aduocat; quin potius nonnullos quadrupedes caute deligendos eſſe putat. Sic ſi inſula ſub frigidiſſimo coelo poſita ab animalibus quidem, non tamen hominibus frequentata eſt: hanc proximas olim terras tetigiſſe et fato abruptam eſſe vero ſimile videtur. *Spitzbergam* igitur, quae *Tarandos*, *Vulpes albas*, *Vrſos*que nutrit, cum proxima quondam terra connexam, temporiſque ſucceſſu diuulſam exiſtimat Noſter, cum nec Tarandus, nec Vulpes, glaciem vel mare ingrediantur,

tur, eaque ipſa animalia circumiectae continenti
communia ſint. Inſulae *Societatis* et *Otahita* e con-
trario, vbi praeter canes ſuesque quadrupedes nul-
lae degunt, nunquam continenti iunctae videntur.
Deinde ſi inſulae e ſaxis ſcopulisque quaſi conſtru- p. 621.
ctae ſunt, et reliquias e cinerum, fauillarum are-
narumque exuſtarum mole concretas habent: eas
nullo tempore cum continenti cohaeſiſſe, ſed ar-
dentes e maris fundo ſublatas hominumque cultu
habitabiles factas autumat: talis eſt inſula *Aſcenſio-
nis*, in qua praeter capras macilentas nulla anima-
lia ſunt *). Si autem inſulae, prope a continente
iacentes, cum eadem eiusdem indolis ſunt, et ci-
cures feroſque animantes eiusdem generis et natu-
rae continent: eas adiacentis regionis olim par-
tem fuiſſe colligere licet. Sic *Ceilonem* quondam
Coromandeliae oris adhaeſiſſe, et pecudes, et ferae
teſtantur. Inſulas, quae nulli vnquam continenti p. 623.
annexae fuerunt, *originales* appellat, praecipuas-
que telluris noſtrae inſulas enumerat, et quae ori-
ginalibus accenſendae ſint, quae minus, contem-
platur. *Spitzbergae*, et *Cumbriae*, et *Terrae nouae*
inſulas cum *America* olim; *Nouam Zemblam* cum
*Aſia* copulatas fuiſſe exiſtimat. *Angliam*, *Scotiam*-
que a *Gallia* continenti auulſas dicit. De *Islandia*
dubitat, interim propenſus eſt, vt eam vel ex oce-
ano prodiiſſe, vel e reliquiis maioris cuiusdam re-
gionis, quam infeſti aquarum gurgites hauſerunt,
exortam eſſe credat. *Sicilia* pars *Calabriae* fuit,
quod idem de *Sardiniae Corſicae*que inſulis valet.
Hinc nullae inſulae maris mediterranei maiores;
minores, vt *Liparae* aliaeque, autem pleraeque
originales videntur. Sic etiam *Iaponia*, *Borneo*, p. 629.
*Sumatra*, *Iaua* et *Philippinae* inſulae, *Aſiae* olim



*) vid. *Voyage à l'Isle de France. lettre 25.*

partes fuerunt. Interim multarum inſularum ortus adhuc incertus eſt.

p. 630. Pergit Cl. Auctor terrarum continentium cohaeſionem disquirere: et *Americam* quidem ſub orbis noſtri incunabulis cum Aſia connexam fuiſſe, ex vicinia earundem, et quadrupedibus vtrique terrae communibus, probabiliter colligit; quin imo cum *Capra Ammon* et *Muſtela Zibellina* et in America inueniantur, cohaeſionem vtriusque terrae ab omnibus fere obiectionibus tutam certam-
p. 634. que exiſtimat. An vero *Americae* tractus, ad *Euronotum* ſitus, priſtinis ſaeculis cum *Europa* connexus fuerit, nec ne, maxime dubium eſt; etſi, cum *Lutra*, *Lutreola*, *Meles* aliique quadrupedes *Europae* boreali et *Americae* proprii ſint, vtrasque has telluris partes olim cohaeſiſſe aliquali coniectu-
p. 638. ra augurari liceat. Deinde autem probat, nec *Africam* cum *America*, nec *Americae* terras infra quadrageſimum latitudinis gradum ſitas cum *Aſia* vnquam copulatas fuiſſe: ideo quod animantes zonae torridae vtrique orbi ſint proprii, neque communes: ſimulque hic BVFFONIVM *) refutat, qui *Americam* et *Africam* olim inter ſe coniunctas fuiſſe affirmauit.

p. 648. Ad inſulas *Oceani*, qui *Pacificus* dici ſolet, progreditur: atque in iis omnibus, praeter *canes*, *ſues* et interdum etiam *rattos*, nullos quadrupedes ad-
p. 653. huc inuentos eſſe proponit: ideoque easdem, quae inter ducenteſimum octuageſimum ad centeſimum vſque ſeptuageſimum longitudinis gradum poſitae ſunt, vnquam veteri vel noto cum orbe connexas fuiſſe colligit. Probabile potius eſt, eas igne ſubterraneo ex oceani fundo quondam ſubla-
p. 656. tas eſſe. Neque etiam *noua Zeelandia* vnquam *Hol-*

*) vid. Hiſt. de la natur. T. XIV. p. 222.

*Hollandiam nouam* attigiſſe videtur. Vtrum vero *noua Hollandia* et *noua Guinea* copulatae olim fuerint, dubium eſt, cum hae terrae nondum ſatis ſint cognitae. Mirandum eſt inſulam, *Timor* dictam, aliquot gradibus a *noua Hollandia* disiunctam, *Bubalos*, *Sues*, *Capras*, *Oues*, *Apros* et *Simias* alere.

Sub finem *Phocas*, *Baikalis* lacum inhabitantes, teſtes ſeu reliquias habet *maris Chinenſis* aut *Koreamici*, cum certum ſit oceanum vel integram telluris ſuperficiem inundaſſe, vel eluuionibus multum immutaſſe. Phocas autem *Caſpii maris* canalibus ſubterraneis, quibus cum maribus proxime adiacentibus connectitur, eo demigrauiſſe credit. p. *660.*

Quae quidem breuiter a nobis hic ex ampliſſimo et laude digniſſimo libro commemorata, ſatis, vt opinamur, Cl. Auctoris et ſummam diligentiam in colligendis nimium diſperſis Auctorum obſeruatis, et felicitatem ingenii, iudiciique in iudicandis grauibus rebus acumen demonſtrant, ſimulque docent, quantum ex omnibus hactenus inſtitutis itineribus vtilitatis in Philoſophos et Phyſicos redundauerit.

## IV.

*Mineralogiſche Abhandlungen von* FRIEDRICH AVGVST CARTHEVSER, *Hochfürſtl. Heſſiſchen Bergrath und Profeſſor zu Gieſſen. Zweyter Theil. Gieſſen, bey Iohann Philipp Krieger, Vniverſitäts-Buchhändler.* 1773. 8. *Bog.* 15.

i. e.

Mineralogici tractatus Auctore FRIDERICO AVGVSTO CARTHEVSERO. Pars ſecunda.

Continuatur hic, vt in priore parte*), diſquiſitio Mineralium et quidem

p. 1. 1. Foſſilis illius, quod *Traſſ* (i. e. coementum) dicitur: poroſus eſt lapis in architectura praeſertim vtilis, quum coementum exinde paretur, quod aquae eximie reſiſtit. Colore vel cinereo, vel flaueſcente vel bruneſcente praeditus eſt, tactu aſper, duritie mediocris, inſtar lapidis calcarii: igne vſtus durior fit, et color in rubeſcentem mutatur: in puluerem tritus et calce extincta commixtus, et aqua humectatus, ſucceſſiua exſiccatione in aëre iterum in duriſſimum lapidem induratur: non efferueſcit cum acidis, atque hac in re differt a tophis calcareis, eſtque his tophis multo grauior.

p. 12. Vt partes conſtitutiuas huius lapidis cognoſceret Noſter, acido vitriolico eius puluerem in balneo arenae deſtillauit. In retorta relictam maſſam albam terream aqua edulcorauit. Lixiuia ad ſiccum euaporata, et fuſa, iterumque aqua ſoluta et euaporata cryſtallos octaëdras aluminares et vitriolum martiale dabant. Terra poſt edulcorationem relicta, diſquiſita, neque calcarea, neque gypſea, ne-
p. 20. que argillacea, ſed ſilicea erat. Ideoque colligit Cl. Auctor, *Coementum* ſ. *Traſſ* ex terra aluminari, ſilicea, et ferro compoſitum eſſe; ideoque idem ad lapides argillaceos referendum iudicat. Facultatem copulatiuam et indurantem deriuat a ſilicea terra et ferro.

Non

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 135.

Non itaque opus eſt, vt cum Cl. CRONSTAEDTIO *) aſſumatur, ferrum in *Coemento* contentum, igne ſubterraneo ſingulari modo eſſe mutatum. Nam loca Haſſiae ſuperioris, in quibus *Coementum* inuenitur, nulla veſtigia vulcanorum offerunt. Neque poroſa ſubſtantia ſatis graue eſt pro origine ex igne argumentum, cum tophi, quos quotidie in aquis coagmentari cernimus, etiam ſint poroſi. Forte, coniicit Cl. Auctor, a ſpumoſa quadam fermentatione, quae, cum argilla adhuc mollis eſſet, contingebat, deriuandam eſſe pororum in Coemento frequentiam. p. 30.

Iam de vſu huius lapidis in operibus architectonicis, et de eius praeparatione agit. Inuenitur hoc coementum in variis Germaniae locis, id, quod prope a *Colonia Andernaci* effoditur inprimis in multa loca diuehitur. Deinde circa *Francofurtum iuxta Moenum*, et prope ab vrbe *Grünberg* in Haſſia ſuperiore in montibus ex baſalte ferrugineo compoſitis reperitur. Comparat quoque terram quandam coementitiam, cuius diſquiſitionem Cl. MEHNERT in extractis ex actis Societatis Lipſiae oeconomicae **) inſtituit, atque experimentorum, quae Cl. VOGEL †) in commentariis Göttingenſibus expoſuit, mentionem iniicit. p. 32. p. 39.

2. *De partibus conſtitutiuis lapidum et terrarum gypſeae indolis.* Praemiſſa deſcriptione variarum methodorum, quibus partes conſtitutiuae gypſi, calx nempe et acidum vitrioli, quibus aquo- p. 54.



*) *Verſuch einer Mineralogie.* 1770. *S.* 207.
**) vid. excerpt. anni 1771, quod nundinis Feſti Michaelis editum eſt.
†) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 393. et Vol. XX. p. 602.

ſus latex admixtus ſit, euolui et demonſtrari poſſunt: id potiſſimum agit Cl. Auctor, vt opinionem Cl. MAYERI *), qui oleoſas et alcalino ſalinas partes in gypſo adeſſe perhibuit, experimentis refutet. Igitur, quum gypſum nulla ratione cum nitro detonet, oleoſis particulis caret, neque quidquam alcalini ex eo, praeter calcaream, aquae calidae ope educitur. Quare aut MAYERVS gypſum impurum diſquiſiuit, aut, quod magis videtur veroſimile, in chemia non ſatis gnarus, calcem pro alcalino ſale habuit. Ideoque etiam gypſum, quod a MAYERO adeo laudatur pro fimo, non materialiter, ſed inſtrumentaliter tantum fimum imitatur, in eo nempe, vt terram vegetabilibus minus aptam, vti aliae calcareae terrae, et marga potiſſimum, corrigat, tenacem emolliat, reſoluat aptamque reddat, vt oleoſae particulae terreis miſceantur, aqua ſoluantur et ſic nutrimentum plantarum praebeant. Ipſas vero oleoſas nutritiuas particulas non ſuppeditat. Experimentis hoc Cl. Auctor demonſtrat.

p. 89. 3. *De lapide tophaceo, ramos arborum, qui in ſalinis ad gradationem aquae ſalitae adhibentur, incruſtante.* Iam a Cl. GERHARDO hic lapis pro ſingulari genere exhibetur et *Halodes* dicitur, cuius partes conſtitutiuae ſint terra calcarea cum maiori terrae muriaticae copia commixta **). Experimenta Noſtri oſtendunt in lapide eo, qui

*) vid. IOANN. FRID. MAYER *Lehre vom Gyps etc. Anſpach*, 1769. 4. inſertus eſt etiam hic tractatus libro EIVSDEM, qui inſcribitur: *Beyträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Land- und Hauswirthſchaft.* S. 263—302.

**) vid EIVSD. *Beyträge zur Chymie und Geſchichte des Mineralreichs.* 1. *Band.* S. 239. Vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 272.

qui ramos, ad gradationem aquae ſalinae adhibitos, incruſtat, nullam terram muriaticam eſſe, ſed tantum calcaream et nonnihil terrae argillaceae: eae autem particulae terreſtres, quae in aqua ſalina remanent, atque, cum ſal coquitur, demum in vaſis aeneis praecipitantur, ſunt eiusdem indolis cum terra muriatica, quae baſin ſalium neutrorum amarorum mineralium conſtituit.

4. *Obſeruationes nonnullae de arſenico.* Expoſitis aliorum opinionibus, iuxta quas vel ad ſalia, vel quod maxime videtur veroſimile, ad ſemimetalla, vel ad ſulphura relatum ſit arſenicum: hanc arſenici facultatem, qua, vt ſalia, in aqua ſoluitur, et in cryſtallos cogitur, conſiderat; atque methodum deſcribit, qua breui tempore arſenici cryſtalli regulares obtinentur. Auripigmentum puluerisatum aqua forti commiſcuit, quo arſenicum ſenſim ſoluebatur, et ſolutionem flaueſcentem offerebat: Cineribus clauellatis, aqua diſſolutis, arſenicum ex hac ſolutione in forma cryſtallorum albarum praecipitabatur. Cryſtalli erant priſmaticae, tetraëdrae, vtroque fine truncatae, et illis, quae ſal aquarum *Seidſchüdzenſium* offert, ſimiles. Hae cryſtalli iterum aqua frigida facile ſoluuntur. Deinde quum ſolutioni arſenicali cum aqua forti ſpiritum vini adderet, eaedem cryſtalli naſcebantur, ſed ſubtiliores: cum autem ferrum vel cuprum acido nitri ſolutum affunderet, mixtio immutata manſit, neque cryſtalli praecipitabantur.

p. 103. p. 118.

5. *De Pumice.* Etſi ſatis conſtat, Pumicem ad ſcorias naturales vulcanorum referendum eſſe; tamen ex quo lapidum genere is ortus ſit, nondum omnino inter mineralogos conuenit. Cl. POTTIVS p. 128.

TIVS ex Amiantho ſeu Asbeſto eum ortum exiſtimat: quam quidem ſententiam Cl. Auctor non ſolum exinde probat, quod pumex ſaepiſſime, vt Asbeſtus, fibroſus ſit, ſaepeque ſtriae ſ. faſciae Asbeſti non combuſti in eo reperiantur; ſed potiſſimum ex conuenientia partium conſtitutiuarum. Diſquiſiuit enim pumicem methodo, a MARGGRAFIO circa Asbeſtum adhibita *), atque inuenit, eundem, vti Asbeſtus, ex terra alcalina, muriatica, atque ex terra ſilicea compoſitum eſſe. Atque cum Asbeſtus ſaepe impurus ſit, fieri etiam poteſt, vt in pumice, praeter dictas, aliae partes conſtitutivae inueniantur. Subiungit loca, vbi pumex inveniatur.

p. 151. 6. *De partibus conſtitutiuis argillae.* His experimentis Cl. Auctor confirmat Cl. BAUMÉ **) et POERNERI †) ſententiam, qua argilla ex terra aluminari et vitreſcente eſſentialiter compoſita dicitur, atque indicat etiam eas ſubſtantias, quae ſaepe accidentaliter argillae admixtae ſint. Nobis haec experimenta indicare per breuitatis ſtudium, non licet: ſed hoc tantum notemus, Cl. Auctorem etiam ſubtilem ſubſtantiam inflammabilem in argilla, vti Cl. POERNERVS, inueniſſe.

p. 220. 7. *De terra aluminari.* Expoſitis phaenomenis, quae hanc terram ab aliis diſtinguunt, cum MARGGRAFIO ††) eam terram alcalinam ſingularem eſſe ſtatuit. Neque omnino conſentit cum Cl.

*) *Mém. de l' Acad. de Berl.* 1759. p. 15. cf. comm. noſtr. Vol. XV. p. 271.

**) *Mémoire ſur les Argilles.* 1770. 8. v. ib. Vol. XVII. p. 436.

†) CARL WILH. PÖRNERS *Anmerkungen über Herrn BAVMÉ Abhandlung vom Thon. Leipzig* 1771. 8.

††) Mém. de l' Acad. de Berl. 1754.

Cl. BAVME' et POERNERO *), qui eam cum ſilicea vnam eandemque eſſe putarunt: ſed ex experimentis, quae recenſet, patet, in quarzo, cryſtallo montana, aliisque lapidibus huius generis, eſſe et terram aluminarem, et ſiliceam; nam priorem adeſſe demonſtrat pars, quae acidis educta et ſoluta, cum acido vitrioli alumen format: ſilicea vero acidis non ſoluitur, pars autem cum iis coniungitur et maſſam format, ſali ſelenitico ſimilem. Itaque terra aluminaris quidem ineſt lapidibus vitreſcentibus, ſed differt tamen omnino natura ſua a ſilicea. Omittere cogimur plura lectu digniſſima, quae Cl. Auctor his apte et erudite inſperſit.

## V.

VRBAN FRIEDERICH BENEDICT BRÜCKMANNS *Abhandlung von Edelſteinen. Zweyte verbeſſerte und vermehrte Auflage. Braunſchweig, im Verlag der fürſtl. Wayſenhaus - Buchhandlung* **).

i. e.

VRBANI FRIDERICI BENEDICTI BRÜCKMANNI tractatus de Gemmis.

Non inacceptam ſperamus fore huius libri vberiorem mentionem, cum is omnibus, qui de Gemmis ſcripti ſunt, facile ſit praeferendus. Praemititur partitio gemmarum: quae ſunt

1. Quarzeae, fractura nitentes vitri inſtar, et in cryſtallos abeuntes. Huc pertinent omnes ſic dictae gemmae verae, quarum 17 ſpecies Cl. Auctor

*) vid. lib. laudat. p. 94.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 374.

Auctor ſtatuit, quae ſunt, Adamas, Rubinus, Saphirus, Smaragdus, Hyacinthus, Topaſius, Chryſolithus, Granatus, Amethyſtus, Berillus, Chryſoberillus, Cryſtallus montana, et Turmalinus.

2. Quarzeae, ſeu corneae, fractura laeui non nitente; ſemipellucidae vel opacae: Species ſunt 12: Praſius, Chryſopraſius, Smaragdopraſius, Calcedonius, Cacholonius, Carneolus, Onyx, Achates, Lapides ſic dicti oculares, Oculi Cati, Oculus mundi, Silex igniarius.

3. Quarzeae, fractura aſpera, non nitentes. *Saxa colorata.* Refert huc Iaſpides; Porphyrum, et Brecciam ſiliceam.

4. Ex Quarzo, Mica, et Spato ſcintillante compoſitae, vt Granites.

5. Gemmae ſpuriae, igne indureſcentes, vti Nephrites, tam orientalis, quam is, qui eſt ſerpentini generis.

6. Fractura vitro ſimiles, non tamen cryſtallos formantes, vt Opalus.

7. Metallicae, vt Lapis Lazuli, Armeniacus, Malachites, et Marcaſites.

8. Petrefacta animalia, vt Turcoſa, Gloſſopetrae, Corallolithi.

9. Ex lapidis arenacei genere, quorſum pertinet Lapis Nannieſti inuentus, quem Cl. IVSTI *) et deinde anonymus **) deſcripſit.

Ex quibus quidem patet, Cl. Auctorem ſub nomine Gemmae plures lapides recenſere, quae nitorem aſſumant, duritie et colore prae aliis polleant, vel pretium aliud quoddam habeant. Non vero ſolum eos lapides, qui ſunt ſumma duritie, et

*) vid. EIVSD. *neue Wahrheiten zum Vortheil der Naturkunde. 1. St.*

**) vid. *Hamburgiſches Magazin.* 15. *Band.*

et Cl. CRONSTAEDTIO et WALLERIO ſub genere Gemmarum deſcribuntur.

In deſcribendis ſingulis his gemmis ample et diligenter ſatis verſatur, ita vt ſigna externa et partes conſtitutiuas exponat, deinde ſynonyma et deſcriptiones Auctorum comparet, atque dubia magis definire conetur. Inſtituti ratio prohibet, quo minus cuncta, quae notatu digna ſint, referamus; quare nonnulla tantum ſpeciminis loco commemoremus.

In primo capite *de gemmis generatim*, diſſeritur. Cl. Auctor de cryſtalliſatione gemmarum agens, LINNEI opinionem minus probabilem exiſtimat, neque ex eo, quod cryſtalli ſalium ſimiles ſint, ſalia cauſſas cryſtalliſationis eſſe, ſequi, recte ait. Forte id ipſum, quod cauſſa eſt cryſtalliſationis in ſalibus, etiam cauſſa lapideae cryſtalliſationis eſt, atque diuerſum a ſale et lapide: etſi, quid id ſit, definiri nequeat. Noſter ab immixtis metallicis particulis variam cryſtallorum formam in lapidibus vnius generis forte deriuandam putat. p. 17.

Phoſphoreſcentiam Cl. Auctor in ſolo Adamante clare perſpexit, in aliis vero aut nullum lumen, aut vix notabilem ſplendorem animadvertit.

Capite ſecundo de gemmis factitiis ſ. fluoribus vitreis agit, atque ſigna, quibus verae gemmae ab iis dignoſci poſſint, bene et caute exponit. Sequentia duo capita de coelatura, formatione aliisque modis gemmas exornandi et luxui accommodandi, et a veteribus et recentioribus excogitatis habent. p. 31.

Ada-

p. 59. Adamas etiam colore viridi inſtruitur, etſi
rarius. Vberius loca, vbi Adamantes inueniuntur,
ac praeterea magnitudine excellentes, indican-
p. 98. tur. *Sapphiri* cryſtallus eſt octaëdra, ex duplici
tetraëdra pyramide, baſi ſecum connexa, com-
poſita, et pyramidalis hexaëdra, pyramide dupli-
ci. Nos poſteriori ſimilem poſſidemus, vti et aliam
priſmaticam, hexaëdram, inſtar cryſtalli montanae,
p. 104. ex *Ceylona* huc latam. *Smaragdus* in ignem
miſſus, inſtar ſulphuris, flammam coeruleſcentem
prodere dicitur. Duritie prioribus minor eſt, at-
que lima raſilis. Cryſtallum eiusdem priſmaticam,
tetra-penta-aut hexaëdram, in pyramidem tri-
vel pentaëdram obtuſam terminatam dicit. In
muſeo Richteriano hic Lipſiae ſimilis priſmatica
polyëdra, ſaltim duodecim planis compoſita reſer-
p. 119. vatur. *Topaſius*, quem circa Mansfeldiam inueniri,
et priſma hexaëdrum formare ait, nobis magis ad
cryſtallum montanam referendus eſſe videtur,
quorſum et pertinet cryſtallus bruna, *morion* vel
*topaſius fumans* dicta.

p. 138. *Amethyſtum* a Cryſtallo montana plus, quam
colore violaceo differre recte monet: nam eius
priſmaſi adeſt, ſemper pyramide breuius eſt, atque
ſtructura vel eſt fibroſa, vel in cuneiformia fruſta
p. 144. ſeparata. Miramur Cl. Auctorem repetere erro-
rem BRÜNNICHII, in editione CRONSTAEDTII cir-
ca *Aquamarinum* ſ. *Beryllum* commiſſum. Num-
quam enim Perill. PABST DE OHEIM habuit vel
oſtendit cuidam Beryllum Topaſii cryſtallis inna-
tum; error hic BRÜNNICHII ideo ſurrepſit, quo-
niam ſimul viderat duo fruſta, notatu digna, alte-
rum propter egregias Topaſii cryſtallos, alterum
inſigne cryſtallo Aquamarini, quae quarzo inſidet.
Vtraque fruſta ipſi vidimus et meliora a Perill.
p. 153. PABST DE OHEIM edocti ſumus. Cryſtallos ex
duplici

duplici pyramide, baſi inter ſe nexa, compoſitas, celeriter fieri, in ipſa aqua cryſtalliſabili materie foeta, atque, cum formatae iam ſint, praecipitari veroſimiliter ſtatuit. *Turmalini*, colore diuerſi, nobis etiam ſpecie differre videntur: ſic *niger* nihil niſi Schörlum nigrum priſmaticum eſt, atque *viridis* nobis *Chryſolithi* varietatem conſtituit: brunus autem pro ſingulari ſpecie habendus eſt. Cl. Auctor etiam differentias harum varietatum, proprietates electricas phyſicas, earumque cauſarum explicationem exhibet. p. 165.

*Praſium* Cl. Auctor ſecundae ſectioni ſubmittit, eumque cryſtalliſatum reperiri negat: qua tamen in re cum Eodem conſentire non poſſumus. Vidimus enim *Praſium pyramidalem hexaëdrum*, cryſtallis latere inter ſe nexis, in Sileſia effoſſum pelluciditate tamen prioribus multum cedit. Atque ſi dicendum quod res eſt, Cl. Auctoris Praſius, Chryſopraſius et Smaragdopraſius varietates quoad colores ſunt vnius eiusdemque lapidis, quem Chryſopraſium eſſe appellandum putamus. Praſius autem verus ab iis differt cryſtalliſatione, vt diximus, colore viridi alliaceo, obſcuriore, fractura nitente, vitri ſimili et pelluciditate maiore. p. 181.

*Onychem* dicit Calcedonium magis obſcurum, cuius politura adipoſa quaſi videtur: nobis brunus, transparens lapis ſiliceus verum *Onychem* ſiſtere videtur. De origine Globorum Achatinorum differit. Silex Aegyptiacus cum opacus ſit, ab Achate ſeparandus et ad Iaſpidem referendus videtur. Ceterum omnino conſentimus cum Cl. Auctore, qui Achatem eſſe oſtendit lapidem ex Calcedonio, Carneolo, Quarzo, Amethyſto, Iaſpide, Siliceque igniario, aliisue durioris generis, admixtis mineris etiam, compoſitum, neque itaque tanquam genus ſummum horum lapidum p. 208. p. 222. p. 226.

conſiderari poſſe, vt WALLERIVS aliique fecerunt.

p. 240. *Oculum Cati* ab Opalo ſeparat, quoniam durus eſt, ad chalybem ſcintillat atque ex minutiſſimis laminulis componitur, quae omnia ſecus ſe habent in Opalo. Forteſſe oculus cati eſt varietas Spati ſcintillantis, ſubtiliſſime ante congelationem ſoluti.

p. 264. Ad Iaſpides refert plures lapides metalliferos, duros, et opacos: vti lapidem cinnabari penetratum, atque etiam *Sinopem*, de quo experimenta Cl. SCOPOLI conferenda ſunt. Generatim Iaſpides partitur in 1. vnicolores: 2. variegatos: 3. compoſitos, ſ. ſaxa iaſpidea.

p. 286. Nephritem Orientalem (*Iade* Gallis) dicit Steatiten ſubtiliſſimum, igne indureſcentem, colore, vel albo, vel coeruleo, vel flauo, vel nigro murideſcentem, vel viridem.

p. 297. Opalus Cl. Auctori videtur vitri ſpecies, igne ſubterraneo producta, et metallicis particulis tincta: id quidem vix de omni Opalo, ſi vel de quibusdam varietatibus concedendum eſt, valere videtur: nam in noſtra Saxonia in ipſis venis montium aliis lapidibus inſperſus et immixtus reperitur. Plura lectu digna de *Opalo* NONNII ſubiungit.

p. 309. *Lapidem Lazuli* aëri expoſitum, friabilem et colore pallidiorem fieri, atque colorem eius forte a terra coerulea ferrifera, quae Coeruleum Berolinenſe natiuum dicitur, produci exiſtimat.

p. 359. In appendice inſignis catalogus lapidum, quorum nomina PLINIVS aliique veteres indicarunt, qui autem non cogniti ſunt, nec certe nunc definiri poſſunt, exhibetur. Itaque Cl. Auctoris opera, in deſcribendis et definiendis gemmis, at-

que

que colligendis et certius determinandis nominibus variis Auctorum omnem plauſum et laudem meretur, dignusque eſt hic liber, qui a mineralogis diligenter legatur.

## VI.

*Kenntniß derjenigen Pflanzen die Mahlern und Färbern zum Nutzen und denen Liebhabern der oeconomiſchen Pflanzenkenntniß zum Vergnügen gereichen können. Leipzig bey Chriſtian Gottlieb Hilſcher.* 1776. 8. *Seitt.* 812. praeter praefationem et indices.

i. e.

De ratione plantas, pictoribus et tinctoribus vtiles, cognoſcendi.

Compoſuit Cl. REVSS, Profeſſor Tubingenſis, ex ſcriptis HELLOTI, POERNERI, SIEFERTI et aliorum, ſicuti etiam ex ſuis obſeruationibus librum, qui tanquam compendium reliquorum ſane vtilis eſt cenſendus. Verſatur vero Auctoris conſideratio inprimis circa Germaniae plantas, quas ſecundum Linnaeanum ordinem diſpoſuit, deſcriptionem cum loco natali et florendi tempore attendit atque culturam cuiuslibet plantae et praeter tinctorium interdum et alium oeconomicum vſum adiecit.

Pauca notemus, partim quoniam huius libri fontes *) iam indicauimus, partim quia tanta her-



*) v. ſupra p. 401.

p. 12. barum copia vix breuem epitomen admittit. Ly-
copus Europaeus nigricantem offert colorem, qui
diu et firmiter durat, praeſertim, ſi inſpiſſatus ſuc-
p. 22. cus cum ferri vitriolo coquitur. Si flores Iridis
Germanicae per tempus aliquod putredini com-
mittuntur, et calx viua additur, tunc egregie viri-
p. 28. dem colorem praebent. Folia Scabioſae ſuccisae
p. 34. recentia tingunt viridi colore, ſicca luteo. Galium
verum, G. boreale et G. mollugo offerunt radice
rubrum mox altiorem, mox dilutiorem colorem.
p. 280. Folia Chaerophylli ſylueſtris tingunt viridi, vmbella
p. 390. vero alumine coƈta luteo colore. Succus Euphor-
biae helioſcopiae cum vaccino laƈte praeparatus
oſtendit roſeum colorem, cum ſimplex chartae im-
p. 460. miſſus caeruleum tantum praebeat. Melampyri
aruenſis ſpica offert caeruleum colorem et, ſi
inter coquendum alcali fixum additur, purpu-
reum.

p. 560. Suſpicatur Cl. Auƈtor ex colore mutabili
corollae Loti corniculati, eundem eſſe tinƈtoriam
p. 590. plantam. Ad radices Hieracii Piloſellae reperi-
tur cocci ſpecies, quae loco cochenillae adhi-
beri poſſit. Denique in appendice, praeter
alia dogmata, quae ex aliis hauſit, ex Poerneriano
libro methodum, ſecundum quam corpora, ad
artem tinƈtoriam vtilia, exploranda ſint, addi-
dit.

## VII.

IOANNIS DOMINICI SANTORINI ſeptemdecim tabulae, quas nunc primum edit atque explicat, iisque alias addit de ſtructura mammarum, et tunica teſtis vaginali MICHAEL GIRARDI, in Regia Parmenſi Vniuerſitate Anatomes Profeſſor Primarius et Caeſareae Leopoldinae Carolinae Academiae Naturae Curioſorum Socius. Parmae, ex Regia Typographia 1775. fol. pagg. 217. tab. aen. 43.

Exhibuit Cl. Editor in praefatione SANTORINI memoriam, dein perſecutus eſt tabularum harum hiſtoriam. Pictas vero a *Ioanne Baptiſta Piazetta*, caelatrici *Florentiae Marcellae* tradidit Auctor. Poſt mortem SANTORINI in IOANNE BAPTISTA CVBOLI viri Clariſſimi peruenerunt manus, quo vero mortuo, Cl. Editor cum ipſi ſuccederet, eas ſibi comparauit, qui in illis explicandis multum ſane diligentiae adhibuit. In figuris vero explicandis ita verſatus eſt Cl. Editor, vt SANTORINI ipſius interpretationibus, quas ex margine obſeruationum anatomicarum Eiusdem repetere fuit coactus; CVBOLI modo nominati annotationes, et de rebus grauioribus, ſuas quasdam apponeret obſeruationes. Quibus praemiſſis, breuiter ſingulas perluſtrare tabulas ſtudebimus.

Muſculorum faciei forma in tabula prima offertur, tradiderat eandem iam olim Cl. Auctor in obſeruationibus anatomicis ab ſe Ipſo Tab. I.

 editis

editis *), reperiuntur tamen haud paucae diuerſitates, quibus vtraque a ſe diſcrepat. Eſt nempe non ſolum quaedam diſcrepantia in eo quod in hoc opere facies a latere picta deprehendatur, quam prius tradiderat integram, verum quoque in ſingularum partium hiſtoria quaedam reperiantur, in quibus prius propoſitam mutauit ſententiam. Sic muſculi in ſepto narium deſcendentis facit mentionem, qui nimirum ad naſum detrahendum conferat. Muſculum *riſorium* a *quadrato colli* ducere originem exiſtimat. Coniunxit quosdam antea in plures faſciculos diſtributos in vnum, ſuperſunt tamen quidam, in quibus ſeiungendis adhuc iuſto accuratior fuiſſe videtur, quod vel in *transuerſo menti* factum eſſe videmus.

Tab. II. *Baſis cerebri neruorumque origo* in ſecunda proponuntur tabula. Studuit vero, vt decem priorum parium origines accuratiſſime inueſtigarentur. Inquirit, cum olfactorium neruum depingeret, in cauſam ſulci iſtius longitudinalis in neruo ſemper exiſtentis, quam in figura partium adiacentium poſitam eſſe exiſtimat. Diſtribuitur vero huius nerui pars exterior in tenuiores fibrillas, quarum plures ſingulum oſſis ethmoidei foramen tranſire a Cl. GIRARDI eſt obſeruatum. Radices tertii paris non ex cruribus medullae ſolis oriri viſae ſunt, verum potius ex ea baſeos parte, quae cruribus ipſis interiecta cernitur, atque ex cruribus hiſce ſimul, ita, vt modo ortae inter ſe vniantur. Nerui pathetici triplici ſurculo oriri conſueuerunt, quorum alius inter valuulam magnam et protuberantias teſtiformes, reliqui vero a media rima harum protuberantiarum orti cernuntur. Quintae neruorum coniugationis a ponte VARO-

*) vid. EIVSD. Obſeruationes Anatomicae. Venetiis 1724. 4to.

VAROLII atque a cerebelli pedunculis profectae, diuiſio atque directio traditur; quae vero cum MEKELII obſeruationibus maxima parte ſimilis deprehenditur. Sextum par ex ſulco inter protuberantiam annularem et corpora oliuaria et pyramidalia oriri SANTORINO hoc in loco videtur. Nerui acuſtici portio dura ab interiore inferioreque annuli parte, qua demiſſis cerebelli pedunculis adiungitur, deriuatur, mollis vero ex ventriculi quarti ſcrobe propullulat. Vagi vero nerui origines in quarto ventriculo, atque oliuaribus pyramidalibusque corpuſculis latere videntur. Nona neruorum portio, vtplurimum e rima, qua corpuscula modo nominata disiunguntur, ſurgunt ramulisque paris prioris augentur. Quod a nonnullis decimum par nuncupari ſolet, vel hic ad ſpinalium neruorum cenſum refertur. Fibrae inter corpora pyramidalia et in ſpinalis medullae principio decuſſantes, quas et SANTORINVS et alii plures aſſumſerunt, a Cl. GIRARDO reperiri non potuerunt.

Tabulae tertiae figura prima offert primi atque ſecundi paris neruorum cerebri initium, ita vt ſimul infundibuli pars ima, corpora albicantia, crura medullae oblongatae, protuberantia annularis, corpora pyramidalia et oliuare ſiniſtrum, atque medullae ſpinalis initium, cum neruorum hinc egredientium principiis appareant. Nerui olfactorii tribus radicibus ex lobis cerebri anterioribus poſterioribusque oriuntur. Optici nerui ex interioribus thalamorum, imo ex protuberantiis natiformibus, originem ducere viſi ſunt. Infundibulum ſuperius cauum, inferius ſolidum fuit detectum, neque glaciei veſtigia, ſicut MVRRAYVS *) in illo reperire potuit. Glandulae pituitariae cor- T. III. fig. I.

 pus

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 543.

pus alius eſſe fabricae, ac appendix illius contendit. In ſecunda vero huius tabulae figura ea proponuntur quae in vtriusque cerebri ventriculis reperiuntur, attentione digna, pars quoque cerebelli, medullae ſpinalis, neruorumque ſpinalium origo. Naturam glandulae pinealis eandem eſſe cum cerebro, neque ad plexum choroideum pertinere, ex eo probat, quod, glandulis plexus choroidei humore diſtenſis, pinealis ſemper apparuit ſana; medullares fibrae, quibus innititur glandula, non decuſſari contenditur; foramen vero quod in ipſa aſſumſit SANTORINVS a Cl. Editore vix vnquam inueſtigari potuit. Nerui paris ſeptimi hic triplex depicta cernitur radix. Iam quoque fuſius demonſtratur, cuius ſententiae iam antea fecerat mentionem, par vulgo cerebri decimum dictum, cum ASCHIO *) ad neruos ceruici proprios eſſe referendum. Suadet vero ad vtramque radicem huius nerui praeparandam Cl. GIRARDI, vt, capite cum ceruice abſciſſo, colloque a muſculis denudato, id antrorſum, quantum fieri poſſit, deprimatur, quo dura mater inter caput et atlantem medullam inuoluens diſcindi facile queat.

fig. 2.

fig. 3. Vltima tandem huius tabulae figura exhibet cerebri anteriorem partem vertice reſecto. Apparent hac ratione praeter exteriora illa tegumenta, corporis calloſi formae. Deſcribit ſimul glandulas ad venas durae tenuiſue meningis repertas. Septum lucidum ex duabus laminis ſpatium vacuum recipientibus conſtare variis experimentis cognouit.

T.IV. Iam tabula quarta caput a fronte ad occiput diſſectum continet, cuius ſectionis ope narium, oris pharyngisque ſtructura interior percipitur. Deſcriptis

*) v. comm. noſtr. prim. decad. Suppl. p. 236.

ſcriptis variis ſinubus, oſſis turbinati omnium minimi mentionem iniecit; quod, etſi ſaepiſſime quaeſiuerit Cl. GIRARDI, bis tantum, neque tunc diſtinctum, verum potius ſupremo adhaerens, inveſtigare potuit, aſſumitur vero ſuper oſſe turbinato ſuperiore MORGAGNI.

In quinta tabula tres ad organum auditus pertinentes figurae ſculptae reperiuntur, quarum prima in oſſis temporum ſiniſtri facie interiore conſiſtit, eſt vero proceſſus petroſus ad regionem canalis ſemicircularis inferioris ita exciſus, vt varia in tympano et labyrintho contenta appareant. In altera vero figura dextri lateris os temporum cum proceſſu petroſo, verticaliter ſecundum longitudinem exciſo, exhibetur. Atque in tertia figura pariter os temporis dictum et proceſſus petroſus ſuper meatum auditorium horizontaliter diſſectus exprimitur. Sunt autem partes huius organi, non adeo diſtincte factae, vt, Ipſo Cl. GIRARDI teſte, non ſine magno aſſiduitatis ſtudio a ſe inuicem diſcerni poſſint. Tab. V. fig. 1. fig. 2. fig. 3.

In ſexta tabula muſculi pharyngis a parte ipſius poſteriore poſiti oſtenduntur. Reperitur hic linea illa tendinoſa, poſterius a pharynge in oeſophagum deſcendens, quam SANTORINVM noſtrum negare, immerito propoſuit HEISTERVS *). Muſculus *ſtylopharyngeus*, fibris quibusdam laryngis epiglottidi accedere ſolet; *gloſſopharyngeus hyopharyngeo* iungitur; reperitur quoque tenuis quidam lacertus, qui ab hoc muſculo ortus ad *digaſtricum* progreditur; *chondropharyngeus* DOVGL. ad *hyopharyngeum* eſt relatus; *thyreopharyngeus ſterno-* et *cricothyreoidei* fibris augetur; *cricothyreoideo* fibrae oeſophagi longitudinales, ab initio T. VI. fig. 1.



*) Comp. Anat. n. 325. n. (e.).

fig. 2. initio obliquae, debent principium. Partes veli palatini pharyngisque poſterioris diſſecti, in ſecunda huius tabulae figura ſunt oblatae. Muſculus *azygos* exili tendine a poſtica ſepti narium radice ortus, in duos tenui cellulari tela diſcretus cylindrulos, per poſticam palati mollis faciem deſcendens, inque vuulam deſinens, a variis immerito negatur, denuo, repetitae diſſectionis auctoritate, eſt aſſumtus. *Thyreopharyngopalatinus* et *palatopharyngeus* ad vuulam accedentes a SANTORINO proponuntur.

T. VII. Lingua dependens, et palati mollis forma in tabula ſeptima occurrit. Muſculus *ſtyloglosſus*, duplici ſemper oritur principio, quorum alterum a ſtyloideo proceſſu, alterum ab angulo maxillae inferioris proficiſcitur; *circumflexus palati*, non vt DOVGLASSIO viſum eſt, reperitur geminus, is enim ligamentum huic muſculo propinquum pro carne habuiſſe videtur; *pharyngoſtaphylinus* in duos maiores dirimitur faſciculos, quorum alius anterior, alius reperitur poſterior; *ſalpingoſtaphylini*, non ab oſſe petroſo, vt ALBINO aliisque placuit, ſed a ſphenoidei ea parte, in qua cartilaginea oritur tuba, proficiſci videntur, qui dein arcuatim in mobile palatum progrediuntur, ibique inter ſe vniuntur: *conſtrictores iſthmi faucium* fibris imis arcum exilem conſtituunt.

T. VIII. Mamma communibus integumentis priuata,
fig. 1. cuius areola papillaque ſurſum euecta et excretorii lactis ductus, et conglomerata eiusdem glandula in prima tabulae octauae parte offeruntur.
fig. 2. Areola vero papillaque ipſa figura altera peculiariter exhibentur. Iam additae ſunt IO. CVBOLI ſuper mamma obſeruationes, quarum ſumma haec eſt. Negatur primo membrana mammae propria, a tela celluloſa formata, cuius praeſentia a non-

nonnullis affirmata legitur; pinguedo copioſiſſima quidem, neutiquam tamen areolam vel papillam ipſam attingit, etſi corpus glandulae lacteae ipſum intret. Ex arteriis mammae ab axillaribus ortis, plus lactis ſecerni, quam ex iis, quae in inferiori parte mammae ſerpunt, affirmatur, quod vel feminae, lac e ſuperiori mammae loco defluere ſentientes, corroborare videntur; limbus mammarum a lactatu frequentiore fit inordinatus, ob laxitatem ſubſtantiae a ſanguine lacteque copioſiore profectam. Mammae glandula, quam ſaepius politam laeuemque propoſuerunt anatomici, lobata, varie fiſſa, cauernulis, glebas pinguedinis continentibus, diſtincta, imo ex minoribus conglomerata, cernitur. Sunt vero acini iſti glanduloſi magnitudine ſibi ſimiles, formae ellipticae, colorisque albidi, iniectionis microſcopiique vſu ex veſiculis minimis conſtantes, detecti. Ex ſingulis harum veſicularum ductuli oriuntur lactiferi, qui, ſerpentino modo progreſſi, in maiores coëunt truncos, qui circa papillam in ſinus variae figurae aperiuntur. Trunci autem iſti lactiferi neque anaſtomoſibus copulantur, neque valuulis, ſicut lymphatica vaſa, diſtenduntur. Confecta itaque, quae vulgo glandula mammae dicitur, Noſtro ex acinis glanduloſis in ambitu, atque ex vaſculis ſinubusque tela obuolutis in media parte, videtur. Ex ſinuum horum anteriore parte ductus excretorii, principio amplo orti ſenſimque anguſtati, ad papillam, in qua aperiuntur, flexuoſo itinere, quo in lactatu longiores fieri poſſint, progrediuntur. Reperiuntur vero horum ductuum XV - XXIV, qui quidem non in ſinum quendam circularem coire, ſed ſingulatim papillam perforare viſi ſunt. Ductibus his modo deſcriptis, alii prorſus conueniunt, qui ex celluloſa fabrica prope areolam orti,

non

non papillam, ſed ipſius areolae cutem minimis foraminulis perforant. Sunt vero eminentes loci, in quibus oſtia illorum vaſculorum conſpiciuntur, quibus leniter preſſis, lac vel ſerum lacteum pro diuerſo preſſionis tempore effluere ſolet. Huius autem lactis vſum eſſe putat Cl. Auctor, vt labiis infantilibus ad exſugendam papillam areolae admotis, aëri exteriori, ſuctionem impedienti, praecludatur via. Veritatem eorum, quae CVBOLVS obſeruauerat, experimentis ſuis Cl. GIRARDI roborauit, ſimulque notauit, ſe anoſtomoſes ductuum lactiferorum venarumque a MEKELIO propoſitas, nulla arte inueſtigare potuiſſe.

T. IX. Progredimur iam ad primam tabulae nonae
fig. 1. figuram, in qua ſiniſter cordis ventriculus, ac arteriae magnae truncus ad longitudinem fiſſus, ſiſtuntur. Villi in auricula ſiniſtra reperti, quos Auctor pro cauſa hydropis pericardii habuit, Cl. GIRARDI productiones adipoſae videntur.
fig. 2. Pinguedinoſa vero lacinia, cordis vtrique lateri exterius appoſita, in altera figura eſt depicta.

Tab. X. Tabulae decimae figura prima exhibet dia-
fig. 1. phragmatis faciem inferiorem. Quae quidem multa cum ſedulitate facta, vix in minimis rebus
fig. 2. ab Hallerianis differre videtur. Altera vero et
et 3. tertia huius plagulae figura corpora irregulari-triangula, pedunculo inſidentia, praebent, quae nullae rei ita conueniunt, vt a Cl. Editore definiri pro certo potuerint, quandam cum renibus ſuccenturiatis Ipſi habere videntur conue-
fig. 4. nientiam. In vltima tandem huius tabulae figura apparent vaſa lymphatica, per foramen diaphragmatis cum arteria orta meantia, quae quidem nimis diſtenta deprehenduntur.

T. XI. Vndecima tabula hepar eleuatum, cum veſicula fellea, ventriculo pancreateque in naturali ſitu offert

offert. Ductus cyſticus flexuoſo modo progredi-
tur, neque, ſicut olim putabatur, valuulis diſtendi-
tur; ductus vero choledochus ex duplici canali
ortus, vtplurimum ſingulo canaliculo detegitur
anguſtior, quae meatus anguſtia ſenſim ite-
rum augetur, vt infundibuli fere formam
referat.

Ventriculi pars ima et inteſtinum duodenum T. XII.
diſſectum in tabula duodecima videre licet. De-
lineauit iam glandulas in ventriculo prope pylorum,
quas antea negauerat, Cl. Auctor; inteſtinum
duodenum vsque ad ductuum aperturam valuulis
deſtitutum, glabrum fuit detectum; ductus cho-
ledochus caruncula cylindrica terminatur, cui val-
vula praetenſa reperitur, eſtque haec prima, quae
in duodeni inteſtini tractu obſeruatur; deſcendit
quoque a caruncula hacce fraenulum ſeu ligamen-
tulum quoddam, quod agendo detrahere conſtrin-
gereque ſimul ductus choledochi aperturam ſolet
ita, vt ex inteſtino regurgitare nequeant humores.

Pancreas cum adnexa apertaque inteſtini duode- T. XIII.
ni parte in tabulae duodecimae figura prima traditur. fig. 1.
Ductus pancreatici, quorum longior choledocho
accedit, transuerſusque reperitur, breuior contra in-
teſtinum duodenum abſque ſocio perforat, a primo
initio vsque ad exitum diſtincte expreſſi traduntur.
Corpuſculum irregulare in figura altera delinea- fig. 2.
tum cernitur, quod procul dubio ad formam ap-
pendiculi adipoſi inteſtinalis oſtendendam eſt deli-
neatum. In figura tertia inteſtini tenuis cuiusdam fig. 3.
portio, cum meſenterio vaſisque lymphaticis in-
de productis exhibetur. Diſſeruit Cl. Auctor de
ciſternulis, vt ipſe dixit, vaſorum lymphati-
corum, lympham ipſam ſugentibus, dein ipſorum
iter accuratius deſcripſit. Poſitum vero ab vtro-
que ſanguiferi vaſis latere vnum reperitur lym-
pham

pham ferens vaſculum, vsque ad meſarei glandulas: In tabidorum vero corporibus horum lymphaticorum ductuum formam optimo cum ſucceſſu inueſtigare potuit. Plurimi oriuntur ex duodeni media ieiunique prima parte, ex craſſis vix vlli, quos vero ex craſſis exſurgere putarunt, eos pro aberrationibus ramorum ductus thoracici habet, ciſternae lumbaris ſitus, forma, capacitasque non ſolum varians fuit detecta, imo ipſa ſaepius deeſſe viſa eſt; ductus thoracicus ſemper vnicus, glandulisque per omnem longitudinem copioſis obſitus, fuit repertus.

T.XIV. fig. 1. Tabulae decimae quartae prima figura vltimam ilei partem coeco adnexam, vermicularemque huius proceſſum exhibet. Inteſtinum ileum globoſum fit prius, quam in coecum inſeratur, quo foeces, ibi ob valuulam coli remoram paſſae, facilius latitare poſſint; appendicis vermiformis fundus in ſublime euectus cernitur, quae quidem ipſius directio ſaepius obuia dicitur; nouum ligamentum, quod magnam ilei partem coeco atque vermiformi proceſſui adnectit, quod membranoſum lati trian-
fig. 2. guli prae ſe fert formam. Valuulae Bauhinianae cauſa diſſectum ileum, coecum et colon inte-
fig. 3. ſtinum in altera figura ſunt oblata. In tertia vero figura corpuſculum iterum reperitur, quod niſi fines meſenterii inteſtinis adnexos eorumque figuram eo declarare voluerit Auctor, definiri omnino nequit.

T. XV. fig. 1. In tabula decima quinta eius vero prima figura veſica vrinaria ad latus inclinata, cum veſicula ſeminali, vaſe deferente, vrethere alterius lateris et glandula proſtata, in conſpectum venit. Conficitur vero veſica ex triplici fibrarum ſtrato, ex exteriori nempe valido, ex medio tenuiori, validiſſimoque interno; glandula eximiae magnitu-

dinis

dinis eſt delineata, gaudet vero ligamentis, quae ſuper ſymphyſi oſſium pubis orta in tendinem leuatoris ani inſeruntur, vnde vtrimque prouectae ad obtuſum angulum in ſumma proſtatae facie prope veſicam coëunt, quae impediunt, quominus glandula inteſtino recto adhaerens, in vehementiori faecum excernendarum niſu e ſua ſede amoueatur. In altera figura implicata fibrarum directio accuratius delineata traditur, in qua nil diſcrepantiae a priori reperimus. Interni oſſis pubis facies cum partibus ipſi adiacentibus in tertia figura comprehenduntur; ſunt vero praeter muſculos vicinos, labyrinthus, ex vaſis ſanguiferis prope glandulam proſtatam confectus, glandula proſtata porro, imaque veſicae vrinariae pars. Occurrit hic corpusculum prominens ab hiatu vreterum profectum, teres trigonum in caput gallinaceum ſaepius productum, quod *vuulae* nomine inſigniri ſolet. Refutatur ſimul LIETAVDIVS, MORGAGNII auctoritate, qui SANTORINVM protuberantiam hanc ignoraſſe affirmauit. Conſtare vero Cl. Editori non tam ex glandulis, quam ex ſeptem albicantibus diſtinctisque fibrillarum faſciculis, ſecundum longitudinem ductis, videtur. Quarta denique figura ſphincteri veſicae vrinariae eſt dicata, in qua pars infima veſicae cum proſtata glandula principiumque vrethrae oblata cernuntur. fig. 2. fig. 3. fig. 4.

Tabulae decimae ſextae prima figura penem offert et partes muſculoſas, in ima et exteriore peluis facie occurrentes. Deſcripta hic ſunt oſcula exigua a SANTORINO circa criſtam penis detecta; muſculi *acceleratores interni* duplices a SANTORINO deſignati ſunt, quorum exteriores transverſim, poſtea in anteriorem partem producti, vrethrae bulbum contractiorem efficere; interiores vero longi- T.XVI. fig. 1.

longitudinales vrethram ipſam breuiorem reddere putantur. Muſculus *eiaculator nouus* ſupra erectores muſculos nonnihil ad interiora oritur, et in poſteriora bulbi inſeritur. Muſculi *tranſuerſales* in tot faſciculos diſtincti apparent, vt Cl. Editor ipſos abſque multo ſtudio definiri vix potuerit.

fig. 2. Figura vero altera teſtem, e ſuis inuolucris eductum, refert. Epididymidis appendiculae iſtae, quas MORGAGNIVS reliquias magnae hydatidis eſſe putauit, Cl. Editori conſtantes tunicae albugineae productiones eſſe videntur, a ſtatu morboſo neutiquam pendentes. Iam diſſeruit de tunicae vaginalis ortu, quem obſeruationibus a ſe factis, quae Hunterianis conueniebant plurimum, id exigentibus, a baſi teſtis, ſeu ab ea peritonei expanſione, cui in abdomine latitans incumbere ſolet, teſticuli deſcendentis preſſu euoluta productaque deriuandum eſſe exiſtimat.

T.XVII Ad vltimam iam SANTORINI Ipſius tabulam recenſendam properamus, in qua virginis genitalia in ſedibus haerentia, cum harum partium anique muſculis ſunt delineata. Notauit vero SANTORINVS varios muſculos antea non deſcriptos, ex quorum cenſu eſt vrethrae depreſſor, tranſuerſales duo prope muſculum clitoridis orti, ſphincterisque lacerti vtrinque ab iſchio enati.

Accedimus iam ad reliquas quatuor tabulas, quarum priores a CVBOLO relictae, poſteriores a

C. T. I. Cl. GIRARDI ſunt factae. In prima illarum inferior mammae muliebris ſuperficies occurrit, acinis vaſo-

C. T.II. rumque lactiferorum ſurculis diſtincta. In altera vero tabula diuerſae mammarum partes, quinque figu-

fig. 1-5. ris delineatae occurrunt. Sic in priori ductus lactei flexuoſi, cum truncis, in quos confluere ſolent, in altera eadem vaſa in ſinum corriuantia; in tertia vaſa excretoria areolae papillaeque; in quarta

vaſorum

vaſorum lacteorum ab acinis ortus; in quinta denique prioris figurae facies occurrit auerſa. Cl. GIRARDI quoque in prima ſuarum tabularum tria lacteorum vaſorum pingi curauit ſyſtemata in ſinus ſuos dehiſcentia. In ſecundae vero tabulae prima icone fetus diſſectus, in quo iecus ſuperius reclinatum, ventriculus, renes cum ſuccenturiatis glandulis, teſtes, cum horum vaſis et tunica vaginalis peritonaeo contigua conſpicitur. Altera vero figura ſitus teſtium cauſa quoque eſt tradita, ſunt vero teſtes in abdomine poſiti baſisque illorum a peritonaeo orta, oſſibus pubis aperte eſt inſerta.

G. T. I. Tab. II. fig. 1. fig. 2.

## VIII.

I. C. A. MAYERS *der Phil. und Med. Doctors, zweyten Lehrers der Zergliederungskunſt bey dem königl. preuß. Collegio - Medico - Chirurgico und derzeitigen Decani deſſelben anatomiſche Beſchreibung der Blutgefäſſe des menſchlichen Körpers. Mit Kupfern. Berlin und Leipzig bey Decker.* 1777. 8. 20 *Bogg.* praeter praefationem.

i. e.

Deſcriptio anatomica vaſorum ſanguiferorum corporis humani. Auctore Cl. I. C. A. MAYERO.

Accidit angiologiae id, quod diu optabamus, atque praeſtitit Cl. huius libri Auctor et doctrinae copia et adminiſtrationis anatomicae diligentia ea, quae expectari poterant ita, vt cuperemus neurologiae aliisque anatomiae partibus idem contingere. Ante omnia igitur de corde eiusque parti-

bus exponit, cuius deſcriptioni vaſorum vtrorumque exortum, ſitum, progreſſum et finem propria indagatione denuo cognitum ſubnectit. Quapropter nos modo ea attingemus, quae vel noua
p. 3. vel melius deſcripta habet. Pericardium autem oſtendit cornua quatuor, quae in eiusdem apice poſita arteriis maioribus cordis applicantur; et tunicas duas, tendineam aliam, aliam internam propriam, quarum illa a celluloſitate originem ducit, haec vero, quae ſuperius cordis vaſis adhaeret, plicas aliquas, quas falces pericardii nominauerunt, format.

p. 5. Neruos pericardio plane denegat. Mox no-
p. 7. tat Cl. Auctor atria, ſinus et auriculas cordis, earumque partium magnitudine varia determinata, monet, trabeculas carneas in dextra auricula craſſiores eſſe, quam in ſiniſtra. Inter atria ipſa ſeptum aliquod deprehenditur, quod ex membrana eorundem interna nonnullis fibris muſcularibus et tela celluloſa componitur. Sic et auriculae dextrae data eſt a natura limbus carnoſus, qui ex
p. 17. coniunctione trabecularum fit. Quam egregiam cordis contemplationem ſequitur vaſorum conſideratio in vniuerſum, quam excipiunt diligentiſſimae et ſolertiſſimae arteriarum deſcriptiones. Numerat quatuor auriculares arterias, ſuperiorem, inferiorem, anteriorem ac poſteriorem et
p. 58. nominat quoque arteriam aliquam Vidianam, quae in oſſis ſphaenoidei canali Vidiano repoſita eſt, atque aliam transuerſam faciei, quae ex carotide externa ſupra maxillarem internam originem trahens per maſſeterem aſcendit atque temporali et orbiculari oculorum ramos largiens cum maxillari externa, temporali et infraorbitali coniungitur.
p. 68. Ortum circuli arterioſi externi et interni iridis deriuat ab arteriis ciliaribus longis, imo oculi arterias

ad

ad arcum tarſeum vſque perſequitur. Sic quoque arteriam corporis calloſi nominat, quae finis carotidis internae in lobis anterioribus et corpore calloſo diſtribuitur, ramos volares et dorſales manus deſcribit ſimulque dorſalem clitoridis, gaſtrocnemias et malleolares arterias earumque progreſſum illuſtrat. Inter venas praecipue faciales et reliqui capitis, ſicuti et ſinus diligenter examinauit atque hic quoque venam Vidianam, auriculares, transuerſam faciei et parotideas commemorauit. p. 74.

Vena hemiazygea ipſi, venae azygos minor, in pectoris ſiniſtra parte inuenitur et inferius cum lumbali nonnullis anaſtomoſibus formatis diuerſam altitudinem acquirit et in venam azygos finitur. Simili ratione plexus venoſi veſicalis, pudendalis, vaginalis et reliqui definiuntur. p. 230.

Quibus adiiciuntur tabulae, ex quibus facile intelligere potes, qui rami oriantur ex vaſe principe, quosque ramos quilibet truncus largiatur et iconum explicationes, in quibus non ſolum arterioſa et venoſa vaſa, verum quoque muſculi deſignantur. Icones vero ipſae diligentiſſimae et ſemper ex optimo adſpectu delineatae reperiuntur ita, vt non poſſimus Cl. Auctoris diligentiam et acribiam et ſculptoris peritiam non laudare. p. 253.

## IX.

Noui Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tomus XIX. pro anno MDCCLXXIV. Petropoli. Typis Academiae Scientiarum MDCCLXXV. 4. pagg. 653. praeter Summariorum pag. 76. tabb. aen. 25.

Continentur in hocce volumine ſequentes tractatus.

p. 5. 1. *De valore formulae integralis* $\int \frac{z^{m-1} + z^{n-m-1}}{1 + z^n} dz$ *caſu, quo poſt integrationem ponitur* $z = 1$ Auctore L. EVLER.

p. 30. 2. *De valore formulae integralis* $\int \frac{z^{\lambda-\omega} + z^{\lambda+\omega}}{1 + z^{2\lambda}} \frac{dz}{z} (lz)^{\mu}$ *caſu, quo poſt integrationem ponitur* $z = 1$ Auctore EODEM.

p. 66. 3. *Noua methodus quantitates integrales determinandi.* Auctore EODEM.

p. 103. 4. *Demonſtratio theorematis Newtoniani, de euolutione poteſtatum binorum, pro caſibus, quibus exponentes non ſunt numeri integri.* Auctore EODEM.

p. 112. 5. *Problema Diophantaeum ſingulare.* Auctore EODEM.

p. 132. 6. *De tabula numerorum primorum vſque ad millionem et vltra continuanda; in qua ſimul omnium numerorum non primorum minimi diuiſores exprimantur.* Auctore EODEM.

7. *De*

7. *De reſolutione polygonorum rectilineorum diſſertatio prima.* Auctore A. I. LEXELL. p. 184.

8. *Commentatio phyſico mechanica generalior principii de coexiſtentia vibrationum ſimplicium haud perturbatarum in ſyſtemate compoſito.* Auctore D. BERNOVLLI. p. 239.

9. *Commentatio phyſico-mechanica ſpecialior de motibus reciprocis compoſitis, multifariis, nondum exploratis, qui pendulis bimembribus facilius obſervari poſſunt, in confirmationem principii ſui de coexiſtentia vibrationum ſimpliciorum.* Auctore EODEM. p. 260.

10. *De oſcillationibus minimis penduli quotcunque ponduſculis onuſti.* Auctore L. EVLERO. p. 285.

11. De *motu oſcillatorio binarum lancium ex libra ſuſpenſarum.* Auctore EODEM. p. 302.

12. *Explicatio motus oſcillatorii mirabilis in libra maiore obſeruati.* Auctore EODEM. p. 325.

13. *Deſcriptio Phalli quinquanguli ſeu fungi Sinenſium Mo-ku-ſin.* Auctore P. CIBOT. p. 373. Tab. V.
Phallus hic quinquangulus, cauus, ruber, putridis mori radicibus innaſcitur, baſi receptaculo vaginatus, longitudine tres circiter pollices, diametro vero ſex aequat lineas. Mucrone inſignitur, ex quinis laciniis conniuentibus conſtante, teretiuſculo, acuminato, et ſucco vireſcente, glutinoſo, ex interuallis iſtarum laminarum exſudante, illinitur. Habetur vulgo pro excremento gallinarum, cui foetore eſt analogus. Eſt vero in quibusdam regionibus venenoſus, atque in aliis ad cibum adhibetur,

betur, venenoſam autem qualitatem a natura ſoli, conſtitutione tempeſtatum, animalculisque venenoſis, fungum obſidentibus deriuat. Coquunt vero Chinenſes fungos cum ſicca ſcirpi paluſtris medulla, et ex nigro aquae hinc orto colore ad lethiferas fungi concludunt potentias. Contra vlcera cancroſa in puluere laudatur. Colitur vero fungus ea ratione, vt putridas mori radices in locis humidis, auſtro oppoſitis et arboribus opacatis defodiant. Fauet vero prouentui largiori terra ſimo pinguis reddita, vel folia mori putrida ligno huic ſuperaddita. Fungus, priusquam e terra germinat, volua ſua ouali includitur, qua quidem aperta, paruulum fungi primordium in liquore natans obſeruatur, qi uquidem, fungo euoluto, conſumitur.

p. 379. T. VI. 14. *De ſtructura veſiculae felleae leonis.* Auctore C. F. WOLFF. Perſequitur Cl. Auctor in anatome leonis deſcribenda cuius iam antea fecerat initium. Exterius vero praeter craſſitiem, a tela celluloſa pendentem, et cauitatem interiorem anguſtiorem, ob plicas copioſas nihil, quod ab humana veſicula diſcreparet, in hac leonis parte reperiri potuit. Plicae iſtae inprimis in latere, quod hepati applicatur, in collo veſiculae atque parte anguſtiore, quae collo propinquior eſt, obſeruantur, in reliqua vero cauitate ampliori nempe, fundum dico, rugoſae ſolum apparent eminentiae. Sunt vero plicae iſtae variae indolis, aliae enim ſimplices ad modum valuularum cordis ſemilunarium, aliae vero compoſitae ex ſimplicibus nimirum conglomeratae cernuntur. Formantur ab hiſce ipſis plicis loculamenta capacia, circumquaque clauſa, praeter foramina duo, vbi per ſuperius bilis inſtillat, per inferius vero effluit. Ob hanc ipſam

ſtructurae, quam tradidimus, diſcrepantiam, fundus in partem poſteriorem plicatam et anteriorem ampliorem eſt diuidendus. Plicis hiſce ductus cyſticus deſtituitur, cuius oſtium in choledochum valuula ſuperius connexa clauditur. Collum cyſtidis exterius ambitu ſuo cauitatem interiorem propterea multum ſuperat, quod in latere dextro tunicae ab ſe recedant, ſpatiumque inter eas, ſtricta tela celluloſa repleatur. Proficiſcuntur vero ab interioribus membranis, plicae rugaeque iſtae, de quibus modo diximus, copioſae. Separatur collum a prima corporis parte plica tali conglomerata. Diuiditur dein vniuerſa veſiculae cauitas in duos ſaccos, anteriorem nempe et poſteriorem, qui orificio quodam minimo inter ſe coëunt. Hanc, quam breuius expoſuimus, ſtructurae diſcrepantiam, in tabula modo laudata depinxit, ita, vt veſiculam huius animantis in parte hepati auerſa ad longitudinem diſſectam repraeſentaret.

15. *Equus Hemionus*, *Mongolis Dſhikketaei dictus*, *deſcriptus* a P. S. PALLAS. ARISTOTELI *), PLINIO **) et AELIANO †) iam cognita fuiſſe videtur haec ſingularis ſpecies, quae in vaſtiſſimis magnae Tatariae campis inter Indos, Seres atque Sibiriam late patentibus habitat. MESSERSCHMIDIVS hunc equum primus nomine *Muli daurici* deſcripſit, quem BVFFONIVS perperam pro ſynonymo Aſini feri habuit. Poſt GMELINVS ††) breviter eius meminit. In ſolis fere Argunenſibus deſertis hodie obſeruantur *Hemioni*: amant plani- p. 394. T. VII.



*) Hiſt. animal. lib. VI. c. 36.
**) Hiſt nat. lib. VIII. c. 44.
†) de animal. lib. XVI. c. 9.
††) *Reiſe durch Sibirien, II Th. p.* 107.

planitiem aridam et herboſam circa lacum ſalſuginoſum exſiccatum, Tareinôor dictum, in ipſis Mongoliae Chinenſis finibus poſitum. Ad aquas raro accedunt, ſuntque ſitis patientiſſimi. Tunguſis *Dſhikketaei*, i. e. auritus, hic equus dicitur. Etſi Nomades experimentum educandi pullos plus ſimplici vice tentarint, tamen nondum Hemionus domari potuit: interim Cl. Auctor non deſperat, idem aliquando fieri poſſe. A Mongolica gente Tunguſisque occiduntur Hemioni. Eſt autem difficillima eorum venatio, nam eximio pollent viſu et odoratu, celeritateque tanta, vt alipedes equos longiſſime poſt ſe relinquant, imo Antilopibus multo velocius currant. Ex inſidiis itaque, cum aquatum ad riuos accurrunt, vel loca ſalſuginoſa Natri vorandi cauſſa adeunt, ſclopis caeduntur. Singulari tamen cura mares adulti equas cuſtodiunt, periculoque perſpecto celerrime in fugam pellunt. Capite elato ſurrectisque auribus incedunt; hinnitus grauior magisque ſonorus, quam equorum: greges a quinario ad vigeſimum et vltra numerum adſcendunt. Mares adulti iuniores, imo tempore oeſtri etiam femineos pullos a grege expellunt. Coëunt *Hemioni* ſub finem Auguſti: vere pariunt ſolitarios pullos, qui tertio anno puberes fiunt.

p. 403. Magnitudine et facie Mulo vulgari ſimilis eſt: caput equino maius, compreſſiusque; dentes 30, binis, quam in *Caballo* paucioribus; aures equinis maiores, cauda vaccinae ſimilis. Deſcriptionem ſequitur internarum partium ſcrutinium. Cyſtis biliaria plane nulla. Cor, vt in Aſino, maximum, mole caput pueri decennis aequans. Ex omnibus apparet diſtinctiſſimam hanc eſſe ſpeciem, per ſe propagatam, et Aſiae propriam.

16. *Te-*

16, *Tetrao arenaria* deſcribente P. S. PALLAS. Media eſt inter *Alchatam*, Pyreneas Caucaſeasque alpes incolentem, et *T. paradoxam* *). In deſertis circa Volgam habitat, per paria ſemper volat, aquae eſt auidiſſima, ideoque in vicinia aquae nidulatur, oua parit columbinis maiora. Magnitudine Perdicem ſuperat, palpebrae marginibus papilloſis inſtruuntur. Inter pectus et iugulum albida circulus ater; abdomen femora et criſſum atra, cauda acuta. p. 418. T.VIII.

17. *Obſeruationes in Gado Lota inſtitutae*. Auctore I. T. KOELREVTER. Recte ad diligentius colendam anatomen animalium Auctor Cl. adhortatur Zoographos. Narium in vtraque parte magna eſt diſtantia. Sub linea laterali ab eius principio ad tertiam totius piſcis longitudinis partem, oſſicula decem, ſeu canaliculi dimidiati muciferi latent. Appendices pylori numero variant: in quarum vna *Faſciolam barbatam*, et in hepate *Gordium marinum* inuenit. *Veſica aërea*, ſimplex, inferne ſubcylindrica, ſuperne ventricoſa, et ſummitate in crura duo breuia, obtuſa et ampla diuiſa, ideoque quaſi cordata, et per totam abdominis longitudinem extenſa. In facie viſceribus obuerſa ventris veſicae circulus notari meretur pellucidus, piſi magnitudine, in quo tunica exterior veſicae deficit. Huic circello inſeruntur vaſa duo arterioſa, quae ſtatim poſt ingreſſum in veſicam in arbuſculas circiter ſex, denſas, e circulo radiatim excurrentes, diſpertiuntur. Falluntur itaque ii, qui vaſa haec pro ductu aëreo, quem non emittit veſica Lotae, deſcripſerunt. Sed fabrica haec ſingularis teſtatur, naturam hic momentoſum moliri opus, ſecernendo aërem e ſanguine, cui fixus antea inhaerebat, euolutum, ſuperfluam illius quan- p. 424.



*) *Reiſe durch Rußland, II Th. p. 712.*

titatem reſorbendo, fixamque iterum ſanguini reddendo. Quod ex ipſo hoc vaſorum apparatu, ductubus pneumaticis aliorum piſcium, quibus aër ſuperfluus quidem emitti, non tamen intrare poteſt, ex praeſentia aëris in veſica piſcium, ductu aëreo carentium, vt ſunt Gadi, Blennii, Spari, Labri, Sciaenae, Scombri, Siluri, iisque affines, probatur. Primam iſtius ſecretionis notionem veſica *Percae fluuiatilis* et *Luciopercae* Cl. Auctori ſuppeditauit.

p. 435. T. IX. et X. 18. *Lacerta apoda deſcripta*, Auctore P. S. PALLAS. LINNEI coniecturam, tot modo animalia vel plantas, quot ordines naturales vel ſumma genera exſtant, creata fuiſſe, in dubium Cl. Auctor vocat. Nulla enim eſt ratio, cur in principio ſolum animalia diuerſi generis hybrida et fertilia genuerint, neque hoc etiamnum adeo facile ſuccedat, cum tamen ſpecies ſibi ſint magis ſimiles. Videtur igitur Cl. Auctori, obſeruationibus confirmato, illas plerumque ſpecies, quae inter ſe quammaxime ſunt ſimiles, tanto maiori antipathia et horrore effluuiorum mutuo a coitu arceri: et licet hominum cura hybrida, etiam foecunda, producta ſunt: experientia tamen docet, ſucceſſu generationum ad alterius parentis formam et habitum ſenſim redire, copulisque cum primaria ſtirpe pronioribus plane deleri. Adeoque cum iis potius ſentit Cl. Auctor, qui eas ſpecies, quae nunc ſunt, a principio fuiſſe putant.

p. 437. His praemiſſis, Reptile deſcribit, in quo dubium eſt, an ad *Serpentes* vel *Lacertas* ſit referendum. Praeter gracilem corporis longitudinem, pedumque defectum nihil cum Angue commune habet. Capitis proportio et forma, dentes in ore obtuſi, oculi palpebris clauſiles, aurium externi meatus

meatus valde conſpicui, ſquamarum compoſitio annularis, pedunculus vtrinque ad anum exſertus ſubdidactylus, caudae verticillatae fragilitas et interna ſtructura, rudimenta ſterni oſſiumque peluis, anguibus plane denegata, coſtae robuſtae, vix ad anum productae, vertebrarum conformatio, ſceleti oſſea magis conſiſtentia, pulmo duplex, inteſtinorum conuolutio probant eam eſſe Lacertam. Patria huius Lacertae apodae ſunt conualles herbidae arenoſae, Elaeagno aliisue fruticibus inumbratae, deſerti ſabuloſi *Naryn*, inter Rhymnum et Volgam ſatis ardenti ſub coelo ſiti. Rarius ad Sarpam riuum, frequentius in deſerto Kumano et circa Terekum lecta fuit. Latitat inter fruteta, venatur potiſſimum Lacertam agilem aliasque minores.

In ventriculo eiusdem inuenit Cl. Auctor p. 449. *Vermiculos*, Trichuridi ROEDERERI *) et quidem alteri ſpeciei, quam WAGLERVS, magis cineream, rigidam, elaſticam dixit, ſimillimos. Iſti Auctores autem caudam ibi eſſe opinati ſunt, vbi Cl. Auctor caput inueniri probat. Caput illius, quod Taeniae eſſe Cl. Auctor et alii indicarunt, conformationem exhibet. Nomen *Trichuridis* ſ. ſeticaudae, cum falſam inuoluat notionem, reiiciendum et nouum formandum eſt, niſi quis hos vermes *Gordiis* adnumerare velit, quibuscum rigiditate corporis et defectu annulorum conueniunt; ore tamen et cauda ab iis differunt. Subiungit indicationem vermium inteſtinalium, huic analogorum. Prior eſt, quem in *Zoophytorum Elencho*, *Haerucam* dixit, quae LINNEI *Faſciola barbata* et *Acanthocephalus* KOELREVTERI eſt, et quam nuper

*) de morbo mucoſo. Gott. 1762. v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 517.

nuper O. F. MÜLLERVS *) *Echinorynchi* nomine propoſuit, hic *Tab. IX. fig.* 2. depicta. Alteram ſpeciem in *Suis* inteſtino tenui inuenit, quae priori Vermi, quoad oris ſtructuram, maxime eſt ſimilis, Tab. IX. f. 3. depicta.

p. 455. T. XI. 19. *Acerina; piſcis, ad Percae genus pertinens deſcriptus*, Auctore A. I. GVELDENSTAEDT. Hoc nomine *Percam*, *P. cernuae*, quoad numerum, ſitum, figuram et colorem partium ſumme affinem; in proportione capitis ad truncum ſatis differentem deſcribit. Caro eius eſt albida, et ſapidiſſima: *Acerina* habitat in Ponto Euxino, et palude Maeotica, ob nuptias celebrandas Boryſthenem et Tanain fluuiosque minores intrat menſibus brumalibus. Praetermittimus diligentem externarum et internarum partium deſcriptionem.

p. 463. T. XII. —XIX. 20. *Sex Auium deſcriptiones*, Auctore EODEM. In regione circa *Caucaſum* et in adfinibus ad ſeptentrionem meridiemque eiusdem locis has aues, praeter alias, iam deſcriptas, animaduertit Noſter. Nomina harum ſunt *Loxia Rubicilla*, quae habitu et colore proxime ad *Enucleatorem*, roſtro ad *Coccothrauſtem* accedit. Degit in aëre frigidiuſculo ad alueos glareoſos torrentium, et baccas Hippophaës Rhamnoidis legit, easdemque diſſeminat; gregatim volitat, vocemque Pyrrhulae imitatur: Tab. XII. eius icon traditur.

p. 465. *Tanagra melanictera*, quae habitu, coloribus et differentia ſexuali accedit proxime ad *Carduelem Americanam* BRISS. ſ. *Fringillam triſtem* LINN. magnitudine eandem ſuperat et *Emberizae miliariae* aequalis eſt. Differt deinde roſtro conico, acu-

*) In Zool. Danic. prodomo. v. ſupra p. 304.

acuminato, capite breuiore, pileo nigro ampliori, rectricibus, remigibus earumque tectricibus cinereo fuſcis, non albo terminatis. Habitat circa thermas iuxta fluuium *Terek* et in *Georgia* circa *Teflisium*. In dumetis Rhamni Paliuri occurrit ſub ramis ſpinoſiſſimis, Accipitribus acceſſum prohibentibus, ſecure nidificans. Solitarie volitans vocem Paro maiori ſimilem edit. Mas feminaque Tab. XIII. et XIV. pictae exhibentur.

*Muſcicapa melanoleuca*, dorſo, gula, remigibus et rectricibus albis, hisque apice nigris: migratoria et inſectiuora haec auis in *Georgia* campeſtri ad fluuiorum ripas, fruticetis obſitas, et circa *Teflisium* ad Cyri ripas reperta et Tab. XV. depicta eſt. p. 468.

*Motacilla erythrogaſtra*, quae *Motacillae Phoenicurae* valde eſt analoga, moribus congeneres imitatur, viuit baccis *Hippophaës*, in qua etiam nidificat: migratoria auis. Mas et femina, colore admodum a ſe recedentes, Tab. XVI. et XVII. depinguntur. p. 469.

*Scolopax ſubarquata*, quae ob roſtrum capite multo longius ad *Scolopaces*, ob roſtrum deorſum arcuatum ad *Numenios* BRISS. pertinet. Auis huius migratoriae, per aeſtatem circa mare Caſpium et verſus Tanain adſcendentis, ad ripas arenoſas fluuiorum inſecta atque vermiculos legentis ſtaturam Tab. XVIII. exprimit. p. 471.

*Scolopax cinerea*, quae a *Scolopace Totano* LINN. differt, quod minor ſit, breuioribusque multo pedibus inſtruatur, vropygiumque cinereum, non album ſit, rectricesque cinereae vnicolores, neque albae fuſco faſciatae. Etiam ad mare *Caſpium* aeſtate haec auis migratoria habitat: Tab. XIX. eam delineatam naturali magnitudine ſiſtit. p. 473.

21. *Qua-*

p. 476. T. XX.-XXIII. 21. *Quatuor Fucorum ſpecies deſcriptae* ab I. LEPECHIN. 1) *Fucus tubuloſus*, radice orbiculari, caule ramisque teretibus cauis, ſuperius complanatis; foliis tubuloſis, ſubundulatis, ſeſſilibus. Cauitas foliorum vndique viſcida detegitur. Colore exquiſite rubro inſignitur; creſcit copioſe in profundis maris albi ad inſulas ſinus Candulauscoy. 2) *Fucus ſaccatus* caule ab initio tereti ſolido, dein plano, inflato, cauo, foliis cauli ſimilibus, margine calloſis, petiolis tubuloſis. Color ipſi eſt ruber longitudo quinque pollicum. Reperitur ad oſtium maris Albi. 3) *Fucus dichotomus* acaulis, frondibus dichotomis, extremitatibus anguſtis medio dilatatis. Subſtantia membranacea, firma, pellucida, colore amoene rubente, magnitudo ſumma pedis dimidii. In littus Terscoy maris Albi copioſe eiicitur, et ab ouibus lubenter comeditur. Inter dentes per vtrumque latus ligularum globuli nigricantes, ſeſſiles, magnitudine ſeminis milii obſeruantur, qui adhuc a nemine, qui ſimiles fungorum familias deſcripſit, fuerunt detecti. 4) *Fucus graminifolius*, caule tereti, ſenſum craſſeſcente, tubuloſo, foliis planis, linearibus, in duplici ſerie ſitis, ad apices in faſciculum collectis, terminantibus. Color cinnabarinus, longitudo pedis vnius, locus mare album.

p. 482. Tab. XXIII. fig. a. b. c. 22. *Minera argenti cornea chemice examinata et deſcripta.* Auctore C. LAXMANN. Etſi iam LOMMERI *) et WOLFII **) huius ipſius minerae diſquiſitione eandem cognitam habemus; cum tamen Cl. Auctoris experimenta aliam eiusdem mixturam doceant, eadem omnibus grata acceptaque fore

*) *S. deßen Beſchreibung von Hornerz.*
**) *Verſuche über die innere Miſchung einiger Mineralien.* Ex Phil. Trans. Vol. LXVI.

fore perſuaſum habemus. Praeter Saxoniam ſolum Sibiriae tractum Kolywanenſem patriam agnoſcit: atque in Sibiria quidem ab anno 1745 — 1768 tanta in copia, auro argentifero natiuo vberrime comitata obuenit, vt tota ſuperior pars montis, cui a ſerpentibus eſt nomen, venam cumulatam magnam complectentis, ſola hac minera, intertextis paucis aliis, conſtare videretur. Nunc vero, ſuperioribus locis fodinae exhauſtis, rarior eſt, nec, niſi in Spati pendentis et Cornei iacentis fiſſuris occurrit. Amorpha haec minera in ochra plumbi, cum Spato plumbeo, coeruleo montano cryſtallino, cupro natiuo aliisque inuenitur; vel lamellis Spati et Cornei particulis ſubtiliſſime intertexta reperitur. Signa diagnoſtica huius minerae bene exponit Cl. Auctor. Admota flamma liqueſcit cum odore ſulphuris. Grauitas ſpecifica eius ad argentum puriſſimum eſt, vt 140 ad 200. Odore ſpecifico, debili, mixturam vitriolico argillaceam vel margaceam indicat, qui odor diutiſſime perdurat. Minera pura argenti cornea ex centum libris fere ſeptuaginta libras argenti puri dare ſolet, eodemque modo tractanda eſt docimaſtice, quo minera argenti vitrea. Expertus eſt Cl. Auctor, etiam mineram argenti vitream, quae a veteribus aptius minera argenti plumbea dicebatur, eadem ratione, qua minera argenti rubra, fatiſcere. Hanc colore et grauitate ſpecifica mutatam gignere quaſi *argenti mineram corneam*. hancque ipſam igitur varietatem permaturam vitreae eſſe habendam. Quae ipſa ſenſim metallo ſuo orbata tandem *mineram* ſic dictam *argenti nigram* ex Auctoris mente conſtituit. Ideoque exiſtimat Cl. Auctor mineram argenti corneam eiusdem cum vitrea eſſe proſapiae, iisque fere conſtare principiis, neque iniuſte a nonnullis mineram vitream albam dici.

Quae

Quae quidem experimentis chemicis magis probare annititur.

Minerae enim argenti corneae, puriſſimae, ſubtiliſſime raſae ſemiunciam, vnciis duabus olei vitrioli concentratiſſimi ſuperinfuſis, ex retorta vitrea ſ. l. a. ex fortiſſimo igne arenae deſtillauit: nihilque, niſi oleum vitrioli, odore ſulphureo impraegnatum tranſiit. Cum contrario eodem experimento cum Luna cornea factitia inſtituto acidi ſalis portio, et ipſum purum oleum euehebatur. Neque ſublimatione cum mercurii viui vncia vna et ſemiuncia minerae argenti corneae, quibus inuicem trituratis amalgamatio nulla vera ſubſequebatur, acidi ſalis praeſentia probabatur: nullum enim mercurii ſublimati corroſiui veſtigium, ſed contra cinnabaris fuſci praeſentia apparuit. Praeſentiam ſulphuris etiam ex hepateſcenti huius minerae qualitate cognouit Cl. Auctor. Quibus quidem omnibus collectis, ſequi nobis videtur mineram hanc argenti corneam Sibiricam, a Cl. Auctore hic chemice diſquiſitam, differre omnino ab eadem Saxonica, in qua et LOMMERVS et P. WOLFFIVS acidi ſalis praeſentiam, itidem experimentis chemicis ſatis clare demonſtrarunt, quorum quidem experimentorum rationem nos proxime ad Lectores referamus.

p. 499 T.XXIV fig. 1-4. 23. *Commentatio hypothetica de periculo a nimia cometae appropinquatione metuendo.* Auctore L. EVLERO.

p. 549. T.XXIV fig. 5-10. 24. *De differentia inter parallelum lunae verum et apparentem.* Auctore A. I. LEXELL.

p. 580. 25. *Nonnulla loca lunae ex obſeruationibus circa occultationes fixarum a luna anno* 1774 *Petropoli et alibi inſtitutis determinata.* Auctore EODEM.

26. *Ex-*

26\. *Experimenta acu magnetica Petropoli inſtituta.* Auctore W. L. KRAFFT. p. 610.

27\. *Duarum Eclipſium ſolis die* $\frac{15}{26}$ *Octobris* 1772. *et die* $\frac{11}{22}$ *Martii* 1773 *obſeruationes factae in vrbe Dmitriewsk* a P. INOCHODZOW. p. 623.

28\. *De differentia meridianorum Petropolitani et Pekinenſis.* Auctore P. HALLERSTEIN. p. 630.

29\. *Eclipſes ſatellitum Iouis anno* 1774. *Petropoli in ſpecula aſtronomica obſeruatae* ab A. I. LEXELL. p. 636.

30\. *Epitome Obſeruationum meteorologicarum Petropoli anno* 1774. *ſecundum calendarium correctum inſtitutarum.* Auctore I. A. EVLER. p. 639. Tab. XXV.

## X.

*Chemiſche Verſuche über einige der neueſten einheimiſchen antiſeptiſchen Subſtanzen, von D.* WILH. HEINR. SEBAST. BVCHOLZ, *Adiunkt der kaiſerl. Akadem. der Naturf. der Akad. der Wiſſenſchaften zu Erfurt, München, Gieſsen u. a. m. Mitgliede. Weimar* 1776. 8. 104. *Seitt.*

i. e.

GVIL. HENR. SEB. BVCHOLZII experimenta chemica ſuper corticibus quibusdam endemiis antiſeptica vi praeditis.

Studuit Cl. Auctor ex antiſepticorum remediorum fonte, febrifuga noua endemia vili pretio, p. 1.

quae redimi poſſint, inuenire, propterea quod corticis Peruuiani penuriam aliquando euenturam eſſe opinatur, et quod nimia pecuniae pars ex patria ad hoc remedium comparandum, educatur. Secutus eſt hac in re Cl. PRINGLE in tractatu *de morbis militum* tentamina, et methodo Garayiana, quam coctioni ad extracta variorum corporum paranda praefert, eſt vſus. Contemplatus vero eſt *Aeſculi hippocaſtani*, *Salicis vitellinae*, *capreae*, *fragilis*, *Rhamni frangulae*, *Fraxini excelſioris*, *Pirique mali ſylueſtris* cortices.

p. 11. Tractatum de vi corticis *Aeſculi* antea nouis actis Acad. N. C. obſ. LIV. p. 264—269. *) inſertum, nunc in patrium ſermonem verſum, huic denuo praefixit operi, variisque nouis emendauit obſervationibus. Cl. LEIDENFROSTI rationi puluerem huius corticis in febribus intermittentibus exhibendi, experimentis ſuis non reſpondenti, nondum ſubſcripſit. Huicque methodo, ſal more nominato paratum, in aqua Cinnamomi ſolutum ſubſtituit, ad quam rem corroborandam obſeruationum ſuarum fide vtitur. Diſquiſiuit vim huius ſalis antiſepticam ita, vt carnem recentem ſolutionibus diuerſis, extracti nempe corticis huius, corticisque Peruuiani mandaret, atque videret, quam diu putredini vtraque reſiſtere ſoleat. Vidit vero hoc experimento carnem in ſolutione extracti corticis Peruuiani poſitam die XX in putredinem abiiſſe, cum contra quatuor hebdomatibus praeterlapſis, ea, quae in aqua corticis Hippocaſtani latuerit, corrupta fuerit. Ex quo quidem colligit huius vim antiputredinoſam multum excellere. Solutio vero huius ſalis aquoſa colorem induit coeruleum, quare pictoribus vtilis arbitratur. In febribus vero intermittentibus extracti huius drachmam

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 115.

mam vnam, in aquae cinnamomi vncia vna ſolutam, emeticis variis praemiſſis, poſt quartum vel quintum febris inſultum, omni trihorio ad guttas LX. non ſine vſu exhibuit viditque hanc drachmam huius extracti, febres nominatas radicitus curaſſe.

Extractum *Salicis vitellinae* multum ſuperare vim corticis Peruuiani iisdem tentaminibus expertus eſt. Fuit huic ſolutioni odor vinoſus, qui haud dubie a fermentatione carnis eſt ortus. p. 44.

*Salicis capreae* vires antiſepticas, prioris illius quidem imbecilliores, corticis tamen Peruuiani paululum fortiores animaduertit Cl. Auctor. p. 61.

*Salicem fragilem*, vitellinae debiliorem reperit, admodum tamen cortici Peruuiano praeſtantiorem. Diſquiſiuit vero de hoc frutice et ramorum et radicum corticem. p. 69.

*Rhamnum frangulam*, *Fraxinum excelſiorem*, atque *Pyri mali* corticem putredini diutius fortiusque reſiſtere cortici Peruuiano detexit. p. 82.

## XI.

Diſquiſitio medica: Cantharidum hiſtoriam naturalem, chemicam et medicam exhibens, Auctore RVDOLPHO FORSTEN, Med. Doct. Editio ſecunda *), Argentorati, ſumtu Königii, 1776, 8, pl. 15 cum dimid.

Quamquam digniſſimi medicis cantharides ſemper ſunt viſi, quibus in ſanandis variis, iisque admodum pertinacibus humani corporis affectibus vterentur, de vera tamen principii eorundem



*) Cum die octauo Februarii cIↃIↃCCLXXV Academia Lugduno-Bataua tertium auſpicaretur ſeculum, Cl. FORSTEN ſummos in medicina honores obtinuit, qua occaſione hunc libellum primum imprimendum curauit.

dem cauſtici atque actiui natura etiamnum inter medicos lis eſt, cum TOVRNEFORTIVS, CARTHEVSERVS, aliique acidum illud eſſe opinentur, alii vero alcalinam eiusdem naturam defendant. Gratiſſimus proinde medicis eſſe debet Cl. FORSTENII labor, quem in cognoſcendis conſtitutiuis cantharidum partibus, et in agendi ratione eorum explicanda adhibuit. Etſi enim Vir Clariſſimus ipſe fatetur, ſe ſua opera eo haud peruenire potuiſſe, vt, quale ſit eorundem actiuum principium, certiſſime definiret, multum tamen ad falſas aliorum de hac re opiniones refellendas ipſum contuliſſe, lubenter teſtamur. Eſt vero Cl. Auctor in ſuo opere ea ratione progreſſus, vt, naturali cantharidum hiſtoria praemiſſa, doceat, quo modo colligi, necari et aſſeruari iidem debeant. Altera ſectio complectitur tentamina ad mixtionem eorundem indagandam inſtituta; tertia vero effectus enarrat, quos cantharides, variaque eorundem producta tum in Auctoris, tum in canum corporibus, tum humano ſanguini admixti produxerunt. Quarta tandem ſectio in duabus partibus medicam hiſtoriam, agendi modum, externumque et internum huius animalis vſum exhibet.

Orditur autem Cl. FORSTEN ſuam tractationem a diuerſa cantharidum denominatione, dicit-
p. 9. que, eam ſpeciem, qua veteres vſi ſunt, fuiſſe *Meloën Cichorei* L. eamque apud Chinenſes hodienum in vſum vocari. Quae vero in noſtris aſſeruatur officinis *Meloës* ſpecies, eaque propter a Cl. Auctore ſub examen fuit vocata, *veſicatoria* a LINNEO cognominata eſt. Metamorphoſin eiusdem, cum larua nullibi ſit deſcripta neque obſeruata,
p. 13. optaremus magis illuſtratam. Calidae praeſertim regiones, velut Hiſpania, Gallia, Italia, aliaeque

inſignem

inſignem alunt horum animalium numerum, nonnunquam tamen eas relinquunt, frigidioresque, velut Germaniam et Sueciam inuadunt, poſſuntque menſe Iunio aut Iulio facile colligi. Ad rationem autem eos necandi quod attinet, ſuadet Cl. Auctor cum DIOSCORIDE aceti vaporem, etſi in eo medium infringendae aut corrigendae cantharidum vis quaerit nullum. Ceterum cum SWIETENIO aſſerit Cl. Auctor cantharides, etſi per XXX annos fuerint aſſeruati, et in pollinem ſponte mutati, inertes tamen haud reddi, neque quicquam de cauſtica ſua vi amittere.

Progredimur ad tentamina, quibus Cl. FORSTEN ad detegendam huius animalis mixtionem vſus eſt. Ac primum quidem digeſtioni, deſtillationique cantharidum vncias ſex ſubiecit, limpidumque et parum albeſcentem liquorem, oleoſa velut pellicula obductum, et empyreumatico quodammodo ſapore atque odore praeditum inde obtinuit. Solidi autem ſalis nihil prodierat, neque, quod in retorto vaſe remanſerat decoctum, vllum alcalinae, acidaeue indolis manifeſtabat indicium. Recepit eapropter remanentium in retorta cantharidum exſiccatorum vncias duas, easque leni primum, deinceps vero ad ſummum aucto ignis gradui expoſuit, hacque ratione ſpiritus aurantii coloris et fragrantiſſimi, oleo animali DIPPELII ſimilis odoris vnciam dimidiam, ſcrupulum et tria grana; ſalis alcali volatilis ſcrupulos duos et olei e rubro nigreſcentis, ſpiſſiuſculi drachmas duas, ſcrupulos totidem et ſex grana obtinuit. Decocti autem a primo proceſſu reſidui vnciae ſex poſt lenem euaporationem ſpiſſi, tenacis et nigricantis extracti drachmas tres reliquerunt. Iam ad alcoholis in cantharides actionem diſquirendam accedit

p. 24. p. 27. p. 29. p. 30.

dit Cl. Auctor: adipiſcitur autem ſuper iisdem di-
geſtus vini ſpiritus colorem ex flauo virideſcentem,
p. 32. odoremque ſingularem vix deſcribendum. Vncia
huius tincturae, difflato alcohole, ſedecim grana
reſinoſae materiei rubri coloris reliquit; canthari-
des vero alcohole extracti, cum retortae illati
ignemque experti eſſent, ſpiritus alcalini, aurantii
coloris drachmas tres, ſcrupulosque duos, ſalis
alcali volatilis drachmam et grana octo, olei tan-
dem ſpiſſi, tenaciſſimique drachmas tres et ſcru-
p. 37. pulum dederunt. Quo vero proportionem diuer-
ſarum cantharidis partium penitius intelligeret,
duodecim vncias retorto vaſi absque additamento
immiſit, ignemque ſenſim auctiorem, tandem ve-
hementiſſimum adhibuit, quo facto liquoris alcalini
albeſcentis vncias tres, drachmas ſex et dimidium
ſcrupulum, ſalis volatilis alcalini vnciam et ſeptem
drachmas, olei rubelli fluidi drachmas ſex cum di-
midia, olei vero rubri ſpiſſiſſimi vnciam et ſcrupu-
p. 40. los duos cum dimidio obtinuit. Caput mortuum
p. 43. in cineres mutari nulla ratione poterat, cum aqua
regia autem tractatum auri et ferri quicquam Cl.
Auctori exhibuit. Iam vero, vt ne experimento-
rum cum cantharidibus a TOVRNEFORTIO, VE-
RATTO, PITCARNIO et PROBSTIO inſtitutorum
p. 44. nihil quicquam tribuiſſe Cl. Auctor videatur, bre-
viter ea recenſet, cauſam, cur a ſuis diſcrepent,
p. 55. diſquirit, fateturque, ſe veram cauſtici canthari-
dum principii naturam haud extricare, neque ta-
men CARTHEVSERO, qui acidum illud eſſe putat,
adſtipulari poſſe.

p. 59. Accedimus ad tertiam huius libelli ſectio-
nem, quae experimenta cum cantharidibus, variis-
que eorundem productis inſtituta contemplatur.
Ac ſpirituoſum quidem, aquoſumque huius anima-
lis extractum, nec non ruſum, ſpiſſumque oleum

veſicante

veſicante vi prorſus deſtituuntur, lenem vero pru-
ritum, cutisque rubedinem alcalinus ſpiritus pro-
duxit. Quemadmodum autem cantharidum pul-
vis per octiduum in concentrato aceto maceratus
veſicantem vim amiſit, ita quoque camphora atque
theriaca ANDROMACHI eam admodum debilitant.
Ceterum corpori huius animalis praeſertim vis ex-
citandi veſiculas ineſt, etenim pedes, caput atque
elytra eadem eſſe deſtituta Cl. Auctor expertus
eſt.

Canis iunior paruae ſtaturae cum ſex grana p. 68.
pulueris cantharidum aſſumſiſſet, nullumque inde,
praeter leuem ſomnolentiam atque abdominis in-
tumeſcentiam mox ceſſantem, morboſum ſenſiſſet p. 69.
ſymptoma, dimidium eiusdem pulueris ſcrupulum
denuo aſſumere cogebatur, quo facto frequenti-
bus vexabatur horripilationibus, appetebat parum,
crudasque et vix foetentes deponebat foeces. De-
coctum vero et aquoſum cantharidum extractum
nihil mali in eodem cane produxerunt. Scrupu- p. 70.
lus pulueris cantharidum, alii cani datus, primarum
viarum actionem turbauit; pituitoſae materiae pro-
creauit vomitum, animalque aegrotum reddidit,
ita vt ad ſanitatem reſtituendam trium dierum ſpa-
tio ipſi fuerit opus; drachma autem dimidia citam p. 71.
cani mortem induxit, cuius cauſam primarum via-
rum inflammationem, ſanguinisque diſſolutionem
fuiſſe, ſectio demonſtrabat. Tincturam canthari- p. 73.
dum praua quidem ſymptomata procreaſſe, neque
tamen drachmam eiusdem vnam cum dimidia
mortem canis effeciſſe, Cl. FORSTEN obſeruauit.
Olei ruſi, fortiſſimo igne cantharidibus expulſi, ſcru- p. 76.
puli duo, cani ingeſti, aluum ſolito laxiorem reddi-
derunt, foecesque foetidiſſimo imbuerunt odore,
ceterum optime animal ſeſe habebat, potumque
et cibum haud denegabat. Ad venenatam autem

pulueris cantharidum vim corrigendam, praeter camphoram et theriacam ANDROMACHI, quoque oliuarum oleum adhibuit, optimosque inde effectus perſpexit.

p. 88. Sanguini eiusue ſero admixti cantharides, praeter citiorem putredinem, coloremque nigricantem nullam in his liquoribus produxerunt mutationem; putat tamen Cl. Auctor, neque has mutationes a cantharidibus, ſed potius a maiori caloris gradu, cui has miſcelas expoſuerat, eſſe repetendas, etenim cum ſanguinem cum cantharidibus mixtum in atmoſphaera reliquiſſet, haud accelerabatur putrefactio.

p. 98. In quarta ſectione breuem externi canthari-
dum vſus hiſtoriam Cl. Auctor praemittit, varia-
que teſtimonia recenſet, quae vetuſtiſſimos medi-
cae artis peritos hoc medicamento vſos eſſe demon-
ſtrant. Accedit deinde ad actionem eorundem in
cutim exponendam, viresque, quas in humano
corpore exſerunt, reſoluentes et ſtimulantes expe-
rimentis declarare annititur. Sequuntur tan-
dem generalia veſicatoriorum indicantia et contra-
indicantia; morborumque et vniuerſalium, velut
febrilium, arthriticorum etc. et partialium, vt
cephalalgiae, pleuritidis, aliorumque, in quibus a
variis ſcriptoribus externus cantharidum vſus lau-
datur, catalogum multo ſtudio collectum tradit.
Neque minorem adhibuit Cl. FORSTEN diligen-
tiam in exponendis effectibus, quos intus dati can-
p. 206. tharides producunt. Praemiſſis enim aliquot
venenatam et aphrodiſiacam eorundem vim teſtan-
p. 224. tibus exemplis, ad morbos, quibus curandis fue-
runt adhibiti, progreditur. Sunt autem a Cl. Au-
ctore ſalutares cantharidum effectus, ex auctoritate
ſummorum quorundam medicorum, in epilepſia,

canina

canina rabie, conuulſiua tuſſi, hydrope, lithiaſi, iſchuria, diabete, vtraque gonorrhoea, menſiumque ſuppreſſione laudati; ſumma tamen cautione in exhibendo hoc medicamine vtendum eſſe, recte Cl. Auctor praecipit, noxii enim, quos incautus eiusdem vſus ſaepiſſime produxit, effectus adeo vehementes nonnunquam fuerunt, vt omnem medendi artis eluderent vim.

## XII.

*A ſafe and eaſy Remedy propoſed for the relief of the ſtone and gravel, the ſcurvy, gout etc. and for the deſtruction of worms in the human body illuſtrated by caſes: together with an extemporaneous method of impregnating water and other liquids, with fixed air, by ſimple mixture only, without the aſſiſtance of any apparatus or complicated machine. By* NATHANIEL HVLME *M. D. of the Royal College of Phyſicians, London; Phyſician to the Charterhouſe ete. London Printed by Iames Phillips for G. Robinſon, in Pater noſter Row; and P. Elmsly, in the ſtrand, MDCCLXXVIII. 4. pagg.* 38. praeter dedicationem et introductionem.

i. e.

Communicatio certi et facilis remedii contra veſicae et renum calculos, ſcorbutum, podagram, febres lentas et vermes, exemplis variis additis. Accedit methodus, aquam et alia fluida corpora perquam ſubito ſim-

pliciſſima mixtione abſque vllo apparatu et machina fixo aëre impraegnandi. Auctore Cl. NATHANAELE HVLME.

Cl. HVLME, cuius iam alibi *) mentionem fecimus, hic experimenta cum fixo aëre tradit, quorum et Germanica **) proſtat verſio. Remedium, quod Cl. Auctor continuato virorum doctorum examini atque experientiae ſubiecit, conſtat e ſale tartari et tenui ſpiritu vitrioli, addita aqua communi. Sal tartari autem pariter ac ſpiritus vitrioli ſecundum pharmacopoeam colleg. Reg. med. Londinenſem p. 41. et 46. ſint praeparata neceſſe eſt. Quae quomodo exhibita ſint medicamenta a Noſtro, non diu poſt narrabimus.

p. 1. In prima ſectione agitur de calculis et materia ſabuloſa in renibus. Variis calculoſis aegris Cl. Auctor exhibuit hoc medicamentum multo cum leuamine ita, vt quater de die quindecim grana ſalis tartari in tribus vnciis aquae purae et mox poſtea viginti guttulae vitrioli ſpiritus in totidem vnciis aquae ſumerentur. Nam putabat, haec remedia, ſeparatim ventriculo immiſſa, in eo efferueſcere et hac ratione vim ſuam plenius, citius et fortius in toto corpore exſerere. Quod feliciter

*) v. comm. noſtr. Vol. hoc. p. 73.

**) NATHANAEL HVLME *Anzeige eines ſichern und leichten Mittels wider den Blaſen- und Nierenſtein, den Scorbut, das Podagra, wieder auszehrende Fieber und die Würmer. Durch verſchiedene Erfahrungen erläutert. Nebſt einer Anweiſung Waſſer und andre flüßige Körper ſehr geſchwind durch eine ſehr einfache Miſchung, ohne Hülfe einiger Geräthſchaft oder einer zuſammengeſetzten Maſchine mit fixer Luft anzuſchwängern. Aus den Engl. überſezt. Leipzig bey Caſpar Fritſch.* 1778. 8.

ter Noſtro contigit: paucis enim diebus poſt ſedimentum mucoſum, cretaceum et calculoſum vrinae ſedimentum animaduertebat. Marginibus fruſtorum calculoſorum ſimilis maſſa alba, cretacea, mucoſa adhaerebat,et Noſter arbitrabatur, hanc eſſe partem calculi, qui in ſubſtantiam cretaceam eſſet mutatus. Confirmatur quoque horum remediorum effectus a Cl. COLLINO HOSSACK medico Colceſtriano, quocum Noſter hanc methodum medendi communicauit.

In ſectione ſecunda huius remedii in ſcorbuto laudat vtilitatem et commendat illud mari et terra exercitubus cet. Sub omnibus coeli plagis hoc remedium ſuas virtutes tuetur ac exſerit. Ad ſcorbutum marinum ſanandum vtitur Noſter vncia vna, puri ſalis tartari, quod ſoluitur in ſedecim vnciis aquae communis et hanc ſolutionem appellat *alcalinam* mixturam, atque duas vncias tenuis ſpiritus vitrioli, cui admiſcet quatuordecim aquae purae vncias et hanc mixturam nuncupat *acidam*. Vnciam dimidiam mixturae alcalinae in tribus vnciis aquae et poſtea confeſtim vnciam dimidiam acidae mixturae in totidem vnciis aquae aeger quotidie quater ſumit et continuat his remediis, donec omnia ſymptomata ſcorbuti euanuerunt et vires aegri recuperatae ſunt, id quod Noſter exſpectat, tribus ſeptimanis praeterlapſis. Augeri quoque poteſt haec doſis. Laxantia remedia ſunt praemittenda et ſi inter harum mixturarum vſum aluus non ſatis reſponderet, interdum interponenda. Diaeta ſit vegetabilis. Putat quoque Noſter ſcorbutum his mixturis arceri poſſe. p. 9.

In

p. 13. In tertia ſectione podagrae has mixturas prodeſſe aſſeritur et oſtenditur, podagricam materiam non a fixo aëre in corpore poſſe repeti, vti MACBRIDIVS *) aliique ſunt rati. Commendat harum mixturarum vlteriorem vſum in hoc pertinaciſſimo morbo.

p. 17. Quarta in ſectione febri lentae (*hektick fever*) haec mixtura medetur, quae et in aliis febrium ſpeciebus e. gr. putridis, nec non in dyſenteria aliisque ventris fluxibus profuit.

p. 21. Quinta in ſectione de anthelmintica huius remedii virtute agitur. Lumbrici enim, qui antea viui exierunt, extincti ope huius remedii expulſi ſunt. Atque ideo huic remedio vim vermes necandi Cl. Auctor tribuit, quod praeterea tentaminibus, extra corpus inſtitutis, probat. Fecit ſcilicet pericula cum vermibus et animalibus, quae in aqua viuunt et ex iis elegit anguillam, morti inprimis pertinaciter reſiſtentem, quae pariter, vti vermes, his in mixturis extincta eſt. In clyſteribus poteſt quoque hoc remedium adhiberi. Hic vero notandum eſt, aquam antea, quam medicamenta admiſcentur, illum gradum caloris, quo opus eſt, nanciſci debere. Id quod omnino ſuadet, ſi hoc remedium calide cum corpore eſt communicandum.

p. 25. Finit hunc tractatum deſcriptio rationis, qua ſine omni omnino praeparatione quam ſubito aqua et alia fluida corpora aëre fixo impraegnari queant. Vtitur nempe Noſter nulla machina, vti PRISTLEY aliique

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 336.

aliique *) cum ſupra memorata methodus has mixturas praeparandi et adhibendi ita feliciter ſuccederet, nec vllo modo aegri de moleſtia quadam vel ingrato aliquo ſenſu conquererentur, dum mixtio harum mixturarum in ipſo eorum ventriculo fieret. Quapropter quoque alia atque alia tentamina a Cl. Auctore extra corpus humanum praeſtita, hic communicantur, quibus docetur, machina non opus eſſe, aquas minerales poſſe facile imitari et vtiliter mutari cet. Tentamina vero ipſa lectu digna hic repetere non poſſumus.

## XIII.

*Caſes in Surgery, particulary of cancers and Diſorders of the Head from external Violance with Obſeruations. To which is added an Account of the Sibbens. By* IAMES HILL *Surgeon in Dumfries, Edinb. printed for Balfour* 1772. 8. *pagg.* 263.

i. e.

Chirurgicae obſeruationes inprimis de cancro et laeſionibus capitis Auctore Cl. HILL.

Duabus ſectionibus Noſter ſuas obſeruationes lectu dignas communicat, quae Germanica lingua prodierunt **), et attinent cancrum, tumores tunicatos, vſum cicutae in cancro; vlcus ſingulare ſinus frontalis, in quo vermis erat,

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 98. p. 124. ſqq. it. ib. p. 437. ſqq. it. v. ſupra p. 224. ſqq. p. 388. ſqq.

**) IAMES HILLS *chirurgiſche Beobachtungen, welche hauptſächlich den Krebs und die Verletzungen des Kopfs betreffen. Aus den Engl. überſetzt, Leipzig bey Caſpar Fritſch* 1777. 8.

erat, tumores ſteatomatoſos, *Wens* dictos, hydatides, quarum alia vrinae retentionem cauſabat. Altera ſectio offert capitis laeſiones ab externa vi, vſum trepanationis, harum laeſionum ſanationem ſine trepanatione, cranii contuſionem, cerebri commotionem, trepanationis noxam in laeſionibus capitis ab internis cauſis, cranii fracturas, noxam neglectae trepanationis, vulnera externorum integumentorum capitis, aneuryſma ſingulare, methodum vulnera capitis tractandi et relationem de morbo *Sibbens*, interſperſis annotationibus Cl. Auctoris. Addita eſt tabula aenea.

Sect. I. Octoginta et octo carcinomata Noſter exſtirpauit, inter quae duo non ſanabantur, nouem aegri experiebantur reditum carcinomatis et vna aegrota timebat de eo. Reliqui itaque, exceptis his duodecim, prorſus ſanitati ſunt reſtituti. Dum haec ſcribebantur, numerus operationum creuit vſque ad nonaginta et quinque, quorum decem fruſtra. Varia obſeruauit carcinomatum initia. Serpit nimirum illud malum interdum ſine vllo externo ſigno, i. e. tumore, excreſcentia e. ſ. p. qualem ſpeciem carcinomatis ab initio cum herpete exedente comparari poſſe Noſter ratur, niſi in illo herpete plures maculae et celerior progreſſus adeſſent, illa contra carcinomatis ſpecies vnam maculam varium in modum ſquamoſam prodit, quae lente ſerpens ſeſe extendit, deſquamatione aliquoties facta, cutis inundatur atque ita carcinoma oritur. Carcinoma labii oris inferioris Noſter ſaepius vidit, quam ſuperioris, id quod bis modo inter multa exempla Noſtro offerebatur. Cicutae omnem non ſolum denegat Noſter vim contra cancrum, ſed etiam ob temporis diſpendium inter

ter vſum eius maximam noxam praedicit, quoniam operatio, vnicum remedium, tum nihil iuuat. Quapropter Noſter quoque arbitratur, illos tumores, quibus conduxit cicuta, non fuiſſe carcinomaticos. Tribuit praeterea cicutae diſcutientem et reſolventem virtutem in tumoribus duris, frigidis, minime autem in inflammatoriis, et carcinomaticis. Prorſus ſingularis vermis, ex vlcere ſinus frontalis egrediens, ita deſcribitur: Magnum habebat numerum pedum, colorem fuſcum, vtrinque in capite maculam rubram. Erat duo vel trium pollicum longitudine, praeterea vero erucae plane non ſimilis. Mouebat ſeſe ita fortiter in manu, vt non ſolum doleret, ſed vt aegra ipſa timebat, eum perforare velle manum. Anglorum tumorem *Wen* eſſe ſteatoma probat hic Noſter. Duo labii oris carcinomata, quae cornu formam prae ſe ferebant, exſtirpauit, quorum icones hic communicantur. Maxima pars carcinomatum, vti Noſtro videtur, eſt malum locale, quod ab externis cauſis accidentalibus proficiſcitur; interim tamen et internas cauſas et ſingularem praediſpoſitionem ad cancrum ſeu carcinomaticam conſtitutionem in nonnullis exemplis largitur. Varias hydatides externe et interne Noſter obſeruauit, externas ita ſeparauit, vt radicitus cyſtis exſtirparetur, alias illarum reditus erat ineuitabilis, internae per anum vrethramque exierunt. Iterum narrat Noſter hiſtoriam lethalis retentionis vrinae ex hydatide (*Hydatide Tumor*). Punctum veſicae efficiebatur, cum catheterismus plane non poſſet fieri, et quinque ſexue librae vrinae euocabantur. Nihilominus autem aeger moriebatur ſphacelo veſicae. Aperto cadauere quinque magni in abdomine ſpectabantur tumores tunicati, quorum tres dextrum latus occupauerant eorumque vnus magnitudn em

capitis

capitis infantilis aequabat. Varii erant coloris, rubri, albi, cani, variae magnitudinis et figurae, variorum item contentorum, vnus enim erat atheroma et maximus hydatides multas pellucidas in ſe continebat, oui gallinacei magnitudine et pellucida gelatina circumcinctas. Ille tumor autem, qui mortem efficiebat, erat inter inteſtinum rectum et veſicam, occupabat omnem peluim et comprimebat inteſtinum rectum et collum veſicae ita, vt, niſi maximo impetu clyſteres immitti et poſt mortem pariter, quam in vita vllus aditus ad veſicam inueniri nequiret, donec tumor apertus eſſet.

Sect. II. Variis hic a Noſtro capitis laeſiones attinentibus traditis annotationibus lectu dignis, praemittit exempla, a ſe obſeruata, quibus dein ſubnectit nonnullas animaduerſiones et regulas certas firmasque inde repetit. Exempla, a Noſtro hic collecta, ſunt partim per trepanationem, partim ſine ea ſeruata reſtitutaque, in alio trepanatio inutilis erat, item in alio temere ea erat intermiſſa, qui etiam moriebatur. Ex vno hic a Noſtro memorato exemplo apparet, vel ſine fractura aut vlla laeſione cranii poſſe magna vaſa ſanguifera interna rumpi et extrauaſationem efficere, quae trepanationem absque mora neceſſario exigit. Quod attinet ad cerebri commotionem Noſtro veriſimile videtur, praeter expanſionem vaſorum vel celluloſum contextum, qui haec ipſa vaſa circumcingit, ita ſanguine extrauaſato impleri, vt aeger tam diu omni motu et ſenſu priuetur, quamdiu ſugillatio non ſit reſoluta et diſcuſſa. Eleuationem oſſium Noſter non ſine omni exceptione admittit, nec adeo celeriter ad eam properat. Varias praeterea huius operationis methodos Cl. Auctor hic perſequitur

tur et varia addit monita. Diſſecandas interdum eſſe menynges obſeruationibus ſuis Noſter affirmat. Finit hunc librum breuis relatio de origine, progreſſu et natura eiusdem morbi, qui in Scotia meridionali minus recte *Yaws* et in ſeptentrionali *Sibbens* appellatur. *Sibbens* ſiue *Sivvens* ſignificat rubum idaeum. Alibi nominatur hic morbus *Sou - cruu* et confunditur interdum cum malo in India conſueto, *Yaws* (Frambeſia). Eſt hic morbus quidem iam deſcriptus in diſſertatione de ſiphylitide venerea Edinb. 1767. 8, attamen erroribus interſperſis, quos hic Noſter emendat. Eſt ſcilicet nullus nouus morbus, neque Scotiae ſoli proprius, ſed idem morbus, quod eſt malum venereum.

## XIV.

Diſſertatio Academica de cancro, quam duplici praemio donauit Illuſtris Academia Scientiarum, Humaniorum Litterarum et Artium Lugdunenſis in Conuentu publice habito die octauo Decembris, anno 1773. Auctore BER. PEYRILHE, Doctore Medico Toloſano, e Regio Chirurgorum Pariſienſium Collegio, Academiae Scientiarum, Inſcriptionum et Humaniorum Litterarum Toloſanae et Scientiarum Monſpelienſis Socio. Pariſiis. Antverpiae apud I. I. G. de Marcour, 1775. 8 mai. pagg. 91.

Repetiimus iam aliquoties hanc ab Illuſtri Academia Lugdunenſi datam quaeſtionem *), ad quam

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 143.

Cl. PEYRILHE reſpondit atque ſuam ſententiam hic in latino ſermone obtulit. Gallica eſſe praeterea editam hanc diſſertationem lingua legi poteſt in indice ſcriptorum, quo finitur haec pars noſtrorum commentariorum. Diſtribuit Noſter hanc rem in has propoſitiones: 1) Cancroſi vitii cauſas inquirere. 2) Genuinam eius naturam ſtatuere. 3) Eius effectus rimari atque explanare. 4) Poſſibilitatem cancrum ſanandi medicamentis tum internis, tum externis, certis limitibus coërcere. 5) Optimam cancrum curandi methodum proferre.

p. 6. Noſter ſcirrhum cancrumque quaſi vnicum morbum contemplatus, varia eius ſtadia variasque conditiones hic perſequitur. Tumor cuti concolor, durus, renitens, magno exiguo aut nullo dolore ſtipatus, prima exhibet cancri rudimenta. Primum ſtadium *ſcirrhus non exquiſitus*, ſecundum *ſcirrhus exquiſitus*, tertium *ſcirrhus malignus*, aliis *cancer occultus*, quartum *cancer apertus*, alias *carcinoma*, *phagedaena*. Sedes cancri ſunt glandulae. Notat praeterea Noſter organa cordi magis vicina et ſenſibilia crebrius et acrius cancro vaſtari. Quaecunque lympham mediate vel immediate cogunt, vaſorum diametros imminuendo anguſtiorem viam lymphae parant, ſiue ea acria chymica aut phyſica ſint, frigida aut calida, interna aut externa, cancro fauent et cancri ſunt remota cauſa.

p. 14. Progredimur ad genuinae virus cancroſi naturae definitionem. Fluida animalia cuncta, loco moderate calido ſtagnantia, putreſcere notiſſima res eſt: ergo putreſcant humores, e quibus conflatur cancroſus tumor. „ Ad putrefactiuum motum neceſſaria eſt fluiditas. Putrefactionis negotium Noſter tribuit tepori et quieti. Hinc, inquit Noſter

Noſter in *primo* corollario, ſponte fluit cancroſas concretiones tam diu a putrefactione immunes fore, quam diu ob humidi penuriam omnis molecularum inſenſibilium motus arcebitur. Hinc pariter euincitur ratio, cur cancri in ſecundo ſtadio conſtituti, nempe dum lapidea duritie a motu ſpontaneo defenduntur, per multos annos latitent innocui. Dein in *ſecundo* corollario: eodem fonte manat motum ſpontaneum naſciturum ipſo primo inſtanti, quo, ſufflaminato omni motu truſiuo aliqualis reddetur impactae materiae fluiditas: hoc corollario ductus, quisque praeuidere poterit damnoſum, quem experientia teſtatur, humectantium vſum, regionis pluuioſae, paludoſae etc. in cancroſos homines incommoda. etc.„

Ex additis obſeruationibus porro apparet, p. 22. omnia putredinis phaenomena in cancro occurrere: item probat hic Noſter, virus cancroſum non differre a tabo putrido, atque negat eiusdem aciditatem, quam nonnulli cancroſae materiei tribuerunt. p. 27. Haereditarium hoc malum Noſter non iudicat *).

Venit iam Noſter ad effectus virus cancroſi, p. 33. quos in locales et generales diſpeſcit. „Haud infrequenter in ambitu cancroſae molis ſororiant cancri minores ſecundarii: in cancro mammarum fere ſemper glandulae axillares; in cancro faciei glandulae maxillares tument, indurantur et in cancrum verum degenerant. Hi ſecundarii cancri a primitiuo multum diſcrepant; putrefactiuam enim craſin ſub ipſo exortu ſuo gremio fouent. Nam debentur reſorpto viru cancroſo per textum cellularem in vicinas glandulas delato, has irritanti



*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 681.

et vberiorem in ipſas fluidorum influxum, infarctum et obſtructionem, propter eretismum, qui putridum aculeum comitatur, naſciturum molienti.„

p. 40. Cancri radices raro admodum occurrunt et annoſiores tantum cancros comitantur. Ipſa oſſa corroduntur, areſcunt et friabilia facta ſponte franguntur. Bruta rarius et fere nunquam cancro lethali laborant ob irritabilitatem ſegniorem et ob affectuum immunitatem, quibus homines et prae ceteris hypochondriaci anguntur.

p. 51. In ſectione quarta Cl. Auctor ſanationem cancri certis circumcingit limitibus. Cancer in primo ſtadio, et aliquando in initio ſecundi ſtadii reſolui poteſt. Interim fatetur hos limites ponendi difficultatem, quoniam durities, aetas, inſenſibilitas pertinaciaque tumoris ſunt fallacia. Contra omnes eos porro dicit Noſter, qui carcinomatibus in reliquis ſtadiis velint mederi internis medicamentis. In illis ſtadiis ſuadet Cl. LE CAT conſilium optimum et vnicum: *blandire vel ſeca.* Blandiendo cancro ſeruiunt et infuſa amariuſcula e. g. ex chamaepytyde, quam laudauit ALBERTINVS *).

p. 57. Optima cancrum ſanandi ratio in quinta ſectione a Noſtro proponitur. Scalpellum ad cancrum penitus eradicandum praeferendum eſt ſuppurationi, medicamentis cauſticis ferroque ignito. Mox ima pars vlcerum vel praua medicatione, vel natura partis affectae vel vitioſa humorum indole cancrorum faciem induunt. Signa vlcerum cancroideorum et cancri diuidit Noſter in communia et propria. Interim cancri cognoſcuntur ex laeſis aut

*) v. MORGAGNI de ſedib. et cauſſ. morb. Ep. 39. §. 35.

aut euerſis organorum, quibus inhaerent, functionibus. Dum exſtirpatur cancer, monet inprimis Noſter chirurgos, ne fallaci parcant cuti. Cancri exulcerati cura in eo poſita eſt, vt debeant medentes praeſentem corruptelam fugare; futuram auertêre; molis inorganicae factae ſeparationem operari et tandem vlceris conſolidationem abſoluere. *Gas ſilueſtre* ex omnibus mixturis actu fermentantibus aut efferueſcentibus Cl. Auctori viſum eſt, quaeſitum hactenus ſuppuratiuum his in exulceratis cancris ſuppeditare. Nemo neſcit fluidum hoc ſubtiliſſimum partes putridas animalium ad natiuam dulcedinem reuocare.

Etſi nunquam quidem Noſter ad ſanationem p. 75. plenam pertigerit, tamen bonum effectum huius remedii expertus eſt: ſcilicet correctionem ichoris, dolorum lenimen etc. Tredecimo die vna matrona vertiginem experiebatur, quam tribuit Gas ſilueſtri Noſter et ob metum ſuffocationis ex labe pulmonum per hoc remedium inducta mutauit Cl. Auctor conſilium, et loco Gas ſilueſtris ſumſit vncias aliquot cinerum clauellatorum pauca aquae quantitate ſolutorum et camphorae parum immiſit in vas fictile, quod obturauit infundibulo chartaceo, quo vapores ad vlcus veherentur, dum foramine nunc acetum nunc ſpiritus nitri infundebantur in cineres clauellatos. Hae vaporationes bis aut ter per dimidiam aut integram horam quolibet nychthemero iterabantur magno cum ſucceſſu. Vertigo autem non prorſus ceſſabat, imo horrendi dolores ſincipitis oriebantur, quibus vero alias quoque aegra eſt vexata, et vlcere fere inodoro et bene ſeſe habente conuulſa periit, forſan a reſorptione carcinomaticae materiae.

p. 78. Gas ſilueſtre, e ſubſtantiis fermentantibus aut efferueſcentibus auolans non alienum eſſe Noſter putat a halitu, quem carbo vulgaris, cum incandeſcit, emittit, quem ſuadet Noſter cancris, cancroſis plagis, vlceribus ſordidis cet. Atque coniecit Noſter, calorem hunc ſiccum carbonum ſuccos putridos emungere, partes exſiccare cet.

p. 79. Alia matrona quoque periit, licet remedium votis Cl. Auctoris bene reſpondebat. Fluor vterinus viridis, acris, putridus cancroſis mulieribus familiaris non prodit vteri cancrum, ſed habitus cancroſi praeſentiam.

p. 82. Ergo num tam ratiocinio quam experientia fas eſt concludere 1) exſtare medicamenta antiſeptica inſignis in cancroſam corruptelam energiae. 2) Haec medicamina eſſe genuina cancri ſuppuratiua. 3) His ſiſti poſſe eroſionem aliaque praua ſymptomata. 4) Cancros exulceratos, vulgaribus auxiliis inexpugnabiles, non prorſus deſperatos eſſe.

p. 82. Daucum hortenſem Noſter quoque commendat. Cortici Peruuiano aliisque antiſepticis, ſi humectantur et fermentatio in iis excitatur, vires tribuit. Antiſeptica autem methodus exſtirpationi non antefertur a Noſtro. Diaeta cernitur in alimentis facile fermentantibus et copioſo aëre fixo ſeu gas ſilueſtri praeditis, qui aër eſt valentius antiſepticum. Porro eligit cibos et potus, quae aluum laxant.

p. 87. Diſcrepat putredo ſcorbutica, maligna et peſtilentialis a purulenta et cancroſa, quod in illis ſolida et fluida male afficiuntur, in hac magis ſolida. Quaerenti rurſus quidnam diſcriminis ſit inter putredinem purulentam et cancroſam, reſpondet Noſter illud ſe potius ex intenſitatis ac ener-

energiae gradu, quam ab eſſentia repetere ac deriuare.

Addita eſt tandem quaeſtio ab Academia Lugdunenſi propoſita, cuius iam ſupra mentionem fecimus. p. 91.

XV.

Nonnulla circa methodum luis venereae curandae meditamenta. Diſp. Praeſide ADOLPHO MVRRAY, pro gradu Doctoris d. 1 Nov. 1777. proponit *Petrus Dubb*, Veſtrogothus. Vpſaliae. 4. pagg. 48.

In primo capite de *mercurii et praeparatorum mercurialium in luem veneream curandam virtute generaliter* agitur. Vituperat ab huius capitis initio eos, qui in ſudoriferis fortioribus omnem ſalutis reſtituendae ſpem poſitam eſſe affirmant, ipſumque Cl. PEYRILHE alcali volatilis vſum in malo hocce commendantem; atque ad mercurium in malo ſanando confugiendum eſſe exiſtimat. Neque febriles motus Noſtro ad morbum tollendum excitandi videntur, cum iſti neque a minori mercurii propinati quantitate oriri ſoleant, neque ſolius diaphoreſeos ope malum vulgo tollatur. Operandi modus mercurii tot cum implicitus difficultatibus reperiatur, a Cl. Auctore non definitur. Abſoluitur vero omnis per mercurium ſanatio, externa metalli viui inunctione, vel metallo mucilaginis ope in mixturam cochleatim ſumendam conuerſo; vel ſalinis praeparationibus, vel cinnabarinis tandem fumigationibus. Salia mercurialia, quibus a variis multum tribuitur, non acido, quo ſcatent, ſed particulis ſuis ſubtilioribus actiuiora p. 3.

redduntur; quod operariorum Idrienſium teſtimonio corroborat, quibus fumus mercurii viui calore diminuti infeſtiſſimus eſt repertus, atque variorum teſtimoniis, quibus ☿rii ſublimati corroſiui parua portio ſaliuationem mouit. Principium autem metallicum, quod ſalibus ☿rialibus ineſt, acido horum ſalium ope phlogiſti °oique animalis obuoluto, per ſe agere Noſtro videtur, quod globuli mercuriales poſt aſſumtum corroſiuum exſudantes, aliorumque acidorum chymicae enchireſes Ipſi declarare videntur.

p. 14. In altero capite *⊖lium ☿rialium cum huius generis vnguentorum effectibus* comparatur. Debilitant ſalium mercurialium ſpicula ventriculi robur; non tam facile ac globulus rotundus penetrare poſſunt ob formam determinatam: hinc mala in finibus vaſorum tardius aegriusque horum vſu compeſcuntur; haemoptoicis, phthiſicis, haemorrhoidariisque ob irritationem partium molliorum, quam gignunt, periculoſa habentur; vlceribus venereis raro medentur; atque in ſcorbutica humorum inquinatione vehementius, ac mercurius, fluens agere ſolent, atque hinc neque in omni caſu, neque absque cautione exhiberi poſſe iure ſuo propoſuit Cl. Auctor. Mercurium vero ſublimatum caute exhibitum, ſalibus reliquis ex mercurio paratis anteponendum eſſe cenſet, ob globulos mercuriales, quibus gaudet, magis attenuatos, acidoque aequaliter iunctos. Huic itaque poſtponendus videtur mercurius dulcis ob ſoluendi difficultatem, partiumque conſtituentium inaequalem mixtionem, atque praecipitatus albus, ob leuiorem acidi atque metalli vnionem. Mercurius praecipitatus ruber interne cum additamento alcalino propinari debet. Turpethum minerale ob lotionem, quae non debita

cum

cum cautione ſemper peragitur, non erit propinandum. Pilulae KEYSERI atque Syrupus BELLETI Cl. Auctori non placere videntur. Omnibus autem ſalibus mercurialibus inunctiones ſunt praeferendae. Mixta vero GARDANI methodus a Noſtro aeque ac mercurii gummoſi vſus repudiatur.

In capite tertio *hodierna Monſpelienſium hydrargyroſin inſtituendi methodus* deſcribitur. Omnis vero ſanatio duobus abſoluitur ſtadiis, praeparatione nimirum atque hydrargyroſi. Quorum prius eo diutius continuandum eſt, quo plura adſunt, quae illud exigere videntur, ſymptomata. Conſiſtit vero in venaeſectione, purgantibus lenioribus, balneis, potu diluente diaetaque parciore. Balnea ſint tepida, niſi vel nimia corporis laxitas vel eiusdem rigiditas alia poſtulet, inque illa vſque ad collum immergantur aegroti, donec debilitatem quandam ſentiant. Epilepticis et aſthmaticis ſemicupia conueniunt. Debilitas, cuius mentionem fecimus, momentanea eſt, mox enim balneorum vſu vires amiſſae reſtituuntur. In omni vero caſu ea adhibenda Noſtro videntur, etſi primo intuitu plus nocere, quam prodeſſe videantur; quod hydropis venerei atque haemoptyſeos exemplis, in quibus iſta adhibuit, corroborauit. Eorum vſus diutius eſt continuandus, ita vt hypochondriacis ictericisque, hoc morbo affectis, centies circiter adhibitus plurimum proſit. Sub mercurii ipſius exhibitione balnea vix vnquam ſuadenda. Morbos, hydrargyroſin non ferentes, ſi morbo venereo iunguntur, tollere ſub ipſa praeparatione debemus. Praeparationi huic ſaepius hydrargyroſis praemittenda, ſi nempe tantae vehementiae eſt malum, vt mortem mox minitare videatur. Vtuntur vero p. 25.

 Mons-

Monſpeſſulani neque pleniore neque parciore ſemper hydrargyroſi, ſed medium euntes ſaliuationem modicam neque nimium timent, neque iſtam excitare anxie ſtudent. Abſoluitur curatio vt plurimum vnguenti mercurialis vnciis XII—XV, quod alterno vel tertio quouis die in partibus inferioribus illinere aegrotis praecipiunt. Octo primis diebus drachma j conſumitur, quae deinde doſis ad ſemiunciam augetur. Ptyaliſmum nimium remediis cognitis ſupprimere ſtudent, qui ſemel ſuppreſſus nunquam recrudeſcere ſolet. Cuiusvis generis buboni inunctiones conueniunt mercuriales, ob deprauatam tunc ſanguinis maſſam. Bubonis vero phlegmonoidis reſolutio tentanda eſt antiphlogiſticis, externis repellentibus reſoluentibusque. Inflammatione hac methodo non conſopita, topicis remediis ſuppuratio eſt augenda, pusque ipſum, tumore maturo, euacuandum. Non vero incidendus videtur Noſtro bubo, donec omnis glandulae computruerit ſubſtantia, ne, quae ſalua remaneat glandulae pars, pure euacuato, in ſcirrhum abeat. Aperiendi vero ſunt bubones lanceola, tumore iam molliſſimo, in inferiori ipſius regione, et digitis a ſuperioribus partibus comprimendi, cuius preſſionis ope omne pus omnesque fiſtuloſi receſſus exprimi queunt. Adhibita fuit haec methodus a Cl. FOVAR, chirurgo Pariſino. Prodeſt vero plurimum, ſi decocta detergentia et vulneraria primis diebus vlceri iniiciuntur. Mercurialia bubonibus impoſita plus obeſſe, quam prodeſſe Noſtro videntur, cum horum ope miaſma in corpore ſtagnans non emoueatur. Eandem quoque ob cauſam vlcuſculis cancroſis mercurialia nocere affirmat. Teſticulus venereus vel ab gonorrhoea ſuppreſſa celeriter, vel ab ſemine miaſmatis venerii ope inſpiſſato, quod deiici nequit, lentius

multo-

multoque tardius oriri conſueuit. Propinentur in hoc malo antiphlogiſtica et venaeſectio, cui ſanguiſugae circa ſcrotum applicatae praeferendae videntur. Si prior ſubeſt cauſa, tunc omnia tentanda ſunt, quibus gonorrhoea reuocari poteſt, quorſum diluentia copioſius hauſta, herbae leniter reſoluentes ſcroto impoſitae, aqua GOVLARDI frigida applicata prae caeteris a Noſtro referuntur. In malo inueterato maturantia conueniunt, atque incidendo puris concilianda eſt euacuatio. Scirrhoſus teſtis prorſus exſtirpandus Noſtro videtur. Exoſtoſes, ſi fieri poteſt, ſerra abſcindendae, gummatis vero nodisque Daphne Cneorum in decocto propinatur, Gratiolae officinalis quoque extractum opem tuliſſe fertur.

In quarto tandem capite *hiſtoriae tres prorſus ſingulares* enarrantur, *ex quibus patet, quam incerta ſit aliquando cura ſiphylitidis.* Prior aegrotus, cuius hiſtoria traditur a Cl. COLOMB, Lugdunenſi Medico eſt deſcripta, ſanauit nempe Is hominem mercurialibus ſaepe incaſſum tentatum lacte, decocto lignorum aquarumque medicatarum vſu. Commendatur haec ipſa methodus in ſanandis morbis inueteratis, laudauit quoque aquam calcis lacti mixtam. Rheumatiſmis venereis antimonium crudum ſulphuri iunctum mederi viſum eſt. Glandulae ſcrophuloſae iuglandum vſu ſoluuntur. In altero aegroto, cuius hiſtoria traditur, vidit Cl. HERRENSWANDT, Medicus Pariſienſis ſymptomata peſſima poſt mercurii vſum orta, quae, quoties ab hoc medicamine abſtinebatur, toties remittere ſolebant. In tertio quoque aegroto idem Cl. HERRENSWANDT obſeruauit ſiphylitidem, a gonorrhoea ſuppreſſa ortam, tam diu latuiſſe, quam diu a mercurii vſu abſtinuerit, eſt tamen idem ae- p. 42.

grotus huius remedii auxilio prorſus reſtitutus. Ex proſtata ſub gonorrhoea tumente, ad veſicularum ſeminalium inflammationem, tertio iam die in ſphacelum, aegrum necantem, abeuntem colligitur. Detegitur iſta affectio ex pondere circa rectum, dolore obtuſo, tactu acuto et hypogaſtrio dolente. Teneſmo ſaepe cruciatur moleſtiſſimo, aluo deiecta non remittente, ipſaque ſtranguria, ex qua ad veſicam aeque inflammatam colligi poteſt.

## XVI.

*Der Naturforſcher I. Stück.* 19. plagg. tab. aen. 4. *Halle.* 1774. 8. *II. Stück.* 16. plagg. tab. aen. 5. *III. Stück.* 19. plagg. tab. aen. 5.

i. e.

### Naturae ſcrutator. Pars I. II. III.

Reperiuntur in hoc diario, quod omnibus naturalis ſcientiae cultoribus iam cognitum et commendatum eſt, tum diſſertatiunculae ſaepe eruditiſſimae, tum verſiones tractatuum ad naturae ſcrutamen pertinentium, qui vel ſeorſim prodiere, vel in aliis diariis exterorum inueniuntur, quae, ſi opus eſt, imaginibus illuſtrantur.

Pars I. In prima igitur parte hae leguntur commentationes:

p. 1. 1.) IOH. AVG. EPHR. GOEZII *obſeruationes microſcopicae ſuper Vibrione anguillula* MÜLLER. *ſ. Chao rediuiuo* LINN. Examinat Cl. Auctor obſeruationes ab aliis inſtitutas, easque longo et fuſo ſermone vel confirmat et illuſtrat vel refutat. Sic repu-

repugnat IOBLOTIO, qui partim has anguillulas in aceto deſtillato ſe vidiſſe perhibet, partim easdem paralyſi affici contendit; et NEEDHAMO ob anguillulas in ſecalis vſtilagine viſas. Habitant hae anguillulae in aceto, glutine bibliopeiorum et fermento panis, bene diſtinguendae a laruis, quae ex *Ichnevmonis* ouis proueniunt; frequenter generantur menſe Iulio, a minutiſſimo ſolis et ignis calore interimuntur, neque ſine aeris acceſſu viuere ſuſtinent, cum e contrario frigus lubenter ferant. Quae anguillulae et ouiparae et viuiparae ſunt, ſed p. 34.
non vno tempore ſimul, verum ſub finem Iulii viuiparae, tempore autumni ouiparae. — An igitur duplex ſexus, quemadmodum in piſcibus? — Menſe Iulio praecipue proueniunt, quia omnes liquores tunc praecipue aceſcunt et viuunt per hyemem in conclaui. Iuniores quoque beſtiolae infantes p. 42.
ſuae ſpeciei proferunt; diſſectae anguillulae oſtendunt infantes in matre collectos et contortos inter ſe inuicem, qui in vno vtero membrana includuntur et prodeuntes protinus natant. Menſus eſt p. 44.
denique Cl. Auctor earum longitudinem et craſſitiem, et vidit oculos duos nigros, os et caudam haud bifidam, ſed ſimplicem.

2.) F. C. GÜNTHER *de auibus albis a parentibus diuerſi coloris anomalicé natis.* Ponit Auctor p. 54.
albi coloris cauſam in tenaciori fluido, quod in canalibus pennarum vehatur et affirmat aues iuniores albos naſci ex parentibus annoſioribus, qui tenacius fluidum ouo traderent; impugnans ea, quae aduerſus hanc ſententiam proponi poſſent: longe veriſimilior autem eſt GMELINI *) ſententia, qua raritas

*) vid. EIVSD. *Reiſen* comment. noſtr. Vol. XXI. p. 306. cf. etiam GERDESSENII de hac re diatribe.

raritas humorum et defectus nutritionis cauſſa habetur. Adiungit denique catalogum animalium alborum, quae in muſeo conſeruat.

p. 65. 3.) I. BECKMANNI *Synonymia Linnaeana ad* KLEINII *opus de auibus editum a* G. REYGER. Catalogus vtilis.

p. 79. 4.) A. C. KÜHNII *analecta ad hiſtoriam inſectorum.* Deſcribit congeriem laruarum, quae *Heerwurm* a Germanis dicitur, et obſeruat eandem non vnam ſeruare directionis lineam: vnam laruam alteri ex toto ſimilem microſcopio cognouit, quae et caput brunneum et canalem alimentarium, ex quo ſuccum tenacem eiiciunt et poſterius duo tubercula habet. Coniunguntur hae laruae tenaci aliquo humore atque terram petunt tum ob metamorphoſin, tum ob nutritionem capiendam.

p. 87. 5.) I. F. GMELIN *de petrefactis animantium Würtenbergicis.* Praemiſit Cl. Auctor tractatui ſuo diligentiſſime elaborato praeloquium eruditum de petrefactis in vniuerſum. Inuenit in Würtembergicis regionibus Raiae petrefacta, petrefactum dentis Squali carchariae, Gloſſopetras, Ornithogloſſas, Ichthyodontes cuſpidatos, Bufonitas, Ichthyodontes ſcutellatos, echiniten in pyrite et alium in minera rubra ferri micacea atque plura alia petrefacta.

p. 132. 6.) I. S. SCHROETER *de nautilitis regionis Vimarienſis.* Demonſtrat differentiam nautiliten inter amoniten et conſtituit nautilitas amonitis ſimiles et alios iisdem diſſimiles.

7.) I.

7.) I. E. I. WALCH *de Lituitis.* Inuitatus profecto Lituitae exemplo, quod, cum naturae ſcrutatoris obſeruatione dignum eſſet, aeri incidere curauit, conſiderat ipſos lituitas, qui plerumque in terris calcareis reperiuntur accuratius, et notat eas regiones, in quibus reperiuntur, atque animalia, quae lituitas inhabitant, quorum numerus non adeo magnus cenſendus eſt. In quolibet lituite animaduertit conchae canalem, curuaturam finalem, concamerationes et ductum neruoſum. Comparat lituiten in icone depictum cum reliquis iam cognitis, atque diſputat ſubtiliter de duplici lituitae pariete, deque conica eiusdem figura, quam adhibet ad demonſtrandam corporum naturalium continuam ſeriem, imo illuſtrat tabula aliqua adiecta inſenſibilem mutationem tubulitarum in Helicitas. p. 159.

8.) EIVSD. *lithologicae obſeruationes.* Conſideratur ductus neruoſus ammonitarum, qui ſemper in inferiore gyri parte conſpicitur, itemque belemnitarum ductus neruoſus, quorum vterque imaginibus illuſtratur. Deſcribuntur et depinguntur duo terebratulitae et ſtrombus, in gyrorum fine denticulato orificio, et columella caua, ita, vt eandem viſu penetrare poſſis. p. 194.

9.) SAGII *epiſtola ad* BVFFONVM *de alba cryſtalliſata plumbi minera.* Verſio. p. 207.

10.) I. G. MEINECKE *de defectu exemplorum naturalium, petrefactorum plerorumque.* Iam ſatis cognita bene enarrat. p. 221.

11.) I. G. F. MEINECKEN *conſilia de inſtituendis inſectorum collectionibus.* Suadet nimirum iunio- p. 229.

ribus

ribus collectoribus magis attendere ad naturam et oeconomiam inſectorum, quam ad papilionum colores.

Obueniunt in hac parte verſiones hae:

p. 255. 12.) *Deſcriptio et icon Specus Stalactitis repletae ad Slains in Scotia ſeptentrionali ex* PENNANTI *itinere in Scotiam.*

13.) *Deſcriptio Penguini Patagonenſis:* ex *Phil. Tranſ.* Vol. LVIII.

14.) *De optima methodo conſeruandi aues:* ex *Gentlemans. Magazin.* 1772.

15.) *Aduerſaria ad hiſtoriam animalium Oſtindiae* ex PENNANTI *zoologia Indica.*

16.) *Excerptum ex* PENNANTI *generibus auium.*

Pars II. In ſecunda parte animaduertimus:

p. 1. 1.) F. C. GÜNTHER *de cauſa et origine coloris anomali nigri auium, alias diuerſorum colorum.* Ponit cauſam in nutrimento, quod humores animales rariores et minus cohaerentes praebet, quale cannabis offert, quae ex oleoſis, ſulphureis et dulcibus miſcetur particulis. At quemadmodum prior, ita et haec opinio omni probabilitatis ſpecie caret, quin contrarium locum videtur occupare. Enumerat ſua obſeruata circa auiculas, cannabi nutritas, quae nigris pennis ornabantur.

2) A. C.

2.) A. C. KÜHNII *analecta ad hiſtoriam inſecto-rum.* P. II. Suadet ligna vernice obducere et ſic ſubtiliora inſecta capere. Dein narrat, Aphides ſaepe a veſpis extingui, atque erucam in capſa, aſa foetida et ſulphure plena, non ſolum vixiſſe, verum etiam metamorphoſin ſubiiſſe. Caeterum depinguntur et deſcribuntur nonnullae phalaenae, inter quas, quae Tab. I. f. 7. depicta eſt, *Ph. deraſa* L. eſſe videtur. Deniquе aſperguntur Hufnagelianis tabulis nonnullae obſeruationes. p. 10.

3.) I. A. E. GOEZE *de ape cribaria (Sphex cribaria* L.) Recenſitis iis, qui cribrum in hoc animali aſſumebant, et emendatis ROLANDERI atque confirmatis et correctis DEGEERII obſeruationibus, ad ipſam huius inſecti naturalem hiſtoriam tranſit. Habitat haec Sphex in muris veteribus, femina caret omnino lamella cribriformi; lamella cribriformis in maribus non cribri munere fungitur, quod et ſitus partis conuexae ſuperior et lamina non perforata demonſtrat. Namque haec lamina conſtat ex duplici membrana, quarum externa conuexa cornea punctis pellucidis et pilis ornatur, interna vero ſubtilior eſt atque vno, ſed longo pilo gaudet. Pori corneae laminae habent figuram variam et magnitudinem diuerſam, quemadmodum in ſubtiliori membrana ramificationes occurrunt. Denique narrat Cl. Auctor, pollen parti concauae immiſſum non tranſiiſſe et confirmat DEGEERII ſententiam, has lamellas inſectis datas eſſe ad coitus exercitium. Quibus quaedam de inſectorum partibus genitalibus adiungit. p. 21. p. 47.

4.) F. C. GÜNTHER *de nido et ouis Loxiae curviroſtrae.* Profundus nidus ex ramis pini et ſphagno arboreo conſtans, interne lichene emollitus p. 66.

menſe Ianuario in alta pinu reperiebatur, atque in eodem oua ſtriis atque corona in obtuſa oui parte, quae ex nigro rubris punctis componebatur, condecorata.

p. 76. 5.) I. E. I. WALCH deſcribit duas *Aſteriae* ſpecies pertinentes ad fiſſas, vndecim et quatuordecim radiis praeditas.

p. 80. 6.) G. A. GRÜNDLER *deſcriptio duarum terebratularum, ſ. Anomiarum* LINN. *in quibus animalia obueniebant.* Similia ſunt animalia iis, quae PENNANTVS iam deſcripſit*), ſed icones melius pictae.

p. 87. 7.) G. F. PACIVS *de methodo, ſecundum quam aues et mammalia minora commode refarciantur.* Interna cutis ſuperficies et pedes externi inungantur ſolutione ex arſenici albi, vitrioli Cyprii et aluminis crudi vncia vna, vel interna ſuperficies conſpergatur puluere ex myrrha, aloë, pipere, abſinthio et ſale. Aues optime et facillime interficiuntur, ſi pulmones compreſſeris.

p. 90. 8.) I. F. GMELIN *de plantis ſponte inter cerealia agrorum Sueuiae creſcentibus earumque vſu.* Diuiſione harum plantarum in vniuerſum ſecundum ordines naturales facta, graminum ſpecies primum pertractat. Singulam plantam deſcribit, atque praeter iconem ſemper neceſſaria de vſu medico et oeconomico notat.

p. 126. 9.) I. E. I. WALCH *de circulis concentricis in conchyliis petrefactis.* Reperiuntur tales circuli concentrici plerumque in maris petrefactis, quibus eſt

*) In nov. act. Vpſal. Vol. I. vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 191.

eſt ſuperficies glabra, partim in externa ſuperficie, partim inter ipſas lamellas in lapide calcareo. Corrigit et examinat Cl. Auctor aliorum opiniones atque proponit propriam, qua contendit vermes ex inteſtinorum et molluſcorum genere commutari in tales concentricos circulos. Attamen hanc ſuam ſententiam non ab omni dubio liberam iudicat, immo eidem ipſe obiicit nonnulla, eandemque erudito orbi diiudicandam relinquit.

10.) EIVSD. *obſeruationes lithologicae.* Pars II. Teſtudinem petrefactam recenſet et inquirit, cur tam raro perfectae reperiantur. Petrefactum Oſtracionis in terra calcarea deſcribit, porro petrefactum animalis, quod ad monoculos pertinere videtur. Caeterum de ortu corallitarum atque de ammonitis et belemnitis regionis Altorfinae habet. p. 149.

11.) I. S. SCHROETER *de ammonitis regionis Vinarienſis.* Reperiuntur in terra calcarea et mox in omni ſuperficie, mox modo in primo gyro tuberculis obteguntur, vel quoque glabram habent ſuperficiem. Praeterea conſtituit claſſes, atque rariora exempla deſcribit. p. 169.

Verſiones:

12.) FELTONI *deſcriptio veſpae crinitae et cicadae foliatae* ex Philoſ. Tranſ. Vol. LIV.

13.) COLLINSON *de Gryllis Americae ſeptentrionalis:* ex iisdem.

14.) WATSON *de daſypo nouemcincto;* ex iisd.

15.) GINNANI *de ratione, qua quaedam conchae roſtro nutrimentum capiant:* ex EI. oper. poſthum. T. II.

16.) MAZE'AS *de terra aluminari Tolfenſi:* ex Mém. préſ.

P. III. In tertia parte obueniunt hi tractatus:

p. 1. 1.) A. C. KÜHN *Analecta ad inſectorum hiſtoriam. Pars tertia.* Deſcribuntur nonnullae phalaenae atque potiſſimum vna, quae numerum 30 in alis depictum habet, et quaedam erucae. In tomento cydoniae inueniebat in ſingulari domicilio laruam aphidiuoram haud dubie cuiusdam coccionellae. Diſputat ceteroquin de optima methodo, ſecundum quam inſecta ad alios mittamus, de maribus inſectis feminis obſcurioribus atque de inſectis hybridis.

p. 28. 2.) I. A. E. GOEZE *de vermibus, qui diſſecti rurſus creſcunt et perfecta animalia referunt.* Ampla praefatione finita, ad proprias obſeruationes progrediens narrat, ſe, *Naide elingui* MÜLL. diſſecta, vidiſſe ſubſtantiam globularem prodeuntem, in qua propagationis vim ſuſpicatur, atque adeo ſpontaneam ſeparationem. Denique, praeter plura alia experimenta, nutritionem et incrementum horum vermium explicat.

p. 55. 3.) I. G. F. MEINECKE *obſeruationes entomologicae.* Exponit primum de inſectis, quae collectionibus corporum naturalium labem inferant, inter quae inprimis *Ptinus fur, Dermeſtes lardarius, D. Pellio, Termes pulſatorium et T. fatidicum* nominantur. Coleoptera omnium optime in vini ſpiritu

ſpiritu interficiuntur ita, vt poſtea ab aliis inſectis non aggrediantur, quod tamen haud verum eſſe cognouimus. Nonnulla inſecta maſculina ex Sphingum et Papilionum familiis in collectionibus ab oleo, quod ex eorum corpore exſudat, corrumpuntur.

4.) F. C. GÜNTHERI *deſcriptio terebratulae ſtriatae ex collectione Sereniſſimi Principis de Rudolſtadt.* p. 83.

5.) I. E. I. WALCH *de terebratulis.* Bona ex variis Auctoribus compilatio. p. 87.

6.) DE HÜPSCH *deſcriptio Talpae adhuc incognitae.* Eſt *Talpa* coloris cinerei ſplendentis, ſtriis latis cinereo luteis abdominalibus. Videtur Auctori ſpecies noua. p. 98.

7.) I. F. GMELIN *de plantis, inter cerealia agrorum Sueuiae ſponte creſcentibus. Pars ſecunda.* Egregia ſuſcepti laboris continuatio. p. 103.

8.) I. C. MEINEKE *lithographica et mineralogica deſcriptio regionis Oberwiederſtedt in comitatu Mansfeldenſi.* Indicatis terrae et lapidum poſitionibus et progreſſubus, enumerat ſollicite terras, lapides, mineras et petrefacta huius regionis. p. 127.

9.) I. E. I. WALCH *de arenae origine.* Refutata ea opinione, qua aſſumitur, arenam ex magnis quarzi particulis rotatione in minores lapillos mutatis fieri atque oriri, ſuam proponit opinionem, qua contendit, arenam tanquam particulas ex terra ſiliceа compoſitas ex maris et fluuiorum aqua praecipitari, et in ipſo praecipitationis actu ex conuentu p. 156.

plurium particularum in globulos mox minores regulares, mox maiores irregulares increſcere.

p. 178. 10.) DE HÜPSCH deſcribit nonnulla petrefacta animalium, quae in Antwerpia detexit.

p. 184. 11.) I. E. I. WALCH *de pholadibus regni lapidei.* Diuiſionibus et deſcriptionibus harum petrefactarum conſtitutis de veſtigiis illis, quae lapidibus imprimunt, de regionibus et matricibus, in quibus reperiuntur, erudite diſſerit.

p. 209. 12.) EIVSD. *obſeruationes lithologicae. Pars tertia.* Encrinites LANGII ſingularis et perfectiſſimus deſcribitur ipſique encrinitae ad claſſes reducuntur; dein vero cochlites depreſſus commemoratur.

p. 218. 13.) G. A. GRÜNDLER *de ouis lacertarum lumen ſpargentibus.* Lumen augebatur, ſimul ac motus vel frictio accedebat.

In hac parte hae verſiones et excerpta inueniuntur.

p. 222. 14.) Excerptum ex GINANNI *opere de nonnullis maris Adriatici corporibus.*

15.) HVNTER *de elephantum oſſibus in America repertis.*

16.) LAVOISIER *de gypſi ſolutione.*

17.) DEGEERIVS *de inſectis in genere.*

XVI.

XVI.

IACOBI THEODORI KLEIN naturalis diſpoſitio echinodermatum. Acceſſerunt lucubratiuncula de aculeis echinorum marinorum et ſpicilegium de Belemnitis. Edita et deſcriptionibus nouisque inuentis et ſynonymis auctorum aucta a NATHANAELE GODOFREDO LESKE, Prof. Hiſt. Natur. et Oeconom. Lipſ. Cum LIV. tabulis aeneis. Lipſiae, in officina Gleditſchiana. MDCCLXXVIII. 1 Alph. 15. plag. 4.

item:

NATHANAELIS GODOFREDI LESKE additamenta ad IACOBI THEODORI KLEINII naturalem diſpoſitionem echinodermatum et lucubratiunculam de aculeis echinorum marinorum. Cum XVIII. tabulis aeneis. ibid. eod. 1 Alph. 7 plag. 4.

Duplici hoc titulo conſultum eſt iis potiſſimum, qui primam KLEINII editionem iam poſſident. Cum enim Cl. LESKE promiſiſſet KLEINII dictis recentiorum obſeruata et vberiores deſcriptiones addere: protinus vidit aut intacta eſſe reliquenda KLEINII verba, aut plane fere mutanda; quod cum iniuſtum duceret, priorem rationem elegit, atque deſcriptiones, ſynonyma et obſeruata novasque ſpecies et ipſi Kleinianae diſpoſitioni ſubiuncta, et ſeparatim additamentorum nomine propoſuit. In ipſa KLEINII diſpoſitione, margini appoſita nomina Linnaeana et terminorum KLEINII cum Linnaeanis comparationem additam reperimus. In additamentis ſuis ſpecierum verarum defi-

finitionem primum reſpexit, ideoque ſynonyma ex pluribus quam centum et triginta libris collegit, ipſa ſpecimina ex muſeis plurimis, itinere Ienam, Winariam et Rudolſtadium, vbi inprimis Clementia Sereniſſimi Principis FRIDERICI CAROLI A SCHWARZBVRG RVDOLSTADT, cui etiam librum ſuum dicauit, adiutus fuit, inſtituto, deſcribere curatius, atque ex litteris Cl. O. F. MÜLLERI et VAN PHELSVM obſeruata de animali echinorum proferre operam dedit. In genere ideo quidem KLEINII diſpoſitionem eſt ſecutus: in quibusdam tamen ab Eodem receſſit, quod ex tabula ſynoptica, quam deinde cum Lectoribus communicabimus, facilius patebit. Multas ideo ſpecies nouas conſtituit, alias ad varietates retulit, charactêres ſpecificos indicauit, multaque dubia certiora reddidit, in ſynonymis colligendis ſuisque locis ea tribuendis, deſcriptionibus et iconibus aliorum caſtigandis omnem operam impendit. Icones ſunt partim ipſae Kleinianae tabulae partim nouae, quas omnes etiam viuis coloribus illuſtrari curauit, ex quibus illae, quas vidimus, et arti et naturae conveniunt. Conſilium Cl. VAN PHELSVM, Echinorum teſtas ſingulas et ſpinis munitas, et iis orbas colligendas eſſe, omnibus, quibus hiſtoria Echinorum curae cordique eſt et Auctor, et nos commendamus.

Praefationem ſequitur catalogus librorum, quibus vſus eſt Noſter: tum tabula ſynoptica. Cum tanta ſit Echinorum diuerſitas: optimum putat Cl. Auctor, *Echinos* tanquam ordinem, qui medius ſit inter molluſca et teſtacea, exhibere. Itaque

Ordo:

Ordo: ECHINVS.

Genus I. *Cidaris*, ad quam pertinent *Echini regulares ano verticali*, LINN.

Spec. 1. *C. eſculenta*, ſeu *E. eſculentus*, LINN. eiusdemque quatuor varietates.

2. *C. ſaxatilis*. MÜLL. *Zool. Dan. prodr.* n. 2847. teſta minori, vertice magis depreſſo, duabus in ſingula area tuberculorum reliquis maiorum ſeriebus, ambulacris anguſtioribus, cuius varietas *Cidaris* BASTERI *opuſc. ſubc.* III. p. 111. Tab. XIX. 1 – 8.

3. *C. hemiſphaerica*, KLEIN. depreſſa, ambitu circulari, eminentiis minoribus et crebrioribus, ore pentagono angulis obtuſis. p. 90.

4. *C. anguloſa* KLEIN. cinereo violacea: cum *var. minori*. p. 92.

5. *Cidarites excauatus*, nouus, Tab. XLIV. f. 3. 4. eſt forte LANGII *Ech. rotularis* hiſt. lap. fig. p. 124. t. 35.

6. *C. Diadema*, ſ. *E. diadema* LINN. Spinae eius ſunt 2 – 6 digitorum, bruno nigrae, ſuperficie annulato ſerrata: depicta Tab. XXXVII. f. 1. 2. L l. g. 1. g. 2. eiusque varietas Tab. XLVI. 1. teſta magis depreſſa, leuiter circa verticem anguloſa, ambulacris biporoſis: quae tamen nobis parum vel nihil a priori differre, atque potius prior icon Tab. XXXVII. f. 1. ex deliciis Knorrianis mutuata, negligentior facta eſſe videtur. LINNAEI deſcriptio in *muſeo Lud. Vlr.* minus eſt bona: nec pertinet huc a LINNAEO in Syſt. nat. citata KLEINII icon. Subiunctae ſunt tres ex SEBAE *theſ.* varietates, quas Cl. VAN PHELSVM ſpecies exiſtimat. p. 100.

7. *C. ouarius* eſt LANG. hiſt. lap. fig. p. 124. *Echinites ouarius*.

8. *Cidarites ſubangularis* (KLEIN. Tab. III. f. C. D) a nemine Auctorum deſcripta eſt; Noſter tamen duo accepit ſpecimina, quae iconi optime conuenirent. Synonyma KLEINII et LINNAEI falſa.

9. *C. feneſtrata* (T. IV. A. B.): ſpecimen, quod Auctor vidit, differt a KLEINII, ore paruo. Spinis munitum exemplar, Tab. XXXIX. f. 3. traditur.

10. *C. Lucunter*, ſeu *E. Lucunter* LINN. differt a congeneribus, teſtae ambitu ouali, baſi pulvinata, ore ampliore, eminentiis maioribus, quarum in magnis areis, vbi eaedem maximae, ſeries ſex, in minoribus quinque, et in ſingulis duae ſeries maxima tubercula habent.

p. 111. 11. *C. rupeſtris*, ſeu *E. ſaxatilis* LINN. ambitu teſtae ſubellyptico, ambulacrorum poris arcuatis, arcubus in baſi obliquis, propius a vertice magis erectis: eminentiis mediae magnitudinis, rarioribus. Spinae eius ſunt rigidae, brunae, apice violaceae.

12. *C. calamaris*, a Cl. PALLAS Spic. Zool. faſc. X. p 31 deſcriptus; hic deſcriptio et icon T XLV. f. 1 – 4 repetitur.

13. *C. araneiformis*. SEB. III. t. XIII. f. 6.

14. *C. ſtellata*, SEB. III. t. XIII. f. 2.

15. *C. radiata*, *ib.* t. XIV. f. 1. 2. hic T. XLIV. f. 1. depicta.

p. 117. 16. *C. violacea*, quae eſt *E. atratus* LINN. teſtae ambitu ſuborbiculari, hemiſphaerico; areis 10. tuberculis varioloſis; ambulacris ſat latis, excauatis, poris in 4 ordines longitudinales diſpoſitis: ſpinis et clauatis, et apice angulatis, et cylindricis. Tab. XLVII. 1. 2. delineata traditur. A LINNAEO citata nomina RVMPHII et SEBAE ſunt ab hac ſpecie aliena:

KLEI-

KLEINII autem verſionem Gallicam recte commemorat.

17. *Cidarites circinnatus*, T. XLV. f. 10. depictus, qui et a BREYN. *echin.* p. 55. t. 1. f. 3. 4. proponitur.

18. *Cidaris mammillata*, ſ. *E. mammillatus* LINN. Eius tamen deſcriptio in Muſ. L. V. minus conuenit.

19. *C. papillata*, ſeu *Echinus Cidaris* LINN. cuius tres varietates ſtatuit Auctor, quarum etiam icones addit. Sic etiam a Cl. DE LVC nouiſſime detectum Echiniten *), cuius ſpinae *lapides* ſic dictos *Iudaicos* exhibent, tab. XLVI. f. 2. 3. depictus eſt, demonſtraturque IMPERATI primum fuiſſe, qui lapidibus Iudaicis verum locum tribueret.

20. *C. coronalis*, KLEIN. Tab. VIII. A. B. quae deſcriptione noua, a Cl. VAN PHELSVM cum Auctore communicata, illuſtratur.

*Cidaris corollaris* KLEINII Noſtro videtur nucleus *Cidaris ſaxatilis*: vti et *C. aſterizans* KLEIN. petrefacta *C. rupeſtris*.

*Cidarem aſſulatam* KLEINII, T. VIII. f. G. neque *Brontiam fauogineum* OLEARII ſiſtere, neque omnino ad *Cidares*, ſed potius ad *Galeas* pertinere Noſter demonſtrat. Igitur exemplar veri Brontiae, quod in muſeo Celſiſſimi Principis FRIDERICI CAROLI A SCHWARZBVRG RVDOLSTADT reperitur, depictum et deſcriptum tradit: eſt illud nucleus etiam *Galeae* ſ. *Echinocorytae*, vt videtur, cellulis tetragonis et hexagonis impreſſis diſtinctum. Originem eiusdem ita explicat Auctor: in Echinite cauo interna aſſularum ſuperficies cry-ſtallis

*) *Mém. préſent.* IV. p. 467.

ſtallis ſpatoſis pyramidalibus tetraëdris obſeſſa fuit: deinde maſſa quarzea ſoluta hunc nucleum expleuit atque latera cryſtallorum obduxit; baſis autem repleta fuit maſſa minus ſoluta et lapidem corneum formauit. Teſta Echini calcarea et cryſtallis calcareis ſolutis, nucleus quarzeus cellulis impreſſis remanſit.

21. *C. Sardica.* KLEIN. T. IX. A. B.

22. *C. flammea.* T. X. A. oliuaceo viridis, ambulacris pororum paribus ternis.

23. *C. variegata.* T. X. B. C. areis mediis rubris, a latere viridibus, ambulacris viridi albeſcentibus.

24. *C. puſtuloſa*, Tab. XI. A. B. C. D.

25. *C. granulata*, quae eadem cum *E. globulo* LINNAEI videtur, T. XI. E F.

26. *Cidarites teſſellatus*, T. XI. G minoribus tuberculis, ore minori, figura depreſſa.

27. *C. Botryoides*, T. XI. H.

28. *C. toreumatica*, T. X. D E ſuperficie arearum impreſſa, ſcabra, ambulacris biporoſis. Eius ſpeciei petrefactum exemplar Tab. XLIV. depingitur.

p. 157. Genus II. *Clypeus.*

29. *Cl. ſinuatus*, T. XII. ambulacris latis transverſe ſtriatis, margine punctis impreſſis.

30. *Cl. hemiſphaericus* LANG. l. c. p. 119. Echiniten Noſter poſſidet, e quo coniicit, hanc ſpeciem ad *Echinocorytas* eſſe referendam.

31. *Cl. ſlabiatus* WALCH. delic. nat. II. Tab. E. III. f. 4. *dubia ſpecies.*

32. *Cl. conoideus*, ſuperficie ſuperiore fere recta, ambitu ſubrotundo: ambulacris 10, ſtriis transuerſis vtrinque poroſis.

Gen.

Gen. III. *Echinites* Noſtri, ſ. *Conulus* KLEIN. p. 161.

33. *E. albogalerus.* T. XIII. A. B.

34. *E. depreſſus*, areis 10, maioribus ſutura media diuiſis, non aſſulatis; ambulacris 10 biporoſis, vertice depreſſo, ambitu orbiculari, ore mediocri, 10ſinuato, ano magno ouato. Tab. XL. 5. 6.

35. *E. vulgaris:* pertinet huc *Globulus*, *Nodus*, et *Bulla* KLEINII.

36. *E. quaterfaſciatus.* T. XLVII. 3. 4. 5.

37. *E. 6faſciatus.* T. L. 1. 2.

38. *E. Subuculus.* T. XIV. l. m. n. o.

Gen. IV. *Echinoneus*, qui a Cl. VAN PHELSVM eſt conſtitutus (*Egelſchuitje*): peripheria ouata vel ouali, ambulacris 10, biporoſis. p. 173.

39. *E. cycloſtomus.* T. XXXVII. 4. 5. ano oblongo, ori vicino.

40. *E. minor ore ſemilunari.*

*E. ſcutiformis* SCILL. tab. XI. f. 1. 2. eſt ſpecies dubia.

Gen. V. *Echinocorys.* *Galea* et *Galeola* KLEIN. p. 175.

41. *E. ſcutatus*, conuexo ouatus. T. XV. A. B.

42. *E. ouatus*, ſ. Galea Wagrica vertice nudo KLEIN.

43. *E. puſtuloſus.* KLEINII icon T. XVI. A. B. nucleum tantum exhibet: Cl. Auctor Echinocoryten teſta inſtructum deſcribit.

44. *E. quaterradiatus* MELLII, ſpecies dubia. T. LIV. f. 1.

45. *E. minor*, ſ. Galeola KLEIN.

Gen. VI. *Echinanthus* ſ. Scutum KLEIN. p. 185.

46. *E. humilis.* T. XVII–XIX.

47. *E. altus*, T. LIII. 4. Differt a priori, altitudine maiori, vertice elato, orbiculari, ambulacris latioribus, apice conuergentibus granulatis. Petrefactus tantum occurrit. An non potius varietas prioris?

48. *E. ouatus*, ſ. Scutum ouatum KLEIN. Tab. XX. a. b. c. d. XVIII. C. D. Species dubia *E. orbiculatus*, ex WALCH. delic. nat. II. tab. E. III. f. 3. huc transfertur.

p. 193. Gen. VII. *Echinodiſcus*, ſeu Placenta KLEIN.

49. *E. bisperforatus*. T. XXI. A. B.

50. *E. 5perforatus*. T. XXI. C. D.

51. *E. 6perforatus*. T. L. 3. 4. Solo fere numero foraminum hae ſpecies differunt.

52. *E. emarginatus*. T. L. 5. 6. foraminibus marginem attingentibus, inciſurasque formantibus, peripheria ſubpentagona, ambulacris petaloideis ouatis, ano ouali, ab ore remoto.

53. *E. auritus*. SEB. III. t. XV. 1. 2.

54. *E. inauritus*. Omnis ſuperficies minimis granulis, et ambulacra poris plurimis obſidentur. Numerum granulorum maiorum 36000 ſuperare, granulorum minorum certe quadruplum, niſi plus, adeſſe, ideoque totam teſtam 144000 granulis, totidemque ſpinis inſtructam eſſe oſtenditur.

55. *E. 4perforatus*, foraminibus et duobus ſinubus ſimul coniungit ſinuatos cum perforatis.

56. *E. Laganum*, teſta integra, non perforata, ambulacris petaloideis, ſubtiliſſime ſtriatis, vertice prominentiori, ano circulari, margini vicino. T. XXII. a. b. c.

57. *E. ſubrotundus*. T. XLVII. 7. petrefactus.

58. *E. reticulatus* ſ. *Echinus reticulatus* LINN. T. XLV. 8. 9.

59. *E.*

59. *E. orbicularis*, margine integerrimo, ambulacris oualibus acutis, ore rotundo. Eſt *E. orbiculus var.* δ LINN. T. XLV. f. 6. 7.

60. *E. roſaceus.* Tab. XL. 4.

61. *E. 10digitatus.* T. XXII. A. B.

62. *E. 8digitatus:* teſta binis canalibus inſtructa, aſſulata, aſſulis conuexis, vertice vmbilicato, colore cinereo albicante. T. XXII. C. D.

63. *E. dentatus.* T. XXII. E. F. cum var. minori Tab. XLIX. 6. 7.

Gen. VIII. *Echinocyamus*, Cl. VAN PHELSVM, cui ſunt ambulacra decem e vertice radiis rectis biporoſis ſtellata: os et anus vicina in baſeos media parte. Huius generis Noſter cum Cl. VAN PHELSVM quatuordecim ſpecies conſtituit, earumque deſcriptiones ſubiungit; cum tamen forma et habitu multum inter ſe conueniant, trium ſpecierum tantum, quas ipſe vidit, icones addidit: nos priorum nomina, harum definitiones ſubiungamus:

64. *Echinocyamus nucleus ceraſi*, ſuperficie globoſa, circumferentia orbiculari, baſi anguſtata, medio applanata, lateribus ſulcatis, petalis puluinatis, vertice excentrico. T. XLVIII. 2 a — 2 e.

65. *E. vertice centrali.*

66. *E. eruum.*

67. *E. craniolaris*, ſuperficie anterius globoſa, poſtice ſubquinquangulari, puluinata, decliui, circumferentia ellyptica, baſi ſubanguſtata, lateribus ſulcatis, petalis puluinatis, vertice excentrico. T. XLVIII. 3 a — 3 e. eſt idem cum *Echino minuto* PALL. Spic. Zool. X. T. I. f. 24.

*E. tur-*

*E. Turcicus*, *E. vicia*, et *ouatus*, a Noſtro varietates ſpec. 68. habentur.

68. *E. Lathyrus*, ſuperficie ac baſi puluinatis, circumferentia ouali, lateribus vix ſulcatis, petalis puluinatis, vertice fere centrali. Tab. XLVIII. 1 a — 1 e.

69. *E. equinus*.

70. *E. anguloſus*, quem etiam Cl. PALLAS Spic. Zool. IX. T. I. f. 25. iam propoſuit.

71. *E. oualis*, ſuperficie ac baſi puluinatis, circumferentia obtuſe ouali; lateribus vix ſulcatis, petalis applanatis, vertice prominulo centrali. T. XXXVII. 6.

72. *E. inaequalis*.

*E. cor raninum* et ſpec. 14. *E. Paddehort* Cl. VAN PHELSVM Noſtro videntur varietates ſpeciei 71.

Genus IX. *Echinarachnius*, ſ. Arachnoides KLEIN.

Gen. X. *Spatangus:* quo nomine *Spatangum*, *Spatagoidem*, *Briſſum* et *Briſſoidem* KLEINII coniungit Cl. Auctor: conueniunt enim animalia, tentaculis penicillatis inſtructa, quibus animal lente mouetur: in interioribus eiusdem ſimplex craſſum inteſtinum, excrementis plenum: dentibus, quibus Echini reliqui inſtruuntur, caret, et veſci videtur vegetabilibus marinis. Kleiniana nomina generica Noſtro familias ſuppeditant.

Fam. I. *Spatangi cordati, vertice ſulcati.*

73. *S. cor anguinum*, cuius tres varietates aſſumuntur

1. *Anglicum.* T. XXIII. C. D. XXIII. C.

2. *ſul-*

2. *ſulcis criſpis.* T. XLV. 12.

3. *Noruagicum.* T. XXIII. A B. E. F.

74. *Spatangus lacunoſus*, ſ. *E. lacunoſus* LINN. praeter ſynonyma, quorum pleraque falſa. T. XXIII. A. T. XXIV. a. b. T. XXVII. A.

75. *S. puſillus.* T. XXIV. c. d. e. T. XXXVIII. 5.

Fam. II. *Spatangi cordati, vertice non ſulcati.*

76. *S. ſtriatoradiatus.* T. XXV.

77. *S. purpureus*, teſta purpurea flaueſcente, ouato cordata, ambulacris quaternis petaloideis lanceolatis, tuberculis maioribus, in ziczac poſitis; ſpinis acicularibus incuruis albis. T. XLIII. 3. 4. 5. T. XLV. 5. vid. Cl. MÜLL. Zool. Dan. prodr. no. 2850. et Zool. Dan. icon. I. t. VI.

78. *S. depreſſus*, petrefactus. T. LI. 1. 2.

79. *S. ſubgloboſus*, teſta cordato rotunda, vtrinque conuexa ſubgloboſa, aſſulata, ambulacris denis, ſtriato biporoſis, ano ouato. T. LIV. 2. 3.

80. *S. Ananchytis*, quem Cl. KLEINIVS minus recte Cidari ſubmiſit: ouato cordatus, conicus, baſi excauata, teſta aſſulata, areis decem, ambulacris biporoſis in areis minoribus ad os vſque extenſis. Tab. LIII. 1. 2.

81. *S. bicordatus*, petrefactus. T. XLVII. 6.

82. *S. carinatus*, etiam petrefactus. T. LI. 2. 3.

Fam. III. *Briſſi.* p. 246.

83. *Spatangus Briſſus*, figura gibba, ouata, ambulacris quaternis, depreſſis, faſcia ſingulari a reliqua teſtae parte ſeparata. Eſt *E. ſpatagus* LINN. ſ. *Spatagus flaueſcens* MÜLL. Zool. Dan. prodr. 2849. Quatuor eius ſunt varietates.

Fam. IV. *Briſſoides.*

84. *S. Briſſoides.* Tab. XXVII. B.

85. *S. ouatus*, teſta ouata conuexa, altiore, ambulacris biporoſis, ore lato reniformi. Tab. XLIX. 12. 13.

86. *Spatangus* . . . KLEIN. §. 108. β. T. XXIV. f. g.

87. *Spatangites* . . . KLEIN. §. 103. T. XXIV. h. i. Has duas ſpecies Cl. Auctor non vidit.

88. *S. oualis* *). T. XLI. f. 5., cuius ambulacra ex duobus verticibus oriuntur, quod etiam in ſpecie 83. et 84 obtinet.

His ſubiungit Cl. LESKE petrefacta quaedam *Echini*, quibus certum locum tribuere non audet, quae tamen medium forte genus conſtituant inter Echinanthum et Spatangum. Cum illo enim ſitu et ſtructura oris, cum hoc ani ſitu conueniunt: ſunt ea dicta

89. *Echinites pyriformis.* Tab. LI. 5. 6. et Tab. XLIV. 7.

90. *E. lapis Cancri.* T. XLIX. 10. 11.

91. *E. patellaris.* T. LIII. 5. 6. 7. teſta maxime depreſſa, ambulacris ſtellae formam imitantibus.

Spec. 46, quam ſupra omiſimus, eſt noua, petrefacta, inter *Echinocorytas* et *Briſſos* media, Tab. XLIV. fig. 5 depicta.

Ex quibus quidem ordo et ſpecierum numerus ſatis patet. Praemiſit Noſter autem harum ſpecierum deſcriptioni diſquiſitionem generici characteris, atque Auctorum definitiones, et diuiſiones horum animalium recenſet. Sic BREYNII, DAVILAE, VAN PHELSVM et O. F. MÜLLERI diſpoſitiones indicat. Addidit etiam ad *lucubratiunculam*

*) vid. Act. Helv. Vol. IV. p. 275. comm. noſtr. Vol. XI. p. 313.

*lam de aculeis echinorum* ſynonyma Auctorum, eorumque de partibus Echini deſcriptiones, vti etiam notabiliores aculeorum, a KLEINIO praetermiſſorum, formas, iconibus quoque illuſtratas. E quibus omnibus, quoniam ad perfectiorem huius libri cognitionem ipſum legiſſe opus eſt, ea tantum breuiter repetamus, quae de animali *Echini* ex PLANCO et aliis proponit: animal conſtare videtur canali cylindrico, cui tres ventriculi dati ſunt; circa anum quinque ſunt foramina ad oua excludenda deſtinata: inter inteſtina loca vacua, aqua marina repleta reperiuntur: haec ſtructura icone Tab. LIV. f. 4. illuſtratur. *Echini* cruſtaceis veſcuntur: *Spatangus* autem fucis et muco. Cl. O. F. MÜLLERVS haec animalia hermaphrodita putat: in fine p. 260. enim ouariorum materiam albeſcentem, cremori ſimilem, effluentem inuenit, quae forte eſt loco ſpermatis virilis.

Etſi REAVMVRIVS propoſuit, Echinos ſpinis, tanquam pedibus, ingredi: diligentibus tamen IANI PLANCI obſeruationibus, et teſtimoniis MÜLLERI et VAN PHELSVM ſatis probatum eſt, *Echinos* et *Spatangos* ſolis tentaculis ingredi, ſpinis autem corpus in hanc vel illam partem dirigere.

De ſtructura teſtae haec ſubiungit Noſter. Omnes huius ordinis ſpecies teſtam offerunt in decem areas, pauciſſimis forte exceptis, diuiſam, quae ambulacris totidem a ſe inuicem, vel integrae, vel dimidia ex parte ſeparantur. Hae areae ſemper ſutura longitudinali ſerrata, plus minusque euidenti, ſemper autem praeſente, in duas partes diuiduntur, atque iterum ſuturis rectis vel arcuatis in aſſulas variae figurae et magnitudinis, vel pentagonas, vel hexagonas, vel heptagonas, vel tetragonas trapezias, partiuntur.

## XVII.

## Noua phyſico medica.

Pariſina Societas Regia medica quaeſtionem propoſuit: *Quaenam ſit optima methodus hydrophobiam ſanandi?* Cuius reſolutio ante 1. Nouembris 1779. ad Cl. VICQ D'AZYR, qui Societati a ſecretis eſt, transmittatur. Praemium erunt ſexcentae librae.

*Berolinenſis* Societas Phyſica, cuius inſtituti alibi *) mentionem fecimus, die 7 Ianuarii 1777. quaeſtionem propoſuit: *Quid in uniuerſum illud epidemicum ſit in proprie ſic dictis epidemiis* atque ex miſſis elaborationibus illi praemium viginti numorum aureorum Hollandicorum adiudicauit, quae dicto hoc: *morborum quoque te cauſſas et ſigna docebo:* inſcripta et latino ſermone elaborata erat. Cuius auctor fuit Cl. PETRVS CAMPERVS, qui autem id ipſum recuſauit praemium, et Societati iterum tradidit, vt denuo diſtribuatur. Quapropter Societas has iam cum viris eruditis communicauit quaeſtiones: *Quamdiu materia contagioſa luis bouinae maneat maligna atque periculoſa? Quamdiu lues iſta in corpore latitare ſoleat? Quaenam remedia praeſeruatiua eo tempore, quo infectum quidem eſt animal, nondum tamen aegrotare incepit, commode propinari poſſint?* Tractatus ſuper iſta re ante feſtum Ioannis 1781. ad Cl. OTTO, a ſecretis Societatis, Germanice, Gallice vel Latine ſcripti, ſolutis vectigalibus, ſunt mittendi.

Cll. Viri DVMANGIN et BACCHER operis periodici *Journal de medécine* cet. **), cui praefuit b. ROVX, in poſterum curam gerunt.

Inter

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 142.
**) v. ib. p. 395.

Inter ſodales externos ſocietatis Regiae ſcientiarum *Gottingenſis* ſunt recepti Cll. CLAS ALTSTRÖMER, THORBERN BERGMANN, PETRVS IONAS BERGIVS *).

Experientiſſimi Viri, CAROLVS PETRVS THVNBERG botanices demonſtrator, I. M. REFLELIVS, primarius, et D. LEWEN ſecundus Regii Collegii Medici Syndicus, ſunt denominati et conſtituti *Vpſaliae*.

*Ibidem* Cl. AND. IAH. RETZIVS, Profeſſor cum munere hiſtoriam naturalem publice docendi eſt factus.

Cl. IOANNES HARTMANN, Profeſſor medicinae Aboenſis inter membra Ordinis Regii Waſani eſt receptus.

Cll. Viris BLVMENBACHIO et GMELINO *Gottingae* profeſſiones medicinae ordinariae ſunt demandatae.

Cl. PLOVCQVET profeſſio medicinae *Tubingae* eſt tradita.

Cl. I. F. WEISSERBORN *Erfordiae* medicinae et artis obſtetriciae profeſſor eſt deſignatus.

Cll. CHRISTIANVS EHRHARD KAPP, FRIDERICVS ANDREAS GALLISCH et CHRISTIANVS FRIDERICVS LVDWIG inter ſodales ſocietatis oeconomicae *Lipſienſis* ſunt recepti.



*) v. comm. noſtr. ſecund. decad. indic. tripl.

Experientiſſimus CHRISTOPHORVS FRIDERICVS WEBER in arte veterinaria clarus annorum 38 aetate die 2 Nouembris 1778 *Dresdae* vitam cum morte commutauit.

Cl. IOANNES ERNESTVS IMMANVEL WALCH, eloquentiae et poëſeos ordinarius profeſſor, facultatis philoſophicae ſenior et variarum Academiarum et Societatum Socius cet. hiſtoriae naturalis amicus indefeſſus *), malo hypochondriaco per aliquot annos praegreſſo, febre inflammatoria et ſpaſticis colicis inſultibus ſuccubuit *Ienae* die 1 Decembris 1778 annorum aetate 53, 3 menſium et 1 diei.

Cl. FRIDERICVS IOSEPHVS GVILIELMVS SCHROEDER **), Medicinae Doctor et Profeſſor Marburgenſis 45 aetatis anno obiit.

IOSEPHVS II. Imperator Auſtriae Auguſtiſſimus ſat inſignem librorum ab ALBERTO DE HALLER relictorum collectionem pro decem millium thalerorum ſumma coëmit eosque Mediolanum transmiſit. Clementiſſime vero permiſit Experientiſſimo TRIBOLET, cui bibliothecae practicae atque phyſiologicae perficiendae ac finiendae cura erat tradita, eos libros, qui ad haec opera redintegranda requiruntur, reſeruare.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 161. et 365. v. ſupra p. 700. v. Vol. XXIII. p. 45. vbi diarii: *naturae indagator*, quod edidit, ſumma eſt tradita.

**) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 368. Vol. XIII. p. 289. Vol. XX. p. 112.

XVIII.

## Continuatio indicis phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1774 prodierunt.

B*emerkungen auf einer Reiſe nach der Levante. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt und mit einigen erläuternden Anmerkungen begleitet von* CHRIST. WILH. DOHM. *Leipzig.* 8. (Auctor huius itinerarii dicitur Liber Baro DE RIEDESEL, qui ſcripſit: *remarques d' un voyageur moderne au Levant.* à Amſterdam 1773. 8. min. Translatoris annotationes cernuntur in additamentis, emendationibus, illuſtrationibus et comparationibus recentiorum relationum cum veteribus. Inter ea, quae potiſſimum ad nos ſpectant, ſunt quaedam coniecturae de peſte, quae Noſtro potius haereditaria, quam contagioſa videtur. Immedicabile eam nominare malum, quoniam non mederi poteſt, et contagioſum, quoniam fuga ſe liberant homines, valde noxium iudicat Noſter. Quod ſi enim peſtis ita contagioſa eſſet, vti dicitur, Turcae, adeo circa eius contagium reprimendum negligentes, omnes mortui eſſent.)

L'inoculation. Ode par Mr. DORAT. à Paris. 8.

Mémoire pour préſerver les bêtes à cornes de la maladie Epizootique, qui régne dans la généralité de Soiſſons. Par Mr. DVFOL, Médecin, Penſionnaire du Roi et de la ville de Soiſſons etc. à Soiſſons et à Paris. 8.

Hiſtoire de la chirurgie depuis ſon origine iusqu'à nos iours. Par Mr. DVIARDIN. Tom. I. à Paris. 4.

IO. DVCK V. DICK.

Traité de la main morte. Par DVNOD, à Paris. 4.

Mémoire ſur les moyens de reconnoitre les contrecoups dans les corps humain et d'en prévenir les ſuites. Seconde edition. Par Mr. DVVERGE. à Tours et à Paris. 8.

I. L. EBEL *Abhandlung vom deutſchen Indig.*

*Kurze Unterweiſung in den Anfangsgründen der Naturlehre von* IO. IACOB EBERT. *Leipzig.* 8. (Liber ob perſpicuitatem breuitatemque fini ſuo accommodatiſſimus.)

I. G. EISEN *vom glücklichen Fortgang, den das Einäugeln der Kinderpocken in Liefland gehabt habe. Riga.* 8.

De la connoiſſance et du traitement des maladies principalement des aiguës; Ouvrage fondé ſur l' obſervation traduit du latin de Mr. ELLER. Par Mr. I. AGATHANGE LE ROY. à Paris. 12. (*Latine ſcriptum librum* v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 431.)

WILHELM ELLIS *Landwirthſchaft. Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipzig.* 2 *Theile.* 8.

An hiſtorical account of Coffee with an engraving and botanical deſcription of the tree. To which are added ſundry papers relative to its cultur and use as also an article of diet and of commerce. By JOHN ELLIS. Lond. 4. c. f. (Germanica huius libri verſio vna cum Cl. LETTSON ſcripto de Thea hoc ipſo anno in variis aucta et emendata prodiit.)

C. C. ENGEL diſſ. inaug. de explicandis generalioribus veſicantium effectibus eorumque ſpeciali in inflammationibus vſu. Halae. 4.

IO. CHRIST. POLYCARPVS ERXLEBEN *phyſikaliſche Bibliothek. Göttingen.* 8. Auctor huius libri eſt nunc defunctus, qui, ex veri ſtudio et feruore erga phyſicam, omni perſonarum auctoritate poſthabita, iudicia de libris phyſicis et excerpta

cerpta breuia notatu dignarum rerum, adiunctis etiam nouis litterariis, edere coepit. Atque laudandum eſt omnino hoc inſtitutum, in quo tamen ſaepe vberiorem epitomen ex libris pretioſis et diariis eruditis deſideres. Dolendum eſt morte Auctoris interruptam eſſe ſequentium partium ſeriem: atque optandum, vt vir doctus cum eadem ſtudii aſſiduitate huius libri continuationem ſuſcipiat.

C. E. ESCHENBACH M. D. progr. punctum medico legale ad infanticidium ſpectans. Roſtock. 4.

IO. FRID. ESPER *von Zoolithen.* vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 325. (Hic liber quoque in Francogallicam linguam eſt translatus a Cl. I. FRID. ISENFLAM et Norimbergae anno 1774 prodiit in folio cum 74 iconibus pictis.)

P. C. FABRICII methodus cadauera humana rite ſecandi edit: ſecund. auct. Hal. et Helmſt. 8.

Obſervations and experiments on the poiſon of coper. By WILLIAM FALCONER. Lond. 8.

A treatiſe on the venereal diſeaſe in three parts illuſtrated with copper plates II. Edit. By N. D. FALK. Lond. 8. (*Primo traditur anatomica et phyſiologica deſcriptio partium genitalium in vtroque ſexu; deinde in cauſſas variorum graduum venerei morbi inquiritur; denique vera et rationalis medendi ratio ſuppeditatur.*)

A deſcription of Patagonia, and the adjoining Parts of Southamerica: containing an account of the ſoil, produce, animals; vales, mountains, rivers, lakes, etc. of thoſe countries; the religion, gouvernment, policy, cuſtoms, dreſſ, arms, and language of the indian inhabitants; and ſome particulars relating to Falkland's Islands. By THOMAS FALKNER, who reſided near

forty years in thoſe parts. Illuſtrated with a new map of the Southern parts of America, engraved by Mr. Kitchin, Hydrograph to his Majeſty. 4. (*Noſtra refert animalis deſcriptio, quod amphibium dicitur, et inhabitat fluuii Parauanae littus. Auctor dicit hoc nunquam ab Europaeis deſcriptum eſſe, Indis dicitur* Yaguaru; *magnitudine aſini, lutrae figura, breuibus et craſſis pedibus: Hiſpani id dicunt acuto naſo, inſtar lupi, erectis auribus: an Tapir* BVFF.? *Aliud animal ex ruminantibus, cornubus deſtitutum,* anta *dictum. Noua ſpecies* ſambuci.)

SAMVEL FARR aphoriſmi de maraſmo. Altenburg. 8. (*Iam mentionem fecimus huius ſecundae editionis, dum primam indicaremus* v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 547.)

ANTON. FEDERICI, Presbyt. Auxenanae Dioeceſ. elucubratio optico phyſica de cauſa mechanica praecipuarum luminis proprietatum. Romae. 8.

B. I. B. FELS diſſ. inaug. de glandulis conglobatis.

IO. IAC. FERBERS *Beyträge zu der Mineralgeſchichte von Böhmen. Berlin.* 8. *m. K.*

EIVSD. *Beſchreibung des Queckſilberbergwercks zu Idria.* v. ſupra p. 156.

WILLIAMS FORDYCE'S *Unterſuchung der Urſachen, Zufälle und Heilung der faulen etc. Fieber.* vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 596.

RVDOLPH FORSTEN diſſ. quaeſtiones ſelectas phyſiologicas exhibens. L. B. 4.

Viaggio in Dalmazia dell' Abate ALBERTO FORTIS Vol. I. et II. In Venezia. 4. c. f.

Cours d'hippiatrique, ou traité complet de la médecine des chevaux par Mr. DE LA FOSSE. à Paris. fol. mai. c. f. (Non ſuperuacaneum arbitramur huius profecto elegantis et pretioſi operis, quod cum magna admiratione vidimus, ſummam

ſummam ſaltem breuiter indicare. Tractatur nempe in eo anatomia equi accuratiſſime et pariter pathología. Cl. DE LA FOSSE a patre in arte veterinaria admodum clarus ita educatus eſt, vt a puero huic rei ſeruiret bene ad eandem praeparatus. In oſteologia multa habet de dentibus eorumque mutationibus ſecundum aetatis diuerſitatem. Myologia, quae nobis potiſſimum placuit, admodum curioſe hic eſt tractata, et ſic quoque chondrologia, ſyndesmologia, angiologia, neurologia, ſplanchnologia cet. reperiuntur. Ex pathologicis notamus aſcarides vermiculares, qui in vna extremitate tria habere capita ſeu eminentias dicuntur, inter quae os reperitur, porro aegagropilas, quae ex pilis, membranis, aliisque ſunt conflatae, faſciolas hepaticas in ductu choledocho cet. Icones ſunt procul dubio elegantiſſimae et optimae.

Les enfans élevés dans l'ordre de la nature, ou abrégé de l'hiſtoire naturelle des enfans du premier age à l'uſage des peres et meres de famille. Par. Mr. DE FOVRCROY. à Paris. 12.

Recherches pratiques ſur les maladies vénériennes. P. I. I. GARDANE. (*Noua editio. Primam v. comm. noſtr. dec. II. ſuppl. III. p.* 519.)

EIVSDEM avis au peuple ſur les asphyxies ou morts apparentes et ſubites, contenant les moyens de les prévenir et d'y remedier, avec la deſcription d'une nouvelle boete fumigatoire portative. à Paris. 12.

EIVSD. le ſecret de SVTTONS v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 135.

H. D. GAVBII inſtitutiones pathologiae. L. B. 8.

An examination of Mr. HENRY's ſtricture on GLASS's magneſia. By THOMAS GLASS M. D. Lond. 8.

S. G. GMELIN *Reiſe durch Rußland 2ter und 3ter Theil* v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 303.

An hiſtory of the earth and animated nature. By OLIVER GOLDSMITH. Lond. 8. (*Liber compilatus, praeter hypotheſes nihil noui continet.*)

Della medecina traumatica per MICHEL ANGE GRIMA, Dottore di Medicina. Piſ. 4.

C. G. GRVNER analecta ad antiquitates medicas v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 336.

EIVSDEM morborum antiquitates collegit ex optimis quibusque autoribus recenſuit et ſuo quemvis morbum loco collocandum curauit. Vratislav. 8.

EIVSDEM variolarum antiquitates ab Arabibus ſolis repetendae. Ien. 8.

EIVSDEM diſſ. de cauſis impotentiae in ſexu potiori ex doctrina HIPPOCRATIS veterumque medicorum. ib. 4.

EIVSDEM progr. de daemoniacis a CHRISTO ſoſpitatore percuratis. ib. 4.

IO. GOTTLOB HAASE diſſ. inaug. de vnguine articulari eiusque vitiis Reſp. *Io. Aug. Caemmerer.* Lipſ. 4.

A. DE HAEN rationes medendi continuatae. Tom. II. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 615.

ALB. DE HALLER bibliotheca chirurgica Tom. I. II. Bern. et Baſil. 4. v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 503.

EIVSDEM bibliotheca anatomica Tom. I. Tiguri 4.

A. A. HAMBERGERS *allgemeine Experimental-Naturlehre auf eigene Erfahrung und Vernunftſchlüſſe gegründet. 1ter Theil.* 8. *m. K.*

P. I. HARTMANN diſſ de IOANNIS LANGII medici olim celeberrimi ſtudiis botanicis. Francof. ad Viadr. 4.

An account of the late Dr. GOLDSCHMITH'S Illneſſ; so far as relates to the exhibition of Dr.

IAME'S

IAME'S powders: together with remarks on the uſe and abuſe of powerful medicines in the beginning of acute diſeaſes. By WILLIAM HAWER. 4. Lond.

HAWKESWORTH'S *Nachricht von Reiſen etc. aus dem Engliſchen von* IOHANN FRIEDRICH SCHILLER. *Berlin.* 4 mai. (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 463.)

P. IOSEPH HERBERT diſſ. de aquae aliorumque fluidorum elaſticitate. Vienn. 8.

MARCI HERZ diſſ. de varia naturae energia in morbis acutis et chronicis. Hal. 4.

HEVRLIN de aqua (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 162).

IO. VAN HEVSDE diſſ. inaug. de diureticorum vſu et abuſu. L. B. 4.

WILLIAM HEWSON'S experimental Inquirees Part. I. et II. Lond. 8. 2 Edit. (*Quas inquiſitiones proxime recenſebimus.*)

CHRIST. GOTTLOB HEYNE elogium RVDOLPHI AVGVSTINI VOGEL. Gotting. 4.

Horti Malabarici Pars Ima. Auctore IO. HILL. (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 152.)

G. C. HINDERER de geranio Robertiano. Gieſae. 4.

L. E. HIRSCHEL *Gedanken die Heilungsart der fallenden Sucht betreffend. Nebſt einem Anhang von einigen gegen die Würmer dienlichen Mitteln. Mietau.* 8. 3*te Auflage.*

Rational recreations in which the principles of numbers and natural philoſophy are clearly and copiously elucidated by a ſeries of eaſy entertaining intereſting experiments; among which are all thoſe commonly performed with the cards. By W. HOOPER. Lond. 8. c. f.

IO. CHRIST. HVHN diſſ. obſ. nonnullas medico chirurgicas in India Orientali collectas ſiſtens. Erlang. 4.

GVIL. HVNTER anatomia vteri humani grauidi tabulis illuſtrata. Lond. fol. mai.

Voyages metallurgiques ou recherches et obſervations ſur les mines et forges de fer, la fabrication de l' acier, celle du fer blanc, et pluſieurs mines de charbon de terre, faites depuis l'année 1757. iuſques et compris 1769. en Allemagne, Suide, Norwege, Angleterre et Ecoſſe. Suivies d'un Mémoire ſur la circulation de l'air dans les mines et d' une notice de la Iurisprudence des mines de charbon, dans le pays de Liege, la Province de Limbourg et le Comté de Namur. Avec figures par feu Mr. IARS. Publiés par M. G. IARS a Lyon. 4.

IAC. FRID. ISENFLAMM diſſ. inaug. de muſculorum pathologia Reſp. *Io. Iacob. Weiſſ.* Erlang. 4.

EIVSD. *Verſuch einiger practiſchen Anmerkungen über die Nerven zur Erläuterung verſchiedener Krankheiten derſelben, vornemlich hypochondriſch und hyſteriſcher Zufälle.* ib. 8.

A treatiſe on childbed fevers, and on the methods of preventing them, to which are prefixed two diſſertations, the one on the brain and nerves etc. the other on the ſympathy of the nerves and of differents kinds of irritability. By THOMAS KIRKLAND M. D. Lond. 8.

IO. RVDOLPH KLINKE diſſ. inaug. de diplopia. Gotting. 4.

F. W. KNAVBLER examen fontis mineralis ſoterii Roisdorfienſis prope Bonnam. Duisburg. 4.

ANTON. KOEHLER diſſ. de partu fetus mortui aeque facili, ac viui. Erford. 4.

IO. DIETR. ARNOLD KREVEL de aſthmate. Hal. 4.

IO. GOTTLOB KRÜGERS *Naturlehre 4ter Theil. Halle.* 8.

IO.

IO. GEORGE KRÜNITZ *das Weſentlichſte der Bienengeſchichte und Bienenzucht für den Naturliebhaber, Landmann und Gelehrten. Berlin.* 8. *m. K.* (Tractatus hic etiam magno operi *Oeconomiſche Encyklopedie* EIVSD. inſertus, et in vſum eorum, qui illo carent, ſeparatim editus eſt.)

* * KVESTER diſſ. de rubefacientium et veſicantium vſu in variolis. Erford. 4.

A chemico medical diſſertation on Mercury etc. with obſervations on the vſe and abuſe thereof in venereal diſorders etc. By I. L. L. ***. M. D. Lond. 8. (*Annititur Auctor noua praeparata mercurii inuenire, validiora notis nec ſaliuationem creantia. Fauſta Eius conamina dicuntur, impeditus tamen eſt, quo minus iam inuenta ſua detegeret. Sed quaedam tantum proponit cogitata, vt alii inuitentur ad ipſam inquiſitionem.*)

Ephemerides des mouvemens celeſtes pour le meridien de Paris. Tom. VII. contenant les dix années de 1775 -- 1784. revues et publiées par Mr. DE LA LANDE. à Paris. 4.

EIVSD. connoiſſance de temps pour l'année commune 1775. Publiée par l'ordre de l'Academie Royale des Sciences. ib. 8.

I. H. LANGE miſcellae veritates de medicis cet. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 133.

EIVSD. *der Arzt für alle Menſchen, ein mediciniſches Handbuch.* ib. 8.

CLAVD. HILAR. LAVRENT diſſ. inaug. de vſu et abuſu inſtrumentorum in arte obſtetricia. Argentor. 4.

Opuſcules phyſiques et chymiques Tom. I. et II. par Mr. LAVOISIER. à Paris. 8 mai.

* * LEGER diſſ. mutatis moribus Pariſinorum mutataque medicinae theoria rarior venaeſectio. Reſp. *I. M. de Fraſne.* Pariſ. 4.

L. F. B. LENTIN *Beobachtungen einiger Krankheiten. Göttingen.* 8.

IOH. LEPECHINS *Tagebuch der Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs in den Jahren* 1768 *und* 1769. *Aus dem Ruſſiſchen überſetzt von* M. CHRIST. HEINR. HASE, *Paſtor zu Stadt Sulze.* I *Theil.* (Hoc itinerarium per varias Regni Ruſſici partes collectum eodem anno Petropoli cum tabulis aeneis Ruſſica lingua prodiit et locuples eſt optimis obſeruationibus rerum naturam ſpectantibus, quarum nos potiores alio tempore referemus.)

NATHANAEL GODOFR. LESKE ichthyologia vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 347.

Medical memoirs of the general diſpenſary for part of years 1773 and 1774. By ION COAKLEY LETTSON. Lond. 8.

HENR. PALMAT. LEVELING diſſ. de cranii militis quondam venerei poſtea epileptici tandem apoplexia defuncti. Ingolſtad. 4. c. fig.

PAVL CHRIST. LINKE diſſ. de hellebori nigri atque praeſertim viridis vſu medico. Hal. 4.

IDEM de noxis ex potu. Lipſ. 4.

An eſſay on the moſt effectual means of preſerving the health of ſeamen in the Royal navy cet. By LIND. (*v. comm. noſtr. Vol. hoc p.* 340.)

B. VAN LINDEN diſſ. inaug. de immodica mentis exercitatione. L. B. 4.

I. S. LINDINGER de Ebraeorum veterum arte medica, de daemone et daemoniacis. Serveſt et Vitebergae. 8.

CAROLI A LINNÉ genera morborum cet. (*vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 341.)

EIVSD. ſyſtema vegetabilium per MVRRAY. (*vid. ib. Vol. XX. p.* 620.)

EIVSD. diſſ. de planta cimicifuga Reſp. *Io. Harnberg.* Vpſal. 4. c. f.

CAROLI

CAROLI A LINNE' diſſ. de eſca auium domeſticarum Reſp. *Pet. Holmberger.* Vpſal. 4.
EIVSD. diſſ. de maro. Reſp. *G. Dahlgren.* ib. 4.
EIVSD. diſſ. de viola ipecacuanha Reſp. *Daniel Wickmann.* ib. 4.
Traité ſur les virus chancereux, ou l'on deueloppe les cauſes, qui concourrent a determiner ſa nature, ſes effets dans ſes differens degrés et la maniere de le prevenir et de le combattre, avec un traitement particulier ſur les tumeurs ſquirrheuſes chancreuſes de tous les viſceres internes, mais ſur tout des tubercules de poumon, Par Mr. DVPRE de L'ISLE. à Paris. 12. Voll. 2.
IO. FRID. LOBSTEIN diſſ. de liene (*v. comm. noſtr. Vol. hoc* p. 37.)
EIVSD. diſſ. de calculis veſicae vrinariae cyſticis Reſp. *Io. Godofr. Phaehl.* Argentor. 4.
I. S. LOEVEN diſſ. de homine quatenus eſt machina. Duisburg. 4.
The electrical Philoſopher containing a new ſyſtem of phyſics founded upon the principle of an uniuerſal plenum of elementary fire etc. To which is ſubjoined a Poſtſcript. By R. LOVETT. Lond. 8.
I. C. LÜDECKS *Verſuch einer Naturgeſchichte der alten Mark. Berlin.* 8.
EIVSD. *Altmarkiſches Magazin.* ib. 8. (Laudatur hic liber propter res ad rem domeſticam et cognitionem naturae vtiliſſimas.)
CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG inſtitutiones medicinae forenſis. Ed. IIda curante D. ERNESTO GOTTLOB BOSE. Lipſ. 8.
CHRIST. LVDWIG diſſ. inaug. de hydrope cerebri puerorum. ib. 4.
LYSONS *practiſche Abhandlungen.* (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 723 ſeqq.)

D. MACBRIDE introductio methodica in theoriam et praxin medicam ex Anglica lingua in latinam conuertit I. F. CLOSSINA. Trai. ad Rhen. 8. Voll. II. (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 430.)

Recueil des diſſertations phyſico chymiques, preſentées a differentes Academies. Par Mr. DE MACHY. à Paris. 8.

FRID. HEINR. WILH. MARTINI *allgemeine Geſchichte der Natur, mit vielen Kupfern. 1ter Theil. bis Alaun. Berlin und Stettin.* 8.

I. MARX obſ. med. P. I. (*v. ſupra p.* 122.)

IO. FRID. MAYERS *vierte Fortſetzung der Beyträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Land- und Hauswirthſchaft nach Grundſätzen der Naturlehre und der Erfahrung entworfen. Frankf. am Mayn.* 8. (Nonnulla bona et vtilia verborum inutilium et opinionum naturae ſaepe repugnantium farragine abſcondita.)

IO. CHRIST. FRID. IMMAN. MAYER diſſ. de affectibus grauidarum. Hal. 4.

CARL GOTTLOB MEIER diſſ. de carice arenaria ſ. ſaſſaparilla Germanica. Breſt. 4.

Obſeruationum electrico medicarum in collegio electrico, quod condidit ADAM FRIDERICVS Princeps prima ſemicenturia theorematum de venaeſectione et purgantibus, quam Praeſ. HENR. MEINOLPH propugnandam ſuſcepit IO. MATTHAEVS ERNST. Herbipoli. 8.

C. I. MELLIN *Auszüge aus den beſten mediciniſchen Probeſchriften der vorigen Jahrhunderte. Altenburg.* 8. 2 *Theile.*

I. D. METZGER aduerſaria medico practica, vid. ſupra p. 455.

Traité de médécine theorique et pratique extrait des ouvrages de Mr. DE BORDEV avec des remarques cet. Par Mr. DE MINVIELLE. à Paris. 12.

** MIT-

* * MITTERBACHERS *kurzgefaſste Naturgeſchichte der Erdkugel zum Behuf der Vorleſungen. Wien.* 8. (Compendium diligenter ſcriptum.)

F. W. DE MONCHY diſſ. inaug. de medico optimo naturae et obſeruatore et imitatore. L. B. 4.

G. H. MOERY diſſ. inaug. de actione mercurii in corpus humanum ſalubri et noxia. Duisburg. 4.

IO. GOTTFR. MORGENBESSER *Abhandlung von der Nothwendigkeit des Zufühlens. Breslau.* 4.

OTH. FRID. MÜLLER vermium cet. hiſtoria (*vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 18.)

PHIL. LVDW. STAT. MÜLLER *vollſtändiges Naturſyſtem des* LINNAEI. (v. ib. Vol. XX. p. 28.)

*Pennantiſche Zoologie von* P. MVRR *überſetzt. Augsburg.* 8. (v. ib. Vol. XIX. p. 334.)

IO. ANDR. MVRRAY *medeciniſch practiſche Bibliothek. Erſter Band. Göttingen.* 8.

N. I. DE NECKER phyſiologia muſcorum per examen analyticum de corporibus variis naturalibus inter ſe collatis continuitatem proximamue animalis cum vegetabili concatenationem indicantibus. Manhem. 8. c. fig. (*Nouis, at plerisque fictis opinionibus ornatus liber. Quaedam de hac re v. comm. noſtr. IIIiae decad. Suppl. I. p.* 3 *ſqq.*)

G. NIEROP de contagio varioloſo (*v. ib. Vol. XX. p.* 304.)

I. E. NEVBAVER Progr. de triplici nympharum ordine. Ien. 4. c. f.

GEORG. GOTTL. OFFTERDINGER *Anleitung für das Landvolk in Abſicht auf ſeine Geſundheit oder Fortſetzung der Heilungsart derjenigen hitzigen und geheim gehaltenen Krankheiten, welche von Herrn* TISSOT *nicht ausgeführet worden. Zürich.* 8.

R. C. F. OPITZ *Geſchichte ſeiner im Vaterlande, dem Fürſtenthum Minden angefangenen und mit dem glücklichſten Erfolge eingeführten Einpfropfung der Kinderblattern. Minden.* 8.

PALLAS *Reiſe durchs Ruſſiſche Reich* (vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 288. et 562.)

EIVSD. *Naturgeſchichte merkwürdiger Thiere etc. 4te Sammlung. Berlin und Stralſund.* 4. (v. ib. Vol. XV. p. 491.)

HENR. FELIX PAVLIZKY diſſ. de ſulphuris antimonii aurati extractione reſpectu terrae foliatae tartari inde oriunda optima. Hal. 4.

Traité des maladies chirurgicales cet. Par PETIT. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 486.)

I. C. PETRI diſſ. med. chir. ſiſtens tentamina quaedam circa generationem puris. Argentorat. 4.

Diſſertation Academique ſur le cancer, couronnée de l'Academie des ſciences et belles lettres de Lyon. Par Mr. PEYRILHE, Doct. en Médécine à Paris. 4. (*Latino ſermone a Cl. Auctore hic liber cum viris eruditis eſt communicatus, cuius ſummam non multum ante tradidimus.* vid. p. 689.)

I. G. PFVHLER diſſ. de calculis veſicae vrinariae cyſticis. Argentor. 4.

IO. GOTTFR. PIETSCHENS *Geſchichte practiſcher Fälle von Gicht und Podagra. Halle.* 4.

IOS. IAC. PLENK *Lehrſätze der practiſchen Wundarzneywiſſenſchaft zum Gebrauch ſeiner Zuhörer. Erſter Theil. Wien.* 8.

F. I. POCK diſſ. de aquis medicatis purgantibus. Viennae. 8.

IO. CHPH. POHLE progr. de fomite varioloſo. Lipſ. 4.

H. D. PONTY diſſ. inaug. de morbis ex perſpiratione ſuppreſſa oriundis. L. B. 4.

PRISTLEY on different kinds of air (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 123 *ſeqq.*)

QVARIN methodus medendarum febrium (*v. ib. Vol. XIX. p.* 96.)

WILH. VAN REES de ſudoriferorum moderamine. Trai. ad Rhen. 4.

ERN. SAMVEL REINIGER diſſ. inaug. de prole parentum culpas luente. Lipſ. 4.

CHRIST. FRID. REVSS compendium botanices (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 672.*)

AVG. GOTTL. RICHTERS *chirurgiſche Bibliothek 2ten Bandes 4tes Stück. Göttingen.* 8.

C. H. A ROG diſſ. inaug. de ſcolioſi. L. B. 4.

EBERH. ROSENBLAD diſſ. med. de tympanite inteſtinali. Reſp. *Laur. Chr. Tingſtadius.* Londin. Goth. 4.

VON ROSENSTEIN *von Kinderkrankheiten* v. ſup. p. 185.

VON ROSNAY *Naturlehre für das ſchöne Geſchlecht. Leipzig.* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 565.)

*Beyträge zur practiſchen Arzneywiſſenſchaft bey dem Krankenbette gemacht von* IOHANN IMMANVEL ROTHART. *Gotha.* 8.

ROTTBOEL deſcriptiones et icones plantarum (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 228.*)

Tableau de l' analyſe chimique ou procedés du cours de chimie de Mr. ROVELLE. à Paris. 12.

Journal de medecine cet. Par Mr. ROVX. Tom. XLI. et XLII. (*v. ſupra p. 476.*)

Obſervations ſur la phyſique cet. Par Mr. ROZIER. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 272 et ſupra p. 581.*)

EIVSD. traité ſur la meilleure maniere de cultiver la navette et le colſat et d' extraire une huile depouillée de ſon mauvais gout et de ſon odeur deſagreable. à Paris. 8.

G. P. RÜLING ordinum naturalium plantarum commentatio botanica. Gotting. 4.

IAC. CHRIST. GOTTL. SCHAEFER diſſ. de magneſia. Argent. 4.

AVG. SCHARSCHMIDS *Verzeichniß der Arzneymittel. (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 263.*

I. W. SCHROEDERS *völlig eröfnete Alchemie oder höhere Naturwiſſenſchaft in einer deutlichen Anweiſung. Caſſel.* 8.

SCHROEDER *von der Würkung der Eicheln* (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 636.)

*Vollſtändige Einleitung in die Kenntniß und Geſchichte der Steine und Verſteinerungen von* IO. SAMVEL SCHROETER. *Erſter Theil. Altenburg.* 4. (Maxima ex parte collectus liber, nec tamen diligenter vbique, nec naturae conuenienter, vt opinioni Auctoris vix ſaepe ſubſcribendum ſit.)

GEORG. CHPH. SCHMIDT *Beſchreibung einer Elektriſirmaſchine und deren Gebrauch. Iena.* 4 *mai. m. K.*

SCHMVCKER *chirurgiſche Wahrnehmungen* (v. com. noſtr. Vol. XXI. p. 472.)

SCHÜTT diſſ. de viribus arnicae (*v. ib. p.* 624.)

IO. GEORGE FRID. SCHVLZE diſſ. de ſaponibus. Gotting. 4.

SELIG *vom Salpeter.* (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 261. et ſupra p. 379.)

ADAM ANDR. SENFFT elementa phyſiologiae pathologicae ad lectiones accommodata. Vol. I. 8.

IOS. MART. SÜDLER DE ROSENECK diſſ. inaug. de butyro medicato. Trai. ad Rhen. 4 mai.

GEORG. FRIDR. SIGWART diſſ. inaug. an ſub partu humano etiam naturali emoueantur innominata adeo peluis oſſa Reſp. *Sept. Chriſt. Gottl. Seeger.* Tubing. 4.

Obſervations on Dr. WILLIAMS treatiſe upon the gout. By DANIEL SMITH. Lond. 8.

Nature ſtudied with a view to preſerve and reſtore health etc. With an account of a moſt powerful and ſafe deobſtruent medecine etc. By WILLIAM SMITH. Lond. 8.

IAC. REINB. SPIELMANN inſtitutiones materiae medicae praelectionibus academicis accommodatae. Argent. 8.

JAC. REINB. SPIELMANN diſſ. ſiſtens examen de compoſitione et vſu argillae. Reſp. *Io. Frid. Moſeder.* ib 4.

M. IO. GOTTL. STEGMANN *kurze Beſchreibung einer Saug- und Druckpumpe, wie beyde angewendet und gebraucht werden zu einer Bruſt - und Milchpumpe, verſchiedenen Arten von Spritzen, Schröpf- und Rauchtobacksklyſtierinſtruments: nebſt einer Anzeige eines beſondern Rauchtobacksklyſtierinſtruments. Caſſel.* 8. *m. K.*

JOH. STEIDELE *Unterricht für die Hebammen. Wien.* 8.

G. W. STEINS *Beſchreibung eines Baromacrometers und Cephalometers als nützlicher Werkzeuge in der Entbindungskunſt. Caſſel.* 4. *m. K.*

CAROL. FERD. SVADICANI diſſ. inaug. de remediis praecipuis ad hernias incarceratas. Götting. 4.

SVLZER *Verſuch einer Naturgeſchichte des Hamſters.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 361.)

An abridgement of Bar. VAN SWIETEN Commentaries upon the Aphorismen of the celebrated Dr. HERM. BOERHAAVE. Vol. I. et II. Lond. 8.

TRAVG. CHRIST. TAVBNERS diſſ. de morbis generalioribus ex vſitatiſſimis potulentis. Hal. 4.

THAER diſſ. de actione ſyſtematis neruoſi in febribus (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 532.)

TICHY diſſ. inaug. de arenulis in lotio adparentibus (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 727.)

S. A. D. TISSOT *Anleitung für den gemeinen Mann in Städten und auf dem Lande. Neue Auflage. Petersburg.* 8.

J. K. TODE *vom Tripper in Anſehung ſeiner Natur und Geſchichte. Kopenhagen und Leipzig.* 8.

Amoenitatum Roswaldenſium leuis adumbratio. Auctore B. L. TRALLES. Vratislav. 8.

DAN. WILH. TRILLER clinotechnia medica antiquaria ſeu de diuerſis aegrotorum lectis ſecundum

ipſa varia morborum genera conuenienter inſtruendis commentarius medico criticus cum indice rerum memorabilium locupletiſſimo. Francf. et Lipſ. 4.

GEORG. CHRIST. VFENDORFER diſſ. inaug. ſiſtens experimenta nonnulla et obſeruationes de bile. Argentor. 4.

Hiſtoire des maladies internes. Par Mr. RAYMOND DE VIEVSSENS. Ouvrage poſthume. Tom. I. à Toulouſe. 4.

Manuel ſecret et analyſe des remedes de M. SVTTON pour l' inoculation de la petite verole. Par Mr. DE VILLIERS. à Paris. 8.

R. A. VOGEL materia medica. Editio noua correctior et emendatior. Franc. et Lipſ. 8.

An account of the teſticles their common coverings and coats and the diſeaſes to which they are liable. With Method of treating them. By IOS. WARNER F. R. S. Lond. 8.

Eſſai ſur les jardins. Par Mr. WATELET. à Paris. 8 mai.

FRID. AVG. WEBER diſſ. inaug. de ſignis ex ſputo. Gotting. 4.

TH. THEOD. WEICHARD Epiſt. gratulat. de ſuccedaneorum Coffeae inueniendorum regulis. Lipſ. 4.

*Vom Nutzen der Chymie insbeſondere in Abſicht auf Pommern betrachtet. Eine Antrittsrede von* CHR. EHRENFR. WEIGEL. *Greifswalde.* 4.

IO. NIC. WEISSER ſpec. inaug. de ſanguinis in pulmonibus condenſatione haud defendenda. Hal. 4.

FRID. GVIL. WEISSENBORN diſſ. de pupilla nimis coarctata vel clauſa. Erford. 4.

FRID. WILHELM WEIS *Betrachtung über die nutzbare Einrichtung academiſcher Vorleſungen in der Botanik. Göttingen.* 4.

FRID.

FRID. AVG. WEITZ *neue Auszüge aus Diſſertationen für Wundärzte. Zweyter Band. Francf. und Leipzig.* 4.

EIVSD. *Churſächſiſcher Landphyſicus. Eine mediciniſche phyſikaliſche Monatsſchrift zum Beſten des Landmanns, des Hauswirths und jeder anderer unmediciniſchen Leſer. Naumburg.* 8 mai.

WENZEL *Einleitung zur höhern Chymie* (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 257.)

WERNER *von den Kennzeichen der Foſſilien* (v. ibid. Vol. XXI. p. 66.)

ANDR. WESTPHAL progr. de ſymptomatibus tabis pulmonalis non ſemper ab exulceratione pulmonum oriundis. Gryphiswald. 4.

I. L. WIEGLEBS *Verſuche über die alkaliſche Salze* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 223.)

FRID. LVDW. WIGAND alloquium epiſtolare, quo inſtitutum ſuum de obſeruationibus et hiſtoriis morborum acidularum Wildungenſium vſu curandorum colligendis atque edendis aperit et medicos rogat, vt obſeruationes ſuas ſecum communicare velint. 8.

C. B. WILL diſſ. inaug. de tumoribus capitis. Argentorat. 4.

PHILIPP LVDWIG WITTWER diſſ. inaug. ſiſtens ideam diſpenſatorii noſtris temporibus accommodati. ib. 4.

IO. SIGISM. A WOGAV de fame naturali et praeter naturam aucta. Ien. 4.

IO. GVILIELM. GODOFR. ZANDER. de aphthis. Duisburg. 4.

IO. FRID. ZÜCKERT *vom Meinberger Mineralwaſſer in einem Sendſchreiben an den Herrn* D. IOHANN ERHARD TRAMPEL. *Lemgo.* 4.

---

## Contenta in hac parte.

I. Obſervations et mémoires ſur la phyſique par Mr. ROZIER. Tom. II. p. 579
II. HAMILTON campi Phlegraei. 600
III. ZIMMERMANN zoologia geographica 607
IV. CARTHEVSER *mineralogiſche Abhandlungen 2ter Theil* 631
V. BRÜCKMANN *von Edelſteinen* 637
VI. *Kenntniß derjenigen Pflanzen, die Mahlern und Färbern zum Nutzen ſind* 643
VII. SANTORINI XVII. tabulae anatomicae cet. per GIRARDI 645
VIII. MAYER *von Blutgefäßen des menſchlichen Körpers* 657
IX. Noui commentarii Petropolitani Tom XIX. 660
X. BVCHHOLZ *chemiſche Verſuche über antiſeptiſche Subſtanzen* 673
XI. FORSTEN de cantharidibus 675
XII. A ſafe and eaſy remedy propoſed for the relief of the ſtone cet. By HVLME 681
XIII. Caſes in ſurgery particulary of cancers cet. By HILL 685
XIV. PEYRILHE de cancro 689
XV. MVRRAY de lue venerea 695
XVI. *Der Naturforſcher I—IIItes Stück* 700
XVII. KLEIN echinodermata per LESKE 711
XVIII. Noua phyſico medica 724
XIX. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1774 prodierunt 727

---

INDEX.

# INDEX.

## A.

Abdominalium viſcerum ſitus et ratio praeternaturalis 501
Abdominis tumor ſingularis infantum recens natorum, eius cauſſa et curatio 68
*Abhandlungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit von einer Geſellſchaft von Aerzten in Hamburg* 131
*Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen* etc. *2ter Band* 52
Abortus, eum arcendi ratio et remedia 92 ſq.
Abrotani virtus medica 356
Abſceſſus ad aurem ſanatus 500. hepatis et ventriculi a vermibus perforati curatio 238 ſq.
Acanthurus, nouum piſcium genus 505. 510
Acerina piſcis deſcriptus 668
Aceto deſtillato num cuprum aut ſtannum inſit, modus detegendi 23
Acetoſellae ſal, eſſentiale, cum eo experimentum 595
Achates, quid ſit? 641. eius formatio 257 ſq. vbi reperiatur 254. 257 ſq.
Acida, eorum actio in bilem humanam 43 ſq. mineralia et vegetabilia, de eorum natura 31
Acidum vniuerſale an et quatenus detur? 56. aëreum, quid ſit? 388. eius qualitates ib. id obtinendi modi ib. de eo obſeruata ib. ſqq. aëreum vniuerſale negatur 29. nitroſum, eius geneſeos experimentis explicatae expoſitioni praemium conſtitutum 165. pingue, eius vſus in corporibus vniendis et defendendis 587 ſq. 594. tartari, de eius cum creta et quibusdam calcibus metallorum, connubio obſeruata 217 ſq.
Acta Heluetica Vol. VIII 537
Actiniae character genericus et ſpecies quaedam 514
Adamas, de eo obſeruata 640. de eius deſtructione in vaſis clauſis experimenta chemica 199 ſq. cum eo inſtituta experimenta electrica 490
Adenia, nouum plantarum genus 530
Aegypti deſcriptio geographico-phyſica 520 ſqq. plantae, de iis obſeruata 522 ſq. earum ordines 523. morbi eorumque remedia ib. ſq.
Aër, vaporibus peſtiferis infectus eum purificandi modus 589. fixus, quid ſit? 388. eum obtinendi modus triplex ib. 682. eius qualitates acidae 388. de eius natura acida obſeruata et experimenta ib. ſqq. de eius grauitate, ortu et natura monita 590. eius in aquis quibusdam mineralibus

ralibus differentia et effe-
ctus 224 ſq. in clyſmatibus adhibiti vſus in febre puerperarum 85. vſus internus in calculis renum 682. in ſcorbuto 683. in podagra, febre lenta et vermibus 684
Aerua, nouum plantarum genus 532
Aeſculus hippocaſtanum, de eius vi febrifuga experimenta 674
Aether nitroſus, eum deſtillatione obtinendi ratio 591
Aethiopum coloris cauſſa 611
Aetnae montis altitudo et circuitus 602
Affinitates corporum vid. *Corpora.*
Agaricus muſcarius *Linn.* eius vis venenata, antidota et vſus 424. 441
Agates vid. *Achates.*
Agricolae inſtructionis, qua tempeſtatum viciſſitudinum, quoad rura, per omnia anni tempora habere poſſit rationem, expoſitioni praemium conſtitutum 166
d'Ailhaud pulueris purgantis effectus noxii et lethales 244 ſq.
Albini, Frid. Bern. de natura hominis libellus 162. obitus 563
Alcali minerale fixum, eius in plantis quibusdam praeſentia 582. id absque ignis ope obtinendi modus 201. 582. vegetabile aëratum 389
Alcalinorum ſalium iactura in igne vnde? 32
Alce, eius patria et domicilium 621
Alcea procumbens, caulibus procumbentibus cet. planta 14
Alcyonium phuſca, eius character et vſus 516 ſq.
Aletris Guinienſis, planta 284
Alni cortex, de eius partibus conſtituentibus et virtute tingente experimenta 407 ſq. foliorum vſus ad lac puerperarum diſſipandum 356
Altſtroemer, C. Societatis reg. Gottingenſis ſodalis 725
Alternanthera, nouum plantarum genus 528
Aluminis terra, de ea obſeruata et experimenta 636 ſq.
Amalgama ferri parandi modus 33 ſq.
Amauroſis, de eius cauſſa et curatione monita 223. 231 ſq. 455
Ambroſia fruticoſa, planta 14
Amethyſti differentia a cryſtallo montana 640
Amianthi fodina circa Bibiennam 144
Ammi copticum, planta 298
Ammoniacus ſal, eum parandi modus 25
Ammonitae regionis Vinarienſis 707
Amomum zingiber, planta 282
Amputatio brachii fetus prolapſi et haud reponendi, periculo inſtante, vtrum liceat et an chirurgus ob eam taxandus ſit? 214
Amſtelodamenſis ſociet. oeconomicae theſis et praem. ad ann. 1779. 558

Amygdalarum amararum oleum aethereum, effectus et vſus 358 ſq.
Amylum, de eo experimenta chemica 212
Amyris, planta, eius ſpecies tres et vſus varius 534
Anaſarca, de eius curatione obſeruatio 199
Anatomicae tabulae 645 ſqq.
Anatomico practicae obſeruationes 461 ſqq. 484. 496 ſq. 500 ſqq. 547 ſqq.
Anchyloſis maxillae inferioris 469
Anemone pulſatilla, de ea monita 426
Aneuryſma ſpurium ſanatum 236
Angelica verticillaris, planta 291
Angina, de ea monita 336. catharroſa, eius curatio 110 ſq. maligna, vt peſtis ſpecies 349
Ani fiſtula vid. *Fiſtula.*
Animalia, eorum differentia et diſpoſitio ſyſtematica 263 ſqq. numerus 608 ſq. ea in muſeis conſeruandi ratio 596 ſq. 599. Daniae et Noruegiae indigena, eorum prodromus 302. fulmine tacta vid. *Fulmen.* quadrupeda eorum contemplatio geographica 607. quoad domicilia claſſes 608. eorum diſperſionis et migrationis cauſſae 626 ſq. vtrique orbi communia 611 ſqq. 623 ſq. 624 ſq. venenata eorumque actio et antidota 433 ſq. ſpecies quaevis a principio creata 666
Anomia tridentata, de ea obſeruata 516
Antagoniſmus c. h. eius definitio et effectus 460
Anthelminticorum formulae et vſus 226 ſqq. 234 ſqq.
Antherae plantarum vid. *Stamina.*
Anthericum liliago, planta 284
Antidota, eorum claſſes et vſus 430
Antimonialium virtus ſpecifica in pectoris inflammationibus dubia 473. vſus inſignis in febribus acutis nautarum 345 ſq.
Antura, nouum plantae genus 529
Aortae aberrationes et morbi varii 464 ſq. 487. 543
Apes in Belgio alendi modi optimi mercaturae et oeconomiae vtiliſſimi expoſitioni praemium conſtitutum 558. in capite excreſcentia 588. cribrariae ſ. Sphex cribraria *Linn.* 705
Aphyllantes Monſpelienſis, planta 518
Apoplexia, eius differentia 454
Apoſitia vid. *Inedia.*
Aqua, de eius et olei attractione et repulſione 586. de eius congelatione 57. cuprum praecipitans 312. fortis, de eius deſtillatione 22 ſq. 24. marinae deſtillatae ſapor ingratus vnde? 341 ſq. martialis artificialis, praeparatio et vſus 221. mineralis ad fanum S. Albani analyſis et vſus 488 ſq. Montecenis in Burgundia

dia analyſis 586. vegeto mercurialis, eius formula, praeparatio et vſus 229 ſq. vegeto mineralis Goulardi, vſus 223. aquae ſtillatitiae, praeparatio 29. aſſeruatio 24
Aquilae ſpecies 148
Arabiae felicis deſcriptio 525 ſq. plantae 526 ſq.
Arborum cultus, an et quarum in et circa vrbes ſanitati ciuium aërisque puritati ſit proficuus an noxius? quaeſtionis ſolutioni praemium dicatum 558 ſq.
Arena, de eius origine ſententia 709
Arenaria muſcoſa 13
Argentum, eius minera cornea chemice diſquiſita 670
Argillae partes conſtitutiuae 636. vſus 22 ſqq. 29
Arnebia, planta 529
Arſenicum, eius natura et differentia 446 ſq. 559. ſuper eius cryſtalliſatione 635. eius vis venenata 444 ſq. 449. de eius vſu 445. 405. album 447. mineraliſatum 449. regulinum 447
Artemiſia, plantarum genus 298. eius ſpecies variae 299 ſq. praeparata et vires 301
Arteriae, de earum motus ſeu pulſus cauſſa controuerſia 201 ſq. earum pulſatio vid. *Pulſatio.* de nonnullarum aberrationibus 543 ſq. capitis, de earum incuruationum vſu 544. cruralis vulnus compreſſione ſanatum 500. cubitalis aneuryſma ſpurium ſanatum 236. intercoſtalis diſciſſioni et repoſitioni inſeruientia inſtrumenta 483. earum iter 657
Arteriotomia 472
Arum ſagittaefolium 293
Arundo nilotica 510 ſq.
Aſclepias, planta, eius partes genitales 4 ſq.
Aſinus, eius patria, domicilia et degeneratio 614 ſq.
Aſphodelus luteus 283
Aſter pannonicus 273
Athamanta pyrenaica 298
Attractiones corporum vid. *Corpora.*
Auium icones 148. coloris albi cauſa 701. refarciendarum methodus 706
Auris morbus cum carie 481 ſq.
Aurum, eius docimaſia 313. calcinatio ſubita et fuſio ope electricitatis 240. 490. 596. ex eo purpuram mineralem ope electricitatis obtinendi modus 596. fulminans 33. ex capite mortuo cantharidum paratum 678

B.

Baccher, continuat opus periodicum Cl. Roux 724
Balneorum calidorum vſus in morbillis 107. in morbis venereis 697
Balſami neruini formula 351
Barometra 594 ſq.
Barometricae obſeruationes 261
Baſaltes, eius columnae variae et ortus 260. 603 ſq.
Batarra, Io. Ant. edidit muſeum Kircherianum 141

Bella-

Belladonnae effectus et vſus 312 ſq.
Bergius, P. I. Societ. reg. Gotting. ſodalis 725
Bergmann. Torb. Diſſ. de arſenico 446. Gotting. Societ. reg. ſodalis 725
*Berliniſche Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft, der Naturgeſchichte* etc. *V. und VIter Band* 307
Berolinenſis acad. ſcient. et artium elegant. theſes et praem. ad ann. 1778. et 1781. 557. Societatis phyſicae praemium ad ann. 1777. et quaeſtio ad ann. 1781. 724
Betula pumila 290
Bilis humana non ſaponacea 42 ſq. eius natura 43. 45. analyſis chemica 43 ſqq. ei ferrum ineſſe negatur 47. eius putrefactio ib. ſq. eius vis antiſeptica 47 ſqq. ſimilitudo cum lacte 48. de ea conſectaria varia ib. ſq. eius vſus 49 ſq.
Binectaria, planta 530
Bixa orellana *Linn.* vid. *Orleanum.*
Blancardi, Steph. Lexicon medicum tripartitum, renouatum per Iac. Frid. Iſenflamm. Vol. I. 367
Blennius Gattorugine, de eo obſeruata 508
Blumenbach, Prof. med. ord. Gottingenſis 725
Boerhaauia 272 ſq.
Boletus 60
Bonannii, Phil. rerum naturalium in muſeo Kircheriano hiſtoria per Batarram. Pars I. 141
Borax, eius cum cremore tartari iuncti vſus in peripneumonia et obſtructione viſcerum 136
Bordeu, eius obitus 562
von Born, Ignaz *Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen 2ter Band* 52. muſeum Vindobonenſe deſcripturus eſt 167
Botanicae obſeruationes 13. 546
Boues, eorum patria et ſpecies 613 ſq. bos biſons 308
Brandau, Io. Henr. mortuus 562
Brandes, Car. Phil. obiit 168
Braſilienſe lignum vid. *Lignum.*
Bromelia karatas 276 ſq.
Bronchocele connata 67. eius curatio ib.
Brückmanns, Vrban. Frid. Benedict. *Abhandlung von Edelſteinen 2te Auflage* 637
Bructeri montis altitudo 261 ſq. memorabilia 262
Bruxellenſis acad. Imperial. Reg. ſcient. et art. theſ. et praem. ad ann. 1779. 558
Bubones venerei, eos tractandi methodus 698
Bucholz, Guil. Henr. Seb. *chemiſche Verſuche über neue einheimiſche antiſeptiſche Subſtanzen* 673
Burdach, Dan. Chriſt. obitus 562
Büttner, Chph. Gottl. mortuus 167
Byttneria microphylla 276


Caca

C.

Cacaliae pendulae et odorae vſus 535
Cadaba, planta 530
Cadaueris vapor putridus lethalis 585
Cadia, planta 531
Caementum Traff dictum vid. *Traſſ.*
Caeſareae ſectionis neceſſitas 72
Caidbeia, planta 530
Calcinatio auri, argenti, cupri et ſtanni ſubita 240. 489 ſq.
Calculi biliarii, eorum origo 51. renalis inſignis 469. huic aër fixus medetur 682
Calx viua, eius cauſtica vis 29
Camelus, eius patria 624
Campanula carpatica 280
Camper, Petr. praemium accepit a Societ. phyſica Berolinenſi 724
Camphora, eius diſtinctio 23 eius purificationis modus 24. de eius actione in morbis 137. in ileo morbo 314 ſq. vſus in febre miliari puerperarum dubius et noxius 98. cantharidum vires infringit 679 ſq.
Cancer ſedentarius 512 ſq.
Cancer, in eo remedium 356 ſq. eius origo et progreſſus 690. non eſt hereditarius 691. ſecundarius quomodo a primitiuo dignoſcatur 691 ſq. rel. vid. ſub verbo *Carcinomata.*
Cancroſum linguae vlcus ſanatum 139 ſq.
Canis, eius cum lupo coitus 611 ſq. natura 612 ſq. a crotalo laeſi curatio 484 ſq. rabidi morſus effectus 210. 237
Cantharidum actio et virtus 474. 680. eorum hiſtoria naturalis 676. analyſis chemica 677. antidota 679. effectus in ſanguine ſano 680
de Capdeuila, Ant. obitus 562
Capitis dolores chronici, adverſus eos tinctura 357. laeſiones, earum curatio 457 ſqq. vulnus cum fractura cranii ſanatum 226. vulnus telo inflictum 478 ſq.
Capitolium, animal cetaceum 144
Capparis mithridatica, eius vſus 534
Capra, eius cum oue ſimilitudo 614. natura ib. rupicaprae cornua 142
Capreoli varietates 618
Carcinomata plura exſtirpata 686. eorum ortus ib. labii ſuperioris rariora ib. operatione ſola remouentur 687. 692. cicutae ad illa ſananda vſus nullus ib. exſtirpationis modus 693. gas ſilueſtre his conuenit 694
Cardui tomentoſi ſucci vſus in cancro 356
Cariei maxillae exempla 485. oſſis ſacri 499
Carnioliae inferioris montes 60
Carolinarum thermarum origo 55
Carpi luxatio cum ruptura ligamenti ſanata 221 ſq.
Carthami tinctorii indoles et virtus 416

Cartheuſer, Frid. Aug. *mineralogiſche Abhandlungen 2. Theil* 631
Cartilaginum diſtinctio 35
Caſearia nitida, eius a ſamyda nitida *Linn.* diſtinctio 542
Caſtoris patria 621
Cataractae ſpecies 455. ſingularis, extractio 487. poſt depoſitionem 218
Catarrhi ſuffocatiui rari curatio 126
Catha, nouum plantarum genus 529
Catheter mercurii immiſſioni in veſicam vrinariam ad ſolutionem argenti vel plumbi ſeruiens 313
Caucalis humilis 297
Caucanthus, planta 531
Cebatha, planta 532
Celoſia nodiflora 286
Celſia arcturus 289
Celſii, Olav. vita 399 ſq.
Centaurea cinerea 285
Cephalalgiae cauſſa et caſus ſingularis 132 ſq.
Ceraſorum cum nucleis copioſe ingeſtorum noxa 502. vermis et inde natae muſcae hiſtoria naturalis 8
Cerebrum, eius ſenſibilitas 456. commotio 457 ſq. ſequelae ab effuſo humore 458 ſq. curatio 459. in eo teli cuſpis per XI. annos haerens 478 ſq. hydatis 484
Cereuiſiae vtilitas et effectus 315 ſq.
Ceruana, planta 532
Cerui domicilia et varietates 618
Chadara, planta 531
Chaetodon, eius generis ſubdiuiſio 510. vnicornis ib.
Chamomillae virtus tingens 406
Chaos rediuiua *Linn.* vid. *Vibrio.*
Charachera, planta 531
Chemiae obiectum 316
Chemicae inſtitutiones 27
Chenopodii hybridi vis venenata 425. 439
*Cherſo* et *Oſero* inſularum producta 177 ſq.
Chocoladam antiuenercam parandi modus 485
Chorea S. Viti 308
Chryſolithi Plinii ſpecies 54
Cicutae depuratio 232 ſq. maior *Baub.* vid. *Conium maculatum.*
Cimex abietis *Linn.* loxiae pabulo inſeruiens 6
Cinnabaris minio adulteratae ſignum 26
Ciſſi arboreae vſus 533
Ciſtus laeuipes 294
Claui pedum, ad eos emplaſtrum 247 ſq.
Cobaltum de eo experimenta 251. eius mineras ab inquinamentis ſeparandi modi expoſitionis praemium 557
Coccionellae indoles 411 ſq.
Cochlearum opercula 144
Colica biliosa epidemica, eius curatio 103 ſq.
Collini, Journal d'un voyage etc. 252
Coloniae collegium anatomicum et chirurgicum fundatum 561
Color albus auium, eius cauſa. vid. *Aues.* niger, eius cauſa 704

Coluber, eius ſpecies venenoſae 433 ſq. haje, noua ſpecies 507. eius morſus effectus ib. lebetinus, baetan et hölleik, eorum morſus venenoſi effectus et antidota ib. natrix, eius migratio 60
Columbo radicis vis antiſeptica 93
Commerſon, Philibert, mortuus 561
Conchylia varia eſculenta 504 ſq. petrefacta, in iis circuli concentrici 706
de Condorcet, acad. reg. ſcient. Pariſ. ab epiſtolis 371
Conium maculatum *Linn.* eius vis venenata et antidotum 583. carcinomati non medetur, vid. *Carcinoma.*
Conſpruch, in acad. militari Stuttgardina prof. med. ord. 167
Contagioſi morbi, eorum varietas 348 ſq. nautarum curatio 343 ſqq. iis demortuorum ſectiones 347
Contrafiſſura vid. *Reſonitus.*
Conuoluulus farinoſus *Linn.* 277. diſſectus 294
Conuulſiones grauidarum 89
Conyza viſcoſa 584
Cordis actio et motus 486. ſtructurae diuerſitas 264 ſqq. vitium ſingulare 462 ſqq. permagnum 500
Coralliorum Arabiae natura 517
Coreopſis alternifolia 288
Corneus lapis 595
Corni ſanguineae vſus 533
Corpora, eorum affinitates 587. 393 ſqq. 396 ſqq. grauitas 579 ſq. organiſata, eorum ortus 17. viua ſeu organica 263 ſqq. functionum diuerſitas 268 ſq.
Corpus humanum, eius partium formatio 34. vis mouens duplex 453. triplex 460
Corui *Linn.* ſpecies quaedam 593
Coryza equorum num ſit contagioſa? quaeſt. ſolut. praemium conſtitutum 166
Cotyledon integra 13
Cramer, Io. Andr. obiit 562
Cramer, Petr. mortuus 562
Cranii mitrae aponeuroticae ſitus 35
Crataegus punctata 276
Cremor tartari, eius cum borace vſus medicus 136. eius cum creta et quibusdam calcibus metallorum connubium 217 ſq. eius regeneratio ex acido ipſius 218. ſolubilis praeparatio et vſus 318
Cricetus mus vid. *Mus.*
Criſium definitio 538. in febribus acutis differentia ib. ſigna et cauſſae 539 ſq. prophylaxis 541
Critici dies in febribus acutis 538
Crocus martis, eius vſus internus noxius 135
Crotalus, eius ſpecies venenatae 433. crepitaculi ratio 143. laeſionum effectus et curatio 484 ſq.
Croton villoſum, eius vſus 535.
Cruris fractura complicata cum carie calcanei 229
Cuculi ſpecies 151 ſq.
Cucumis prophetarum 273
Culhamia, planta 531

Cuniculus, eius natura 617
Cuphea viſcoſiſſima 295 ſq.
Cupri fodina et minera 256
Curcumae radicis analyſis et virtus tingens 403 ſq.
Cutanei morbi, eorum cauſa differentia et curatio per topica 338 ſq. morbi ſingularis caſus 591
Cuticulae ortus 35. ſtructura ſquamoſa 592. morbus ſingularis 591
Cycas caffra, eius character 398. medullae vſus ib. ſq. circinalis character 542
Cynanchum erectum *Linn.* 277 ſq. pyrotechnum, eius vſus 533
Cynips ſycomori 512. 535 ſq.
Cytiſus pſeudocajan 289
D
Daries, Petr. Io. Andr. epiſt. de amygdalis et oleo amararum aethereo 358
Deglutitionis impeditae caſus 239
Delirii febrilis cauſſae et curatio 123 ſq.
Dentariae virtus et vſus 357
Dentes petrefacti animalium 56
Diaeteticarum regularum reſpectu inprimis alimentorum in curatione morborum chirurgicorum expoſitioni optimae praemium conſtitutum 165
Diaphoretica, eorum genera et vſus in febribus intermittentibus 330 ſq. eorum vſus et abuſus 474
Diaſcordii *Fracaſt.* formula 351
Digera, planta 529
Digitalis paruiflora 274. obſcura 285
Dimsdale, Ioſeph. de morbis cutaneis 338
van Doeveren, Gualth. primae lineae de cognoſcendis mulierum morbis 61
Dolichos bengalenſis 290. luteolus 285. madagaſcaricus 290. pubeſcens *Linn.* 287. ſeſquipedalis 281. vnguiculatus *Linn.* 275
Donati, Vitalian. vita 178
Dorſi vertebrarum doloris et tuberculi ſenſim increſcentis hiſtoria 206
Doſſie, Robert. obitus 562
Draconis arboris vſus 318
Drypis ſpinoſa *Linn.* 279
Dſhikketaei ſ. equus hemionus vid. *Equus.*
Ductus choledochus 653. pancreatici, eorum decurſus ib. Stenoniani fiſtula ſanata 489
Dyſenteria epidemica, eius differentia et curatio 112 ſq.
E
*Eau de Luce*, liquor, eum parandi modus 25 ſq. eius vſus in morſu crotali 485
Echini marini, eorum diſpoſitio et deſcriptio 713 ſqq. eorum aculei, anatome, et cibus 723
Echinorynchus, vermis 304
Echinus pentagonus, foſſilis 517
Echium, eius ſpecies incerta 279
Elcaja, planta 532
Electrica experimenta circa fuſionem auri 596. cum metallis aliisque corporibus inſtituta 240. 489 ſq.

Electricitas, de ea obſeruationes 317
Electricum fluidum, de eo experimenta 58 ſq. 240. 489 ſq.
Electrophori ratio 58 ſq.
Elleri theſis et praem. ad ann. 1779. 557
Ellis, Io. obitus 374
Emetica, eorum effectus inopinati 136 ſq. in febribus intermittentibus 328 ſq. 330. vſus in febribus putridis puerperarum 97. de eorum vſu in grauidis obſeruata et monita 202 ſq. 480. eorum in parua doſi adhibitorum effectus diaphoreticus 123. antimonialia, eorum effectus anodynus in morbis acutis 108. vſus in pleuritide 106 ſq. in cholera et morbis biliosis 104. 108
Emplaſtrum ad clauos pedum 247 ſq.
Emulſionis ſalinae formula 351
Encrinitarum deſcriptio eorumque protypi 6 ſq.
Entomologicae obſeruationes 708
Ephemera, inſectum 306
Epidemici morbi conſtitutiones 101 ſqq. 108 ſq. 112 ſqq. 118 ſq. Bononiae 231
Epilepſiae curatio ſingularis 138
Epſomienſe ſal, id decomponendi modus 380
Equiſeta, eorum ſtructura 21
Equus, eius patria 614 ſq. hemionus, eiusque deſcriptio 663
Erica, eius ſpecies nouae 399
*Erk*, morbus 504
Erxleben, Io. Chriſt. Polyc. obiit 562
Eryſipelas epidemicum, eius curatio 107
Euonymus atropurpureus 289
Eupatorium altiſſimum 294
Euphorbia, eius ſpecierum vis venenata 425 ſq. 438. paralias 297
Extracti cathartici ſeu panchymagogi Crollii formula 352
Extrauaſationum in morbis ſpecies diuerſae 347 ſq.

F

Faciei hemiplegia, in ea remedium 139. oſſa vid. *Oſſa*.
Falckenberg, Io. Godofr. anat. prof. Berolinenſ. ſecundus 560
Falconum ſpecies 148 ſqq.
*Fartit*, morbus Aegypti 524
Faſciola barbata in Gado lota reperta 665
Febres catarrhales benignae, earum natura 541. epidemicae exanthematicae, earum curatio 108. epidemicae lenteſcentes, earum ſigna 116. curatio 117. exanthematicae, in iis, vbi regimen frigidum praeferendum ſit calido et contraria methodus adhibenda ſit, expoſitioni optimae praemium 369. inflammatoriae, earum prophylaxis 541. intermittentes 322 ſqq. 542. malignae variae 541. neruoſae et malignae 121 ſq. in Vngaria graſſantes 60. aëre fixo ſanantur lentae 684
Febrifuga noua, endemia 674

Febris carcerum maligna 349. catarrhalis epidemica benigna 110. epidemica maligna putrida 118 ſq. eius curatio 119 ſq. puerperarum 73 ſq. 77 ſq. 80 ſq. 85 ſq. 91. 96 ſq. tertiana epidemica 124. verminoſa infantum 117
Felis, natura 616
Felleae veſiculae leonis deſcr. 662
Femoris luxatio lethalis 314
Ferbers, Ioh. Iac. *Beſchreibung des Queckſilberbergwerks zu Idria in Mittelcrayn.* 156
Fernambuk vid. *Lignum Braſilienſe.*
Ferraria vndulata 281
Ferrum, eius cum mercurio vnio et vſus 495 ſq. petrificatum 366
Ficus ſycomorus 535 ſq.
Filices, earum generatio 17 ſqq. eorum ſemina negantur 21
Fiſtula ani, eius curatio interna 316 ſq. operatio filo plumbeo peragenda 478. ductus Stenoniani ſanata 489
Fiſtularia, nouum molluſcorum genus 506
Flora aegyptiaco arabica 503. 517 ſqq.
Fluidorum c. h. motus 336 ſq.
Fluoris albi curatio 126 ſq.
Foeniculi aquatici effectus varii 127 ſqq.
Foeni graeci natura et virtus tinctoria 414 ſq.
Foerſter, ſociet. natur. curioſ. Gedanenſ. ſocius 561
Foetus ſexum in vtero ex pulſu praeſagiendi ratio 482 ſq. capite monſtroſo 585. monſtroſi ſingularis hiſtoria 195 ſqq. biceps 198. coalitus 219. partes extrahendi inſtrumentum 72. mortui cum viuo partu in vtero ſiti caſus 247. in ouario repertus 216. oſſa per inteſtina excreta ib. diſſectio 657
Forceps, eius vſus et praeſtantia 70 ſq. tribrachialis noua 79 ſq.
Formica maligna et animoſa 512. earum oleum eſſentiale 213
Forſkal, Petr. deſcriptiones animalium, auium, amphibiorum cet. 503. Flora Aegyptiaco Arabica ib. Icones rerum naturalium ib.
Forskolea *Linn.* 279. 530
Forſten, Rudolph. med. theoret. anat. et chir. prof. ord. Harderouic. 372. Disquiſitio medica cantharidum 675
Fortis, Albert. Saggio d' oſſervazioni ſopra l' iſola di Cherſo et Oſero 177
Fracturae cruris et femoris per reſonitum 492 ſq.
Fraxini excelſioris cortex febrem fugat 675
Frumenti ſpecies Sinicis populis vſitatae 593
Fucus planta, eius ſpecies quaedam 670
Fulmen ab aedificiis auertendi conductorum figura quaenam aptior? 598. fulmine tactorum animalium mortis cauſſarum per obſeruata

ſeruata et experimenta detegendarum expoſitioni praemium conſtitutum 558
Fungi venenoſi, eorum notae 424. 441. veſicae vrinariae, eorum exciſio 204

G

Gadus Lota 665
Galium, eius vſus tinctorius 644
Gallae, earum natura et virtus tingens 407
Gallesky, I. G. mortuus 373
Gangraenae progreſſus celerrimus 481
Garrrulus Sinenſis 593
Gas ſilueſtre cancro medetur 694
de Geer, Car. obitus 563
Gemmae, earum partitio 637 ſq. cryſtalliſatio 639
Geniſta Sibirica 297. tinctoria 415
Genitalium in puella ambuſtorum et coalitorum curatio 208
Geranium moſchatum *Linn.* 280
Geropogon glabrum *Linn.* 277
Geruma, nouum plantarum genus 528
van Geuns, Matthias, med. prof. Harderouic. 372
Giſeke, Paul Dietrich, *Abhandlungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit von einer Geſellſchaft von Aerzten in Hamburg* 131
Glandum vſus in morbis 450 ſq.
Glandularum diſtinctio 36
Glirium varietates 618 ſq.
Glutinoſa ſubſtantia vegeto animalis nutriens 213. eam obtinendi modus 232 ſq.
Glycine ſtriata 282 ſq.
Glycyrrhiza echinata 286
Gmelins, Ioh. Friedr. *Abhandlung von den giftigen Gewächſen in Teutſchland und vornemlich in Schwaben* 422. *Allgemeine Geſchichte der Gifte* 1. *Theil* 427. *Allgemeine Geſchichte der Pflanzengifte* 435. *Allgemeine Geſchichte der mineraliſchen Gifte* 443. Profeſſor medicinae Gottingenſis 725
Gonorrhoea, in ea iniectiones 140
Gordius marinus in hepate Gadi repertus 65
Gottingenſis reg. ſociet. ſcient. theſes et praem. ad 1776. 1777. 1778. 165. ad ann. 1779. 557. Sodales externi 725
Graecienſis ſociet. Imperial. Reg. agricult. et artium theſ. et praem. ad ann. 1779. 559
Grauidarum morbi 63. 89. pulſus vid. *Pulſus.*
Grauiditas ventralis 216
Gruner, Chriſt. Godofr. acad. natur. curioſ. ſocius et conſiliar. aul. Ducis Saxo-Vinarienſ. 167
Gryllus gregarius, eius vſus 512
Guldbrandt, I. W. Conſiliar. aulicus Reg. Dan. 167
Gulo, eius patria 622
Gummi rubrum adſtringens Gambienſe, eius vſus 97
Gutta ſerena vid. *Amauroſis.*

Gymnocarpos, planta 529
Gyſophila adſcendens 292
Gypſum, eius natura et vſus 633 ſq. fibroſum 147

H.

Haematoxylon Braſilianum *Linn.* 418
Haemorrhagia aluina vlcera ſanans 138. vteri a polypis eiusdem 246 ſq. eam ſiſtendi methodus 483. vterina puerperarum 87 ſq.
de Haen, Ant. obitus 374
Haenel, Chr. H. mortuus 562
Hafnienſis ſociet. reg ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1777 165. ad ann. 1779. 557
de Haller, Alb. obiit 562. eius libri ſimul emti ſunt 726
Halodes, lapis, eius natura 634 ſq.
Hamburgenſis ſocietatis medicorum inſtitutum 131 ſq.
Hamilton's, Will. Campi Phlegraei, Obſervations on the Volcanos of the two Sicilies 599
Harderouicenſis academiae profeſſores medicinae 372
Hartmann, Io. ordinis reg. Waſani membrum 725
Haſſelquiſtia, planta 284. 297
Heliĉteres Iamaicenſis 292
Helix ianthica 516
Helmintholithus portentoſus *Linn.* eiusque protypus 7
Hemionus equus vid. *Equus.*
Hepar, in eo cyſtis 496 ſq. inflammatio epidemica 104 ſq. rupturae caſus 546. ſulphuris vid. *Sulphur.*
Herniae variae 467. incarceratae operatio 216 ſq. curatio 499. hernia inteſtino vaginalis 467. veſicae vaginalis 466. caſus 465 ſq. vteri grauidi vt cauſſa partus difficilis, eius cura 71 ſq.
Herniotomia feliciter peraĉta 216 ſq.
Hibiſcus ſpinifex, planta 287.
Hill, James, Caſes in ſurgery particulary of cancers cet. 685
Hirudines marinae, de iis obſeruata 146
Hiſtoria et commentationes acad. eleĉtoralis ſcient. et elegantiorum literarum Theodoro-Palatinae. Vol. III. Phyſicum 3
Holcus, eius ſpecierum definitiones 545
Holothuria ſpirans 515
Hominum natura et differentia quoad clima 609. quoad viĉtum 610. quoad ſtaturae proceritatem et colorem ib. ſq. quoad aerem 609
Homo, eius principia, vires et funĉtiones 164
Huber, Io. Iac. mortuus 563
Hübners, Ioh. *curiöſes und reales Natur-Kunſt-Berg-Gewerk-und Handlungs Lexicon* 160
Hulme's, Nathanael, Treatiſe on the puerperal fever 73. A ſafe and eaſy remedy propoſed for the relief of the ſtone and gravel etc. 687
Humeri fraĉturae curatio 214 ſq.

Hydatis in cerebro 484
Hydrachna, nouum inſectorum genus 303
Hydrargyri fodinae Idriae hiſtoria 156 ſqq. venae 157 ſq. minerae et lapides 158. minerarum lotio 159. fodinae circa Moerſchfeld in Palatinatu earumque minerae 254
Hydrargyroſis, eam Monſpelii inſtituendi modus 697
Hydrocele congenita in puellis 68
Hydrocephalus externus cauſa partus difficilis 546 ſq.
Hydrophobia, eam praeſeruandi modus 210. curata 237 ſq.
Hydrops cyſticus hepatis 496 ſq. pectoris, eius curatio 498. eo demortui ſectio 500
Hyperanthera, nouum plantae genus 530
Hyſſopus nepetoides 282

I.

Iacquin, Nicol. Ioſeph. hortus botanicus Vindobonenſis. Centur. I. et II. 271
Iaſminum officinale, eius vſus 519
Iaſpides, eorum partitio 642. 257
Iatropha vrens *Linn.* 275
Icterus grauidarum 94. ater vid. *Morbus niger.*
Idrienſis fodina vid. *Hydrargyrus.*
Ilei inteſtini appendix 470 ſq.
Iliacus morbus 137. eius curatio 104. mercurio viuo ſanatus 251 ſq.
Illyriae cum Sibiria comparatio 60
Imaginatio materna 63. aſpectu ſimiae laeſa 320
Incendia terreſtria vid. *Terrae.*
Indigo, eius natura et vis tingens 412 ſq.
Indigofera *bouer*, ex ea coeruleum colorem parandi modus 534. tinctoria, eius ſeminum vſus contra taeniam 535
Inediae exemplum ſingulare 547 ſq.
Infantum recens natorum morbi chirurgici 65 ſqq. deiectiones virides 95 ſq.
Inflammatio ſine febre 335. hyſterica 111 ſq. hepatis vid. *Hepar.*
Inoculatio variolarum 461. ſubiecta ad eam apta 105
Inſectorum ſpecies mutatae 305 ſq. apterorum et teſtaceorum genera quaedam noua 303. plantas in caldariis et fimetis infeſtantium deſcriptionis et remediorum ea delentium expoſitioni praemium conſtitutum 557. ad eorum hiſtoriam analecta 702. 705. 708. collectionum corporum naturalium labem inferentium catalogus 708
Inſularum diſtinctio 629
Inteſtinorum appendices 470 ſq. voluulus vid. *Voluulus.*
Ipecacuanhae vſus in dyſenteria 112 ſq.
Iris ſambucina *Linn.* 272
Irritantia remedia, eorum abvſus 474 ſq.

Iſatis

Iſatis tinctoria, eius natura et vis tingens 418 ſq.
Iſchuria veſicalis cum ſymptomatibus 246
Iſis entrocha *Linn.* 309
de Iuſſieu, Bern. obiit 562
Iuſticia ciliata 287

K.

Kahiria, nouum plantarum genus 532
Kapp, Chr. Ehrh. Societatis oeconom. Lipſ. Sodalis 725
*Kenntniß derjenigen Pflanzen, die Mahlern und Färbern zum Nutzen etc. gereichen können* 643
Keura odorifera, nouum plantarum genus 533
Kirnander, Ionas, mortuus 563
Klein, Iac. Theod. echinodermatum diſpoſitio etc. edita a Nath. Godofr. Leske 711 ſqq.
Klevenfeld, eius obitus 562
Klinkoſch, Ioſ. Thaddaeus, obiit 563
Koſaria, nouum plantarum genus 532
Krzowitz, Wenceſl. Trnka, hiſtoria febrium intermittentium. Vol. I. 322

L.

Labium leporinum, in eo faſciae vnientis inuentor 66. connatum 207 ſq.
Labri, piſcis character, 509
Lac vaccinum, de eo experimenta chemica 212
Lacerta gecko 507. vulgaris noxius 143. eius ſpecies ib. apoda 666. oua illarum lumen ſpargentia 710
de Lachenal, botan. prof. Baſileenſis 561
Lactantium morbi 64
Lactationem impediens cauſa 92
Lactea febris puerperarum, eius natura 92. cura 95. metaſtaſis 134 ſq. eius caſus ſingularis et curatio 495. metaſtaſis ad pulmones lethalis 317
Lactuca tuberoſa 279
Lagophthalmia, eius curatio 223 ſq.
Lange, Ioh. Heinr. *die heilſamen Wirkungen des Waſſerfenchels oder der Peerſaat bey verſchiedenen Krankheiten des menſchlichen Körpers* 127
Lanius, auis, eius ſpecies 153 ſq.
Lantana, eius character genericus correctus et ſpecies 15 ſq.
Lapis lazuli 642. molaris rhenanus *Cronſtedt.* 260
Laſſone, ſociet. et commercii literarii reg. med. Pariſienſis praeſes 369
Laxantia remedia, eorum vſus et abuſus 473
Leaeba, nouum plantae genus, 532
Leake's, Iohn, practical obſervations on the child-bed fevers cet. 79
Lentner, I. F. mortuus 168
Leonis veſicula fellea 662
Leporis varietates 617
Lernaeae gadi callariae *Linn.* bran-

branchiis firmiter inhaerentis deſcriptio 5
Leske, Nathanael Godofr. oeconom. prof. publ. ord. Lipſienſis 560. Additamenta ad Kleinii diſpoſitionem echinodermatum 711
Lethargi obſeruat. 319
Lexicon medicum 367. curioſum et reale naturae, artium, metallorum, fodinarum et commercii 161
Lewen, D. Collegii medici Vpſalienſis Syndicus ſecundus 725
Lichen roccella *Linn.* vid. *Orſeille.*
Lidbecks, Eric. Guſtaf. Abhandling om nyttan af medicinal - växters ſamlande, ock planterning innom Riket 359
Lieberkühnii praeparata anatomica venalia 168 ſq.
Lienis inuolucra 36 ſq. fabrica 37 ſqq. vſus 39 ſqq. iacturae et exciſionis damna 41
Lignum Braſilienſe, eius natura et vis tingens 409. ſandali rubri ib. ſq.
Lind's, Iames, Eſſay on the moſt effectual means of preſerving the health of ſeamen in the royal navy 340
Linguae vlcus cancroſum ſanatum 139 ſq.
Lini oleum vid. *Oleum.*
Linimentum volatile, eius vſus 85
a Linne', Car. pater, a munere prof. dimitti petiit 373. eius obitus 562
a Linne', Car. filius, prof. ord. Vpſal. cum ſtipendio factus 373
Lipothymiae, cauſſae 453
Lipſienſis facultatis medicae aſſeſſores 560. ſocietatis ſcient. Iablonouskianae theſis et praem. ad ann. 1778. 559
Liquor, *Eau de Luce,* dictus, vid. *Eau de Luce.*
Lithanthracum analyſis 598
Lithologicae obſeruationes 703. 707. 710
Lithophagi hiſtoria 544
Lithotomia apparatu alto eius praeſtantia 205. num et quatenus, calculo tunica incluſo, tentanda 203 ſq.
Lituites 703
Lobelia longiflora *Linn.* 275
Lobſtein, Io. Frid. Diſſ. nonnulla de liene ſiſtens 36
Loder, anat. chir. et artis obſtetriciae prof. Ienenſis 560
Lolii temulenti vis venenatae correctio 425. 439
Loxia Rubicilla, auis 668. curviroſtra, deſcriptio nidus et oua 705 ſq.
Lucis effectuum ad vegetationem plantarum expoſitioni praemium conſtitutum 559
Ludwig, Chriſt. Frid. Societatis oeconom. Lipſienſis Sodalis 725
Lumbrici, aduerſus eos remedia 226 ſq. 234 ſqq. ventriculum perforantes 239
Lumbricus vomitu reiectus 235
Lupus, eius cum cane ſimilitudo et coitus 611 ſq. natura 612 ſq. 620. aureus, eius patria 624
Luteo-

Luteola vid. *Reſeda luteola.*
Lutra et lutreola 621 ſq.
Lycopi Europaei vſus tingens 644
Lymphatica vaſa, eorum natura 35 ſq. 653 ſq.
Lymphaticae exſudationis ratio in febribus 347 ſq.
Lynx, eius patria 622

M.

de Machy, l' art du deſtillateur des eaux fortes 22
Maclurg's, Iames, Experiments upon the human Bile 42
Madrepora daedalea 517
Maerua, nouum plantarum genus 531
Maeſa, nouum plantarum genus 529
Magnetis artificialis vis in morbis dubia 57 ſq. ab electricitate 58 ſq.
Malua Peruuiana 293
Mammae, earum ſtructura 650 ſqq. 656. earum in recens natis abſceſſuum curatio 67 ſq.
Mammalia, quomodo optime refarciantur 706
Manheimenſis acad. ſcient. vid. *Theodoro-Palatina.*
Marggrafius, acad. reg. ſcient. Pariſ. ſodalis 561
Marmorum et adfinium aliquot lapidum Germaniae icones 155
Marſilaea, planta, eius character 19 ſq. propagatio 20
Marſupium, corpus marinum, quid? 145
Martes, animal, eius varietates 621
Martini, Frid. Henr. Guil. obiit 563
Marx, M. I. obſeruationum medicarum pars I. 122. *Beſtätigte Kräfte der Eicheln* 450
Materiae medicae practicae conſpectus 353 ſqq.
Maxillae inferioris anchyloſis 469. ſpaſmus frictionibus mercurialibus curatus 243
Mayer, Io. Chph. Andr. med. prof. ord. Francof. ad Viadr. 560. *Beſchreibung der Blutgefäße* 657
Mays, planta vid. *Zea.*
Meckel, Phil. Frid. Theod. anat. prof. Halenſis 561
Medicago proſtrata 284
Medicamentorum hiſtoria, vſus 353 ſqq. ſyllabus 451 ſq.
Meduſa noctiluca 515 ſq.
Mel, eius origo 319 ſq.
Melampyri aruenſis vſus tinctorius 644
Melancholia ope belladonnae curanda 312 ſq.
Melhania, nouum plantarum genus 529
Meliſſa Pyrenaica 219
Melochia pyramidata *Linn.* 276
Meloë cichorei, cantharidibus olim ſubſtituta 676. veſicatoria vid. *Cantharides.*
Menſtruorum ſuppreſſionis effectus ſingulares 219 ſq. curatio 221
Mercuriale remedium, in morbis venereis 229 ſq.
Mercuriales frictiones, earum vſus in hydrophobia 237 ſq. in tetano 243. 494. ſalibus

libus mercurialibus praeferendae 697
Mercurialia eorum vſus in rheumatiſmo 109. ſalia 695. eorum agendi modus 696
Mercurius, eius minerae variae 158. 254 ſq. eius fluiditas vnde? 28. fodinae vid. *Hydrargyri fodinae:* quibus cauſſis in tubis Torricellianis modo attollitur, modo deprimitur 594 ſq. alcaliſatus, eius uſus 346. crudus, eius vſus in ileo 251 ſq. cum ferro vnitus, eius vſus 495 ſq. praecipitatus albus, eius mangoniſatio 26 ſq. praecipitatus ruber, eius adulteratio 26. ſublimatus corroſiuus, cum chocolada datur 485. cum lacte 227. eius vſus in lue venerea curanda 695 ſqq. modus adhibendi in hoc malo ib. quomodo Monſpelii propinatur vid. *Hydrargyroſis.*
Metallorum affinitas 587. petrificatio 365 ſq.
Metzger, Io. Dan. anat. med. et artis obſtetr. prof. et poliat. 561. Aduerſaria medica 455
Micrelium, nouum plantarum genus 532
Miliaris febris epidemica 108. puerperarum 91 ſq.
Mimoſa virgata 283
Mineralogica deſcriptio regionis Oberwiederſtedt 709
Mnemoſilla, nouum plantarum genus 531
Mola aërea 499
Molluſcorum genera noua 304. 505
Monachienſis acad. electoral. ſcient. theſis et praem. ad ann. 1779 559
Monſtroſus fetus 195 ſqq. biceps 198. bicorporeus coalitus 219. monſtrum humanum 585
Montes, eorum naturam diſcendi ratio 597. Carnioliae inferioris, natura 60. igniuomi 602 ſqq. varii in Palatinatu ad Rhenum 253 ſqq.
Morbilli, eorum curatio 107. 115
Morbus niger 542 ſq. ſingularis neruoſus cum ſuppreſſione vrinae 246
Morinda royoc *Linn.* planta 274
Morſtatt, in acad. militari Stuttgardina profeſſor 167
Morus tinctoria, eius natura et vis tingens 416
Moſcharia, nouum plantarum genus 532
Moſchus moſchifer *Linn.* 585
Motacilla erythrogaſtra, auis 669
Mulierum morbi 61 ſq.
Müller, Otho Frid. Zoologiae Danicae prodromus 302
Murray, I. Andr. apparatus medicaminum, Vol. I. 353
Murray, Adolph. medicamenta circa methodum luis venereae curandae 695
Mus, eius varietates 618 ſq. 623. Cricetus, eius patria 623 ſq. anatome 361 ſqq. hiſtoria naturalis ib.

Muſcae ceraſorum hiſtoria naturalis 8
Muſcicapa melanoleuca, avis 669
Muſculi faciei, 645 ſq. penis 655 ſq. pharyngis 649 ſq. ſterno maſtoidei, eorum continuatio et decurſus 198 ſq.
Muſeum Kircherianum, edidit I. A. Batarra 141
Muſtelae patria 619
Muzelius, eius obitus 563

N.

*Naturforſcher*, *I — III. Stück.* 700 ſqq.
Nautae, eorum ſanitatis conſeruatio 341 ſq. morborum contagioſorum praeſeruatio et curatio 342 ſqq. iis demortuorum ſectiones 347 ſq.
Nauticam rem ſpectantis quaeſtionis ſolutioni praemium conſtitutum 556
Nautilites, eius characteres 702
Neapolitani et regionis vicinae ſoli natura 606
de Necker, Natal. Ioſeph. acad. elect. ſcient. Theodoro Palatinae ſocius 4
Nepeta Italica 288. mollis 14
Nephrites orientalis 642
Nerui, eorum vis et imperium 460. cerebri, origo 646 ſq. paris primi et ſecundi ortus 647. paris ſeptimi et decimi ortus 648. neruo auditorio adhaerens durum corpuſculum 470
Neubauer, I. E. obiit 562
Nicolai, E. A. Pathologie, *3ter Band* 334. *4ter Band* 452
Nicotianae ſyrupus vid. *Syrupus.*
Niebuhr, C. edidit opera Petr. Forskaol vid. *Forskål.*
Nieuhoff, B. philoſ. math. et aſtronom. prof. ord. Harderouici 373
Noſocomii Londinenſis ratio 86 ſq.
Noua acta reg. ſociet. ſc. Vpſalienſis, Vol. II. 387
Noui comment. Academ. Sc. imper. Petropolit. Tom. XIX. 660

O.

Oberkampii, F. I. vita 3
Obſtetricia ars, in ea inſtrumenta 70 ſq.
Obſtructionum in C. H. fluidis theoria 337
Oculi, eorum inflammationis curatio 223. morbus ſingularis cataractae depoſitionem ſecutus 218
Oculus cati gemma 642
Oehme, C. I. Diſſ. de morbis recens natorum chirurgicis 65
Oenothera repanda 13
Oeſophagus oſſeus 461
Olea aetherea plantarum 30
Oleum, cum eo experimenta 586. lini, eius vſus 318. amygdalarum vid. *Amygdalae.* oliuarum 680
Olibani vſus in fluxu vterino 126
Oncoba, nouum plantae genus 531

Ononis hircina 285
Onopordum Illyricum et Arabicum 293
Onyx 641
Opalus 642
Ophthalmia epidemica 121. rheumatica earum, curatio 126
Opii vſus et abuſus in haemorrhagiis 88. in dyſenteria 89. in clyſmate exhibiti effectus funeſtus 215
Orleani indoles et vis tinctoria 417
Ornithogalum Bohemicum 57
*Orſeille*, eius natura et vis tingens 417
Orygia, nouum plantarum genus 531
Oryzae genera a Sinicis populis coli ſolita 593 ſq.
Os in oeſophago haerens 239. bouinum, ex recto exciſſum 206
*Oſero*, inſula vid. *Cherſo*.
Oſmundae regalis propagatio 19
Oſſa, eorum coloris varietas 35. denudatorum perforatio 222. faciei, eorum fracturae caſus 206 ſq.
Oſtrearum vermes duplices 319
Oſtreum petrefactum 253
Oua cruda, eorum vſus in ictero 94
Ouarium, in eo fetus formatus 216
Ouis, eius cum capra ſimilitudo 614. natura ib. ouium tabes, eius ſignorum, cauſſarum et curationis modi expoſitioni praemium 558

P.

Paederota Bonarota 289 ſq.
Papularia, nouum plantarum genus 530
Paralyſis, eius ortus et cauſſae 454
Paraphrenitis 335 ſq.
Pariſienſis acad. reg. chirurg. theſ. et praem. ad ann. 1776. 165. ſoc. et commerc. lit. reg. medic. theſ. et praem. ad ann. 1777. 369. ſocietatis reg. medicae quaeſtio ad ann. 1779. 724
Parturientium cura 94. morbi 64
Partus naturalis 94 ſq. difficilis a hydrocephalo externo 546 ſq. ſingularis hiſtoria 247. laborioſus ex calloſitate orificii 479 ſq.
Paſſiflora 273. 275. laurifolia 294. ſuberoſa ib.
Paſtinaca lucida 298
Pectus fetus in partu difficili rarius eſt aperiendum 71
Pedicularis repercuſſio cauſſa ſcabiei 476
Pein, H. C. chem. et pharmac. prof. publ. in colleg. med. chirurg. Berolin. 372
Pelecanus 590
Penis, eius muſculi 655 ſq.
Pentagloſſum, nouum plantarum genus 527
Perforatorii et vnci emendatio 71
Peripneumoniae, curatio 106. 117 ſq.
Peruuianus cortex, eius praeſtantia prae quaſſia 552 ſq. eius vſus roborans 475. eius

eius vſus et abuſus in febre puerperarum 84 ſq. vſus in febribus intermittentibus 332. in febre maligna 120. in neruoſa 122. cortices huic ſubſtituendi 674
Peſſarii vſus in hernia veſicae vaginali 466
Peſtis, contra eam remedium ſpecificum inueniendi ratio 592 ſq. eius infectio 317. de ea defunctorum bile tentamina 321
Petechiae 346
Petechialis febris 102
Petrefacta circa Alzey 253 ſq. animantium Würtenbergenſium 702
Petrificationis metallorum ratio 365 ſq.
Petrificatum foſſile eiusque protypus 7 ſq.
Petropolitanae acad. imperial. ſcient. fundationis iubilaeum ſemiſeculare 555. theſ. et praem. ad ann. 1778 et 1779. 556. ſocietat. oeconom. theſ. et praem. ad ann. 1776. 166
Peyrillhe, Ber. de cancro 689
Phalli quinquanguli deſcr. 661
Pharmaceutici canonés 351
Pharmacopoea Suecica 350
Phaſeolus, eius ſpecies incertae 281. 286. 288
Phellandrium aquaticum vid. *Foeniculum.*
Phoca, eius ſpecies 619 ſq. 631
Phrenitis vera, eius curatio 102 ſq.
Phthiſis epidemica 113 ſqq. pulmonalis, in ea remedium 312
Phyſalis viſcoſa 291
Phyſſophora, nouum molluſcorum genus 506
*Pians*, morbus, eius curatio 583 ſq. ſimilitudo cum variolis ib.
Pili, eorum ſtructura 145
Piloris, animal 626
Pilularum antarthriticarum formula 352
Pinealis glandula 648
Piper, Io. mortuus 167
Piſcium genera 505
Pix liquida, eius vſus in phthiſi 114
Placenta vterina, eius extractio 95. 99
Plantae, earum claſſificationis ſecundum differentiam radicum et ſingulae claſſis culturam expoſitioni praemium 557. ordines 17 ſq. genera 527 ſqq. ſpecies 13 ſq. icones 536 ſq. faecula ſeu pars viridis tingens num reſinam praebeat? 213. 232 ſq. motus arbitrarii, ſenſus, vita et irritabilitas 12. propenſio ad copulam 8 ſqq. ea in filicibus negatur 17 ſq. earum ſexus 4. 12. Aegyptiacae 522 ſq. earum ordines 523. in horto botanico Vindobonenſi rariores 272 ſqq. medicinales 360 ſq. pictoribus et tinctoribus vtiles 643 ſq. venenoſae 435 ſqq. antidota 436 ſqq. obſtupefacientes 439 ſq. acres et ſtupefacientes ſimul 440 ſq. venenoſae Germaniae inprimisque Sueuiae indigenae 422.

422. 425 ſqq. in Sueuia ſponte creſcentes 706. 709
Platina 251
Plaz, A. G. ord. med. Lipſ. Decanus et Doctor ſemiſecularis 560
Plenck, I. I. primae lineae anatomes 34
Pleuritis, eius ſpecies 335. epidemicae, curatio 106. 117 ſq. infantum curatio 107
Ploucquet, Profeſſor medicinae Tubingenſis 725
Podagra, aëre fixo tollitur 684
Poerners, C. W. *chemiſche Verſuche und Bemerkungen zum Nutzen der Färbekunſt, 1. 2. und 3ter Theil* 401
Polycephalos, nouum plantarum genus 532
Polygalae vſus in pleuritide 76
Polyphagi caſus 501. 544. cadaueris ſectio 501 ſq.
Polypi vteri 213 ſq. exſtirpationis modus 246 ſq.
Polypodii propagatio 19
Populi nigrae vſus oeconomicus 60
Potentilla Penſyluanica 297
Potkoniczky, A. de metallis petrefactis 365
Pott, I. H. mortuus 562
Praſius, gemma 641
Priapus, animal, eius character genericus et ſpecies quaedam 514
Proſtata glandula 654 ſq.
Pſittacus, eius ſpecies 153
Pteranthus, nouum plantarum genus 528
Pteris aquilina, eius propagatio 18
Pterotrachea, nouum molluſcorum genus 506
Puerperarum morbi varii 64. febris vid. *Febris*.
Pulſationis arteriarum cauſſae, 486. venarum exempla ib. ſq.
Pulſus, eorum differentia 220. grauidarum, ex eo fetus ſexum praeſagiendi ratio 482 ſq. inteſtinalis ib.
Pulueris alexiterii ſeu ſudoreferi Doweri formula 352. cornachini ſeu comitis de Warwick formula 357. nutricum formula 352. purgantis d'Ailhaud noxa 244 ſq.
Pumex, eius ortus ex asbeſto 635
Purgantium in intermittentibus indicantia 329. contraindicantia 330
Putridi vaporis effectus funeſti 585
Pylori anguſtia cauſſa morbi nigri 543
Pyrethrum, eius character et ſpecies 15
Pyrus malus, de eius vi febrifuga experimenta 675

## Q.

Quadrupeda animalia vid. *Animalia*.
Quartana, eius natura 326 ſq.
Quaſſia, eius in intermittentibus vſus 551 ſq. eius cum cortice Peruuiano comparatio 552 ſq. eius vis antiſeptica 553. analyſis chemica ib. ſq. proprietates 554 ſq. virtus medica 320

Quintanae

Quintanae febris curatio 327
Quotidianae febris natura 326

R.

Rachitis infantum, eius curatio 125
Raetzius, S. chirurg. prof. Budae 561
Raiae earum genitalia 146. torpedo 507 ſq. vulgaris, eius ouorum vſus 508
Ranulae ſub lingua, earum curatio 66
Ranunculi, eorum vis venenata 426 ſq. 438
Reaumuriae vermiculatae vſus 534
Recueil de cente trente trois oiſeaux de plus belles eſpeces cet. 148
Reflelius, colleg. med. Vpſalienſis ſyndic. prim. 725
Regalecus, nouum piſcium genus 303
Reichard, Io. I. acad. imperial. natur. curioſ. et ſoc. principal. Haſſiacae, Gieſſae flor. ſodalis 372
Renalium vaſorum aberrationes 468
Renes, eorum aberrationes 468. renis vulnus ſanatum 502
Reſedae luteolae, indoles et vis tingens 414
Reſoluentium genera et vſus in intermittentibus 330
Reſonitus, quid ſit? 491. eius theoria et claſſes ib. eius in fluidis facti exempla ib. in oſſibus exempla 492. cranii 493 ſq.
Retzius, Prof. Hiſtor. Natur. Vpſalienſis 725
Reuſs, *Kenntniß der Pflanzen für Mahler und Färber* 643
Rhamnus frangula, tollit febrem 675
Rheumatiſmi chronici, eorum curatio 109
Rhinocerotis cubandi modus 142
Ricini olei vſus in febre puerperarum 76. 84
*Ribb Schoki*, morbus Aegypti 523
Roborantium vſus in intermittentibus 331
Rocama, nouum plantarum genus 530
du Roi, I. P. acad. imper. natur. curioſ. ſocius 371 ſq.
Rokejeka, nouum plantarum genus 531
Roonhuyſiani vectis noxa 72
Roridula, nouum plantarum genus 528
Roſa bicolor 272
von Roſenſtein, Roſen, *Anweiſung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten. Mit Anmerkungen von* I. A. Murray 185
Roſmarini, principia 233
Rothmann, G. ex itinere Vpſaliam redux 373
Roux, A. Iournal de medecine, chirurgie, pharmacie cet. Tome XXXIX et XL. 195. Tome XLI et XLII. 476. eius obitus 562
Rozier, Obſeruations et Mémoires ſur la phyſique, cet. Tome I et II. 579

Rubiae tinctorum indoles et vis tingens 410 ſq. vſus in ſcrophulis 125

S.

Saccharum lactis 211 ſq. ſaturni, eius noxa in haemorrhagiis puerperarum 88
Saelanthus, nouum plantarum genus 528. 536. eius ſpecies venenoſae 438
Sago, eius ſpecies variae et vſus 95 ſq.
Sal acetoſellae vid. *Acetoſella*, acidum Weſtendorfii 32. alcali volatile, eius praeparatio ib. ammoniacum vid. *Ammoniacus*, culinare, id praeparandi, ex diuerſis ſalſis lacubus ſeparandi ſolo calore ſolis et purificandi optimi modi expoſitioni praemium 166. digeſtiuum Syluii, eius praeparatio 31. mirabile Glauberi, eius praeparatio 25. in ſanguine et ſero hydropicorum reperiundus 233 ſq. vrinae fuſibile, id parandi modus 31 ſq. ſalia, eorum ortus 29. eorum ſub cryſtalliſatione attractio et repulſio 581. eadem dubia reddita ib. ſq. mercuriale vid. *Mercurialia*.
Salaria, nouum piſcium genus 505
Salicum in Boruſſia vſus 308 ſq. quarundum vires antifebriles 675
Salmo Roſchal 516
Salpa, nouum molluſcorum genus 505
Salſola ſoda 281
Saluia Aegyptiaca 288. Indica 283. napifolia 293. virgata 277
Sandarachae Suecicae origo et vſus 356
Sandali rubri lignum vid. *Lignum*.
Sandifort, E. obſeruationes anatomico pathologicae 462
Sanguis, eius partes globoſas comprimi poſſe affirmatur 145. lienalis, eius natura, et vſus 39 ſqq.
Santolina ambigua 520. fragrantiſſima, eius vſus 535
Santorini, I. D. ſeptemdecim tabulae, editae a M. Girardi 645
Sapphirus 640
Scabies a repercuſſione pediculari 476. retropulſae, curatio 138 ſq.
Scabioſa altiſſima 296. diuaricata 274. Tranſſyluanica 288
Scarificatio melior hirudinibus 472
Scarlatinae natura 334
Scarus, nouum piſcium genus 505
Sceura, nouum plantarum genus 528
*Schaelblaſen*, exanthematum ſpecies recens natorum 69 ſq.
Schreber, D. G. obiit 562
Schreber, I. C. D. hiſtor. natural. prof. Erlangenſ. 561
Schroeder, Fr. Ioſ. obiit 726
Schroeter, I. S. acad. Imperial. natur. curioſ. ſocius 561

Sciaenae

Sciaenae ſpecies 509 ſq.
Scirpus cephalotes 286. paluſtris a Sinenſibus adhibitur ad venena cognoſcenda 662
Sciurus, eius varietates 618. volans, eius domicilium 622
Sclopetorum vulnera 308. vulnus veſicae vrinarie ſanatum 222. pectoris 209
Scolopax, eius ſpecies 669
Scolopendra adhaerens 512
Scombri generis ſubdiuiſio 510
de Scopoli, I. A. hiſtor. natural. prof. Pauiae 561
Scorbuto aëre fixo medetur 683
Scorpionis morſus, contra eum remedium 511
Scriptorum phyſico medicorum, quae ann. 1771. prodierunt, indicis ſupplementum 169 ſqq. quae ann. 1774. prodierunt, index 7. 374 ſqq. 563 ſqq. 727 ſqq.
Scrophulae, iis medendi modus 125
Scrophuloſi affectus, iis medendi modus 244
Scrotum deſtructum et regeneratum 499
Secundinarum expulſio naturae committenda 472
Sedatiua remedia 475
Sedum daſyphyllum 293
de Segner, I. A. mortuus 562
Sehima iſchaemoides 533
Seip, eius obitus 168
Selinum *Seguieri* 281
Senecio verbaeniſolius 272
Senega radix, eius vſus in pleuritide dubius 76
Sepia octopodia 515
Sepulturae in templis noxae 317
Serpentariae Virginianae vis dubia et noxia 475
Serpentes venenoſi 433
Serratula, eius vis tingens 405
Serum lactis 211 ſq. ſanguinis et hydropicorum 233 ſq.
Seſeli ammoides *Linn.* 280. multicaule 290
Setaceorum vtilitas in variolis et tinea 314
Severii, S. Commentarius, in quo medicatae quaſſiae vires expenduntur 551
*Sibbens* ſ. *Sivvens* morbus 689
Sideroxylon melanophleum, 282
Siganus, nouum piſcium genus 505
Silicum in montibus geneſis 256 ſqq.
Silphium terebinthinaceum 278 ſq.
Simbuleta, nouum plantarum genus 531
Simia, eius ſpecies 625
Sims, Iames, Obſeruations on epidemic diſordres with remarks on nervous and malignant fevers 101
Sinapis *Allionii* 295
Siſymbrium tenuifolium *Linn.* 57
Sitim exſtinguendi remedium 321
Sium Siculum 291
Smaragdus memorabilis 262. 640
Sodada, nouum plantarum genus 530
Sohn, A. mortuus 374

Solanum, eius ſpecies 273 ſq. hybridum 288
Spari, character 509
Sparrmann, ex itinere Vpſaliam redux 373
Specifica remedia 136
Spielmann, I. R. ſyllabus medicamentorum 451
Spiritus acidi, eos deſtillandi ars 22 ſq. nitri dulcis, praeparatio 31. vini, definitio 30. ortus et praeparatio 23 ſqq. eum ab oleo aethereo ſeparandi modus 24
Sprenglerus, ſociet. natur. curioſ. Gedanenſis ſocius 561
Squalus Zygaena 504
Stachys maritima 282
Stamina plantarum, eorum ad piſtillum acceſſio et irritabilitas 9 ſqq.
Statice armeria maior 278
Stechmann, I. P. Diſſ. de artemiſiis 298
Steidele, I. *Abhandlung von dem unvermeidlichen Gebrauch der Inſtrumente in der Geburhtshülfe* 70
Stigma Aleppenſe, Aegypti morbus 524
Stimulantia remedia, eorum abuſus 474 ſq.
Strix, eius ſpecies 150. 152 ſq.
Svaeda, nouum plantarum genus 530. monoica, eius vſus 533
Sudor, de eo monita ſemiotica 474
Suffocatio a botulo 546. cadaueris ſectio 496 ſqq.
Sulphur, eius hepatis vaporum effectus noxii 225. antimonii auratum, id parandi modus 33
Sulzer, cadauer equinum diſquirens 169
Sulzer, F. G. *Verſuch einer Naturgeſchichte des Hamſters* 361
Surditas, eius curatio 481 ſq.
Sus, eius patria 615 ſq.
Syluarum cultus optimi modi expoſitioni praemium 559
Syndesmoſis 34
Syrupi nicotianae vſus in aſthmate 318

T.

Tabes ouium morbus vid. *Oues*.
Table pour ſervir a l'hiſtoire anatomique et naturelle cet. 263
Talpa, incognita 709
Tanagra melanictera 668
Tarandus, eius patria 621
Tarantiſmus 308. 454 ſq.
Tarantulae venenum eiusque curatio per muſicen dubia 145
Tartari emetici vſus in febre maligna 120. puerperarum 84. tertiana 480. in haemorrhagiis vterinis 88. in morbis grauidarum 480. acidum vid. *Cremor.*
Tellinae peloridis animal 146
Telluris ſuperficiei mutatio ex ſede animalium 628 ſqq.
Temporalis arteriae ſectionis vſus 102
Tenebrio arundinaceus, eius laruae noxa 510 ſq. polychreſtus 511
Terebratularum animalia continentium deſcriptio 706
Termes deſtructor ſeu fatale *Linn.* 513 ſq.
Terra aluminaris vid. *Alumen.*

Terrarum differentia 28. incendia in Bohemia 55
Tertianae natura 326
Teſtaceorum genera 304
Teſtarum ouorum calcinatarum vſus 67
Teſticuli, eorum ſtructura 656 ſqq. venereorum curatio 698 ſq.
Teſtudo terreſtris, eius vſus 507
Tetanus, eius ſpecies 454. curatio 139. mercurialibus curatus 243. 494
Tetrao arenaria 665
Teucrium, eius ſpecies 16. Maſſilienſe 285
Thea Sinenſis, eius cultura et vſus 588 ſq.
Themeda triandra 533
Theodoro - Palatinae acad. elect. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1779. 558
Thouvenel, ab acad. imper. ſc. Petropolit. praemium accepit 556
Thunberg, C. P. Demonſtrator Botanices Vpſalienſis 725
Tinctoria ars, ei inſeruientia experimenta 401 ſqq. 420 ſq.
Tincturae Dahlbergii formula et vſus in cephalaea 357
Tomex dubia 297
Topazius veterum, eius locus natalis 53 ſq. recentiorum 54
Tophacei lapidis ramos arborum incruſtantis diſquiſitio 634 ſq.
Topicorum remediorum vſus et abuſus in variolis 309 ſqq.
Torcular nouum et emendatum 478
Tordylium apulum *Linn.* 280
Tracheocele vid. *Bronchocele.*
Tradeſcantia criſtata 291
Tragopogon caliculatum 288
Traſſ, caementi genus 632 ſq. loca, vbi inuenitur 633. terrae ſpecies in Palatinatu reperiunda 259 ſq.
Trichurides, de iis obſeruationes 668
Triſetaria, nouum plantarum genus 528
Tulbagia Capenſis 289
Tumores vteri ſcirrhoſi 469 ſq.
Turcoſae ex dentibus animalium petrefactis 56
Turdus ſeleucis 506
Turia, nouum plantarum genus 532
Turmalini ſpecies 641
Tuſſis epidemica, eius curatio 110. conuulſiua, eius curatio 111

V.

Vallisnieri, A. obitus 562
Valuularum aortae morbi 465
Vapores peſtiferi, eos corrigendi modus 589. venenati, eorum actio et antidota 431 ſq.
Variolae, de earum natura et genio aphoriſmi 369 ſq. de iis earumque cura cogitata 211. earum cum peſte comparatio et exſtirpationis modus 310. earum curatio per externa 309 ſqq. eas curandi methodus et remedium ſpecificum 370 ſq. eas praeſeruandi modus 309 ſqq. earum contagii ratio verminoſa defenſa 133 ſq. de earum germine obſeruatio 498. earum

rum fetus in vtero caſus ib. in fetu negantur 89. grauidarum vt cauſſa abortus ib. malignae epidemicae 105. 115. puſtularum apertura reiecta 106. in iis ſuppurationis cum peſſimis ſymptomatibus ſuppreſſae reſtitutio 252. ſpuriae veras mentientes, earum curatio 113. apud Iamaicos *Pians* dictae 583 ſq.

Vegetabilium in Hannouerano territorio ſine cultura creſcentium expoſitioni praemium dicatum 165

Vena medinenſis, morbus 487 ſq. 504

Venae, earum pulſatio 486 ſq. defectus cauſae ib. renales earum aberrationes 468. iter 658

Venaeſectionis abuſus 135. vſus et abuſus 223. 232. 92 ſq. 76 ſqq. 83. 98. 472 ſq. vſus 102 ſq. 103. 106. 117 ſq.

Venena, eorum hiſtoria 427 ſqq. definitio 423. 428. actio ib. ſq. eorum antidota 430. claſſes 431. vaporoſa eorum antidota ib. ſq. palpabilia animalia, eorum actio et antidota 433 ſq. vegetabilia, eorum actio, claſſes et antidota 435 ſqq. mineralia, eorum claſſes et antidota 443 ſqq.

Venerei morbi, aduerſus eos remedium 229 ſq. eorum cura incerta 699 ſq.

Ventriculi ſitus rarus 501 ſq. mira contenta ib. imbecillitati medendi modus 126. a vermibus perforati curatio 239

Verbaſci thapſi florum natura et vis tingens 415

Verbena obletia 13

Vermes, eorum genera noua 304. claſſes 303. inteſtinorum, aduerſus eos remedia 226 ſqq. 234 ſqq. 684. vermis ceraſorum hiſtoria naturalis 8. ſingularis ex vlcere 687. diſſecti rurſus creſcunt 708

Verrucae, aduerſus eas remedium 248

Veſica vrinaria, eius ſtructura 654 ſq. eius vulnus ſanatum 222. eius fungi vid. *Fungi.* aëreae in piſcibus vſus 665

Veſicatoria, eorum actio 123. 474. eorum vſus et abuſus 122 ſq. ea vt ſignum in morbis malignis 348 ſq. eorum in loco dolenti vſus 348

Veſpertiliones 626

Veſuuii facies varia 601 ſq. altitudo 602. eruptionis a. 1767 factae ſingularia 604 ſq.

Veterinariae artis progreſſus 169

Vetularum morbi 65

Vibrio anguillula *Müll.* 700

Vicia hybrida 292

Vicq d'Azir, F. Table pour ſervir a l'hiſtoire anatomique et naturelle cet. 263

Vina mangoniſata detegendi modus 449 ſq.

Viperae veneni actio 142

Virginum morbi 62

Viſus obſcuritas, eius curatio 125 ſq.

Vitrioli albi vſus oeconomici expoſitioni praemium 165
Vlcera crurum haemorrhagia aluina ſanata 138. cancroſa, puluere *Phälli Moku-ſin* a Chinenſibus ſanantur 662
Vltraiectinae ſociet. art. theſ. et praem. ad ann. 1779. 558 ſq.
Vmbra Colonienſis 311
Vngaria olim mare 60
Vnguium ortus 35
Vogels, R. A. *Lehrſätze der Chemie, überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von* I. C. Wiegleb 27
Voltelen, F. I. Diatribe memorabilem ſeptennis apoſitiae hiſtoriam continens 547
Volutella, nouum plantarum genus 530
Voluuli inteſtini craſſi connati caſus 69
Vomitoria vid. *Emetica.*
Vrina humana, de ea experimenta 248 ſq. eius ſuppreſſio vid. *Iſchuria.* vaccina et equina, de iis experimenta 249 ſq.
Vrinaria veſica vid. *Veſica.*
Vrſus, eius varietas 620
Vrtica, eius vis anthelmintica 318. niuea 295. marina patera Neptuni dicta 145
Vterus, eius deſcenſus et inverſio 140. eius dislocationis curatio 241 ſqq. euulſio 477. prolapſus 240 ſq. eo annexi tumores 469 ſq. ii cauſſa ſitus obliqui ib. grauidus, eius rupturae ſigna 71. hernia vid. *Hernia.*
Vulcani Siciliae vtriusque 600 ſqq.
Vulnus abdominale, eius ſymptomata 225 ſq. ſclopetarium vid. *Sclopetorum.*
Vulpes, eius varietates 616 ſq.
Vultur, eius ſpecies 149 ſq.

W.

Wagler, C. G. mortuus 563
Walch, I. E. I. obiit 726
Weber, G. H. profeſſor et med. prof. Kiliae 561
Weber, C. F. obiit 726
Weiſſerborn, I. F. Prof. medic. Erfordenſis 725
*Wen* Anglorum, ſteatomatis genus 687
White's, C. Treatiſe on the menagement of pregnant and lying-in women and the means of curing them 90
Whiters, T. Obſeruations on the abuſe od Medicine 471
Wirſing, A. L. marmora et adfines aliquot lapides 155

Y.

*Yaw*, morbi ſpecies 689
Yemen vid. *Arabia felix.*

Z.

Zaluzianskiae, character 20
Zea mays 479
Zilla, nouum plantarum genus 531
Zimmermann, E. A. G. *Beobachtungen auf einer Harzreiſe, nebſt einem Verſuche, die Höhe des Brockens durch das Barometer zu beſtimmen* 261. ſpecimen zoologiae geographicae 607
Zingiberis character 282
Zoologia geographica 607. Danica, eius prodromus 302
Zückert, I. F. obiit 563

EMEN-

# EMENDANDA.

P. 15. lin. 24. quorum lege quarum. p. 38. lin. 17. poſita l. poſiti. p. 58. lin. 10. magnete l. magneti. p. 78. lin. 26. de cauſis l. de cauſis febris. p. 89. lin. 27. laborandis l. laborantis. p. 121. lin. 14. nimiae l. nimias. p. 125. lin. 14. drachma vna l. drachmam vnam. p. 135. lin. 13. nonnulli l. nonnullae. p. 148. lin. 18. ADAA l. ADAM. p. 204. lin. 3. operationem l. operationum. p. 231. lin. 14. quam l. quum. p. 255. lin. 1. eadem l. easdem. p. 317. lin. 23. ſubitaneus l. ſubitanea. p. 347. lin. 16. cruſta illa l. cruſtae illi. p. 361. lin. 21. interaneis l. internis. p. 366. lin. penult. mediae l. medio. p. 372. lin. 10. CHRISTIANAS l. CHRISTIANVS. lin. 17. *Lugduni* l. *Lugdunum.* p. 375. lin. 16. *Mannichfaltigen* l. *Mannichfaltigkeiten.* p. 391. lin. 20. Bequini l. Beguini. p. 395. lin. 11. fuerit l. fuerat. p. 404. lin. 4. aptiorem l. aptius. p. 418. lin. 19. eſt l. ſit. p. 426. lin. 18. venenoſae l. venenoſas. p. 428. lin. 14. topicologicae l. toxicologicae. p. 432. lin. 27. veſicatoriae l. veſicatorii. p. 445. lin. 9. referantur l. referentur. p. 447. lin. 11. illum l. illud. p. 452. lin. 22. in l. im. ibid. lin. 23. von l. bey. p. 456. lin. 32. mortem illico ſequantur l. mors ilico ſequatur. p. 458. l. 29. obortam l. obortum. p. 462. lin. 2. Batrauorum l. Batauorum. p. 498. lin. 11. laborante l. laboranti. p. 505. lin. 10. clare l. clarae. p. 522. lin. 14. rubicanda l. rubicunda. p. 554. l. 10. terra, eaque triplex. p. 555. not. ** adde: *aus* BACMEISTERS *Ruſſ. Bibliothec* 4. *Band* 4. *und* 5. *St. S. Petersburg, Riga und Leipzig.* 1777. 8. p. 449. p. 590. lin. 3. *fixa* l. *fixo.* p. 591. lin. 17. intio lege initio. p. 605. lin. 22. eiicebantur l. eiiciebantur. p. 612. lin. 4. ediſſe l. edidiſſe. p. 652. lin. 28. nullae l. nulli. p. 720. lin. 18. poſt Gen. IX. adde ſpec. 74. ibid. lin. antepenultima 73. l. 75.